JODOCI HERINGA EL. FIL.

DUM VIVEBAT,

THEOL. DOCT. ET IN ACAD. RHENO-TRAIECT. PROF. ORD.

OPERA

EXEGETICA ET HERMENEUTICA.

EDIDIT, ADIECTIS ANNOTATIONIBUS,

OPERIS CONSPECTU, INDICIBUS,

ET

PRAEMISSA PRAEFATIONE,

HENR. EGB. VINKE,

THEOL. DOCT. ET IN ACAD. RHENO-TRAIECT. PROF. ORD

TRAIECTI AD RHENUM,

Apud JOD. HERINGA, C. FIL.

1845.

OPERA EXEGETICA ET HERMENEUTICA.

JODOCI HERINGA EL. FIL.

DUM VIVEBAT,

THEOL. DOCT. ET IN ACAD. RHENO-TRAIECT. PROF. ORD.

OPERA

EXEGETICA ET HERMENEUTICA.

EDIDIT, ADIECTIS ANNOTATIONIBUS,

OPERIS CONSPECTU, INDICIBUS,

ET

PRAEMISSA PRAEFATIONE.

HENR. EGB. VINKE,

THEOL. DOCT. ET IN ACAD. RHENO-TRAIECT. PROF. ORD.

TRAIECTI AD RHENUM,

Apud JOD. HERINGA, C. FIL.

1845.

TYPIS MANDAVERUNT L. E. BOSCH ET FILIUS.

PRAEFATIO.

Edendis his cl. HERINGA *operibus exegeticis et hermeneuticis multorum desiderio, illorum in primis, qui, qualis ille fuerit librorum Novi Foederis interpres, ipsi usu atque experientiâ edocti sint, me satisfacere spero et confido. Elegi autem e scriptis eius exegeticis* Animadversiones de locis Novi Foederis, quorum praecipuus est usus, in probandis doctrinae Christianae capitibus, *quas, rogantibus nonnullis discipulis egregiis, cunctis suis auditoribus dictavit a.* 1820-1822, tum *quia hae prae caeteris dignae mihi visae sunt, quae ederentur*, tum *quia ex illis effici potest, non modo, qualis ille esset librorum Novi Foed. interpres; verum etiam qualis ille Theologus fuerit. Dolendum quidem est, spectare illas non nisi locum, qui est* de Deo; *sed grato tamen animo a desideratissimi Viri discipulis et amicis, imo vero ab omnibus Theologiae studiosis, idoneisque*

harum rerum arbitris accipientur. Dedit quoque Animadversiones de locis Novi Foederis praecipuis, quibus doctrina de JESU CHRISTO, Dei Filio, Conservatore nostro traditur; *quod docuit me* Series lectionum *in Academia Rheno-Traiect. a.* 1821, 1822 *habitarum; sed hae in chartis, quas reliquit, non inventae sunt, ad meam certe notitiam non pervenerunt. Itaque edidi, quae potui. Adieci porro illis animadversionibus nonnulla, e scriptis eius* Hermeneuticis *sumta, et* Annotationem *quidem, quam dedit* in D. CAR. AUG. THEOPH. KEILII Elementa Hermeneutices Novi Test., latine reddita a CHRIST. AUG. GODOFR. EMMERLING §§ 21, 22, *in quibus de* notitia Grammatices *et* Rhetorices *exponitur. Quod non sine iustâ causâ me fecisse existimo. Nam, etsi lubenter concedo, cum* Iliada *post* HOMERUM *conscribere dicendum esse illum, qui* Novi Foederis Grammaticam *dare velit post* WINERUM, *tum cl.* HERINGA *nonnulla fortasse aliter scripturum fuisse, si praeclarum illius opus adhibere potuisset, et in usus suos convertere, haudquaquam tamen illa annotatio supervacanea mihi esse videtur, quippe quae non modo ostendat, quid ipse* HERINGA *iam ante* WINERUM *et viderit et discipulos suos docuerit, verum etiam nonnulla contineat, quae in eximio* WINERI *libro desiderantur: ne dicam, tenendum esse, voluisse illum minime* Grammaticam *conscribere, omnibus suis numeris absolutam; sed observationes tantummodo cum auditoribus communicasse, quibus* KEILII *dicta illustrarentur. De editâ* Rhetoricâ *librorum Novi Foed., (nam hoc nomine*

digna est annotatio, quam dedit ad KEILII § 22.) *non est profecto, quod me excusem. Scio equidem,* CHRIST. GOTTL. WILKIUM, *virum doct., cum* bonam *Novi Test.* Rhetoricam *etiamnum desiderari observasset, edidisse nuperrime librum, non uno nomine laudandum, inscriptum:* Die neutestamentliche Rhetorik *caett. Dresd. et Lips.* 1843; *quem librum non nisi ad finem* Annotationis Heringanae *laudavi, quoniam illum nondum legeram, cum magna* Annotationis *pars typis iam expressa esset. Sed neque post lectum illum editae* Rhetorices, *ab* HERINGA *conscriptae, me poenituit. Etsi enim lubens fateor, ét plura* WILKIUM *dedisse, quae in* ann. Heringanâ *desiderantur, ét haud pauca accuratius ac philosopha magis ratione exposuisse, idem tamen contendo, in* WILKII *libro vicissim ét frustra quaeri, quae apud* HERINGA *inveniuntur, ét minus bene disposita esse atque exposita nonnulla, me quidem iudice. Sic, ut et alia praeteream, et ea, quae animadversa sunt ab eius Censore in diario:* Allg. Kirchenzeitung. Theol. Literaturblatt. 1844, No. 122 *sq. parum placet ipsa* Rhetorices *descriptio, quam dedit praef. p. VI, ubi: »Ich habe ihn"* (Rhetorices *notionem) inquit, »so gefasst, dass Alles, was am »Ausdruck als Willkuhr erscheint, darin begriffen »werde:" quae quomodo conveniant cum iis, quae in* introitu *tum de notione Rhetorices* § 1, *b. c. p.* 2, 3, *tum de eo, quod praestare debeat Novi Test. Rhetorica* § 4. p. 7, 8 *scripsit, equidem non satis percipio. Ita et minus placet tota libri dispositio;*

nam, quum Cap. I de tropis, *Cap. V de* pulcro *in verbis et sententiis conspicuo, et Cap. VI de* figuris Rhetoricis *egerit, fieri non potuit, quin multa identidem aut repetenda essent, aut praeoccupanda. Porro cuncta* WILKIUS *ad dicentium et scribentium* ingenium *refert, ea quoque, quae cl.* HERINGA *recte ad* animum *illorum magis referenda esse duxit, nihilque monet de* sublimitate, *in Novi Test. libris conspicuâ. Denique annotatio* Heringana *plus quam* WILKII *liber valet ad existimationem, quâ Novi Foed. libros prosequi nos* Christianos *oporteat, provehendam, ne dicam, multa' illam continere, quae ad rectam multorum Novi Test. locorum intelligentiam plurimum conducant. Alterum igitur opus alterum supplere potest, et emendare, quod in altero minus bene dictum videatur.*

De ratione, qua in edendo hoc Viri clarissimi opere sim versatus, pauca haec dicta sunto. Describendum illud erat totum propter crebra scripturae compendia, quibus Vir praeclarus utebatur : quod, cum alii nollem committere, ipse omni, quâ potui, diligentiâ et religione feci, nihil detracto, aut mutato, nisi ubi mafestus esset calami festinantis error: cuiusmodi tamen errorem, in manu Scriptoris admodum nitidâ, rarissime deprehendi. Deinde vel ipsi textui inserui, vel in notis cum lectoribus communicavi nonnulla, cum ex Introitu in Novi Foed. libros *ms., tum ex aliis praeclari Viri operibus mss. descripta, ad quae aut ipse provocavit, aut quae ad dicta eius illustranda valere viderentur. Adieci porro annotationes haud*

paucas, tum *variam lectionem*, tum *aliorum interpretum sententias, illorum maxime, quorum commentarii a Scriptore, ut pote nondum editi, haudquaquam consuli potuerunt, spectantes. Potueram plures etiam laudare scriptores; sed quis omnes, nostris temporibus, cognoscat? et si vel nomine eos cognoscit, quis omnes ad manus habeat, legat, inspiciat? Nonnumquam, at rarissime tamen Scriptoris interpretationibus, aut assertionibus contradicendum esse putavi. Saepius nonnihil attuli ad dicta eius illustranda et confirmanda. Alicubi fusiorem dedi annotationem, maxime ad locos de* ironia *et* allegoria: *quorum locorum expositionem cl. Scriptor daturum se esse promiserat quidem, sed non dedit. Denique ét operis* Conspectum *libro praemisi, ét* Indices *adieci, ut lectores in eius usu adiuvarentur. In quibus omnibus si quid a me praestitum sit, desideratissimi Viri cultoribus gratum, bonorum doctorumque Virorum approbatione dignum, disciplinae Theologicae alumnis proficuum, erit, quod mihi gratuler, Deoque gratias agam.*

Sed, datâ hac opportunitate, paulo fusius de studiis *Viri praeclari* exegeticis *exponere iuvat, quam dicere de illis potui in* Oratione de religionis Christianae in conformandis hominum animis iisque consolandis vi atque efficacitate, *habita d. XXVI. m. Martii a* 1840, *quum Academiae regundae munus solenni ritu positurus, ét illi ét* HEUSDIO *ét* ALEX. CAR. GUIL. SUERMANNO *mihi erat parentandum.*

Theologus erat cl. HERINGA Biblicus, *non* Dogmaticus, *qualem nostris maxime temporibus dicere solent Viri docti. Nam* Philosophiam *in exponendâ Theologiâ Christianâ numquam fere in scholis suis adhibuit. Quod tamen cave ita accipias, acsi ét germanam Philosophiam parvi fecisset, ét philosopha indole destitutus fuisset. Minime gentium! Inerat in illo philosopha indoles; nam ét flagranti veri inquirendi ardebat amore, ét summo gaudebat iudicii acumine, ut adeo veram philosophiam non maximi facere non potuerit: quod* tum *aliunde satis superque mihi patuit,* tum *vero etiam ex eo, quod comprobaverit* orationem *meam, qua, Theologiae professionem auspicaturus, dixi* de germano Philosopho, optimo Theologo, *atque ostendere conatus sum, aptissimum esse illum ad Religionis nostrae placita* cognoscenda, aestimanda, amplectenda, tradenda, vindicanda. *Attamen, si quid video, iudicio plus valuit, quam ingenio et phantasiâ: unde magis excelluit in discernendo, quam coniungendo, ita ut quod de* ERNESTIO *affirmavit* WYTTENBACHIUS *in* Vita RUHNKENII, *pag.* 219, *id de eo quoque dicendum esse mihi videatur*: »*tota eius, quamvis egregia, doctrina magis iudicando,* »*quam inveniendo consumta est.*" *Sed haec neque unica, neque praecipua causa fuit, quare in exponendâ religionis Christianae doctrinâ, neglectâ prorsus philosophiâ, totus in eo esset, ut quid ex patefactione, in ss. libris divinitus nobis datâ, credendum sit, discipulos suos doceret. Cernebatur illa maxime in eo, quod persuasissimum ei esset,* cum

ex uno Codice s., inprimis e ss. Novi Test. libris, hauriendam esse religionis Christianae cognitionem, tum *Theologos*, *adhibitâ Philosophiae ope*, *ad* systema *doctrinae Christianae construendum*, *singulaque eius placita explicanda*, *facillime ad errores prolabi*, *et vero etiam*, *docente historiâ*, *prolapsos esse*: *unde cuidam*, *qui*, *quum de Spiritu s. dicentem eum coram populo Christiano audivisset*, *ex eo quaereret*, *quare singula ét* JESU *ét Apostolorum dicta*, *ad Spiritum s. spectantia*, *commemorasset tantummodo*, *nullâ additâ interpretatione*, *e quâ effici posset*, *quid tandem ex eius sententiâ de Spiritu s. esset statuendum*, *eumque moneret*, *nostrum esse*, *Conservatoris eiusque legatorum dicta interpretari*: »*recte mones*," *inquit*, »*at* »*non sumus interpretes mysteriorum*." *Itaque non ex uno qualicunque principio Theologiam explicare studuit*, *quod solent* Dogmatici; *nam neque indole suâ eo ducebatur*, *et metuebat*, *ut sic agendo in eundem incideret errorem*, *in quem alios ét olim incidisse ét etiamnum incidere dolemus*, *quo ab unâ tantum parte divinae nostrae religionis doctrinam ét ipsi contemplentur*, *ét aliis exponant*; *alteram vero praetermittant et negligant*; *sed docere unice studuit*, *quid libri ss.*, *quid Novi inprimis Foederis libri*, *quid ipse* JESUS *eiusque Apostoli de* Deo, *de* homine, *de* CHRISTI *persona*, *de* salutari eius opere, *de* fide ei habenda, *de caeteris placitis tradant*. *Nam etsi Veteris Foederis scripta minime negligebat*, *contra vero ét divinam* MOSI *caeterisque Vatibus Israëliticis auctoritatem tribuebat*, *ét Vaticinationum*, *in Veteris Test. Codice scriptarum*,

divinam originem agnoscebat atque auctoritatem, *et libros Veteris Test. pro divinis habendos esse statuebat*, *quod ex his ipsis* Animadversionibus *satis superque patet*, *Novi tamen Foederis scripta praecipuum cognoscendae doctrinae Christianae fontem habebat:* »*quorum adeo intelligendorum*," *ipso monente* Animadvv. *p.* 1, »*summa est necessitas ad eam doctri*»*nam inveniendam et percipiendam.*"

Quemadmodum igitur illi, *qui philosophâ ratione de Christiana religione student exponere*, *ipsam librorum ss.* interpretationem Grammaticam, *s.* Historico-Grammaticam *minus curare solent*, *sic ille* Exegeticis *maxime studiis summam navavit operam*, *et Novi quidem Test. scripta in primis interpretari studuit*, *ut discipulis suis exponeret*, *quid cum Sospitator noster ipse*, *tum primi eius legati de singulis religionis placitis docuerint*, *eosque ad veram doctrinae Christianae cognitionem perduceret. In hisce studiis totus erat; in illis domicilium suum posuerat; ad illa totus erat compositus. Quum autem bene intelligeret*, tum *plurima inesse his libris*, *ad doctrinam Christianam inveniendam ac percipiendam parum vel nihil profutura*, tum *ea*, *quae in Novi Test. libris proprie ad doctrinam Christianam cognoscendam scripta legantur*, *non unius esse generis*, *ad ea in primis loca attendendum esse recte existimavit*, *quibus diserta insint testimonia*, *praecipuis doctrinae Christianae capitibus confirmandis ac defendendis apta*, probantia *dicta*, *s.* loci classici: *sed et horum prudentem instituendum*

esse delectum monuit. Vid. Animadvv. *p.* 1-4. *Qualis autem fuerit librorum Novi Test. interpres, paucis exponamus.*

Gaudebat iis mentis dotibus, illisque animi virtutibus, quibus cernitur bonus librorum ss. interpres. Quas mentis dotes animique virtutes equidem, cum in Academiâ Rheno-Traiectinâ versarer, tum explicantem audivi cl. JOANNEM HENRICUM PAREAU, *in lectt. de* Institutione Interpretis V. T., *quas postea publici iuris fecit, Tr. ad Rh.* 1822. *Vid. P. I. S. II. p.* 134-157, *tum conspicuas factas vidi in cl.* HERINGA *fere omnes. In formando enim bono librorum ss. interprete partes quasdam esse naturae easque non exiguas, recte ille monebat; naturae autem dotes, quae hic primum ac praecipuum locum teneant,* ingenium *esse et* iudicium, *bonumque utriusque huius facultatis usum plurimum conducere ad eam, qua universe cerni censetur Interpretis praestantia, subtilitatem cum intelligendi, tum explicandi. Sed neutra cl.* HERINGA *deerat; nam, etsi plus iudicio quam ingenio valebat, quod modo recte monuisse mihi videor, haudquaquam tamen alterâ hac facultate destitutus fuit: quod ét aliunde patet, ét ex probabili eius interpretatione loci, qui est in 2 ad Cor. C. XII: 7, quam* PALMIUS, *ab eo acceptam, in* ann. *ad vernaculam Bibliorum versionem proposuit.*

Gaudebat etiam iis animi virtutibus, quae, docente PARAVIO, *l. l., nostrâ praesertim aetate, deceant ss. literarum interpretem. Nam, quod vere monet Vir*

cl., *in illarum interpretatione minime perinde est, quo animo quis ad eam accesserit in eaque occupetur, suntque adeo virtutes nonnullae, quibus quo magis quis ornatus sit, eo rectius, et ad nostri praesertim aevi rationem accommodatius in illa poterit versari. Inerat illi* iusta librorum ss. veneratio, *qua medidm viam tenuit inter illud, quod in nonnullorum veneratione nimium est, et inter protervam novatorum licentiam. Inerat illi* vera liberalitas, *quâ ex unico suo fonte, s. nempe Codice, hauriens, et simplicitatem Biblicam sequens, ab omni partium studio se ostendit alienum: unde factum est, ut in muneris initio* ἑτεροδοξίας, *ad finem vero eius a nonnullis* ὀρθοδοξίας *accusatus fuerit, neque tamen* τοῖς ὀρθοδοξοτάτοις *placuerit. Praeterea summa illi erat* laboris patientia: *quam omnes, qui eum noverint, non satis admirari potuerunt. Denique* genuino *gaudebat* infirmitatis humanae sensu.

Has autem mentis dotes animique virtutes, quarum semina inde a iuventute in ipso latebant, elicuit et coluit tum aliorum Virorum cl., tum summi ABRESCHII *institutio, qui monente ipso* HERINGA (1), »*librorum* »*ss., Novi imprimis Codicis interpres erat, ad* Er- »nestinam *rationem formatus, acutus, diligens, ele-* »*gans, modestus, religiosus, omninoque liberalis.*" *Ipse vero imprimis laborando, cogitando, docendo,*

(1) *Vid.* Praefatiuncula, *praem.* Spec. IV. Paraphr. et Annott. in Ep. ad Hebr. *ed. a. H. Trai. ad Rh.* 1817.

precando, se ipsum contemplando dotes illas et virtutes in dies magis magisque aluit, exercuitque.

Fuisse eum satis peritum linguarum tum *Orientalium, in primis Hebraicae*, tum, *et maxime quidem, linguae Graecae et Latinae non est quod dicam. Porro doctrinam eius haud vulgarem fuisse in vulgus notum est. Quum autem germanum Novi Foederis interpretem et* Critices *et* Hermeneutices *notitiâ instructum esse oporteat, de hisce eius studiis monendum esse videtur. Sed de* Criticis *eius studiis non est quod multis dicam; quippe quae in laudatâ oratione iam commemoraverim. Itaque haec duo accurationis, quam adhibere solebat, specimina sufficiant, sumta illa ex* annotationibus *eius mss. in* ERNESTII Instit. interpr. N. T. *P. II. C. III.* § 6 *et* § 8. *Ad priorem* § *de* tempore facti et editi N. T. complut: »ERNESTI" *inquit*, »scribit, hanc ed. curatam et expressam typis esse a. 1514. In subscriptione Apoc. additur *mensis Januarii die decimo.* Dicit ERNESTI, editam esse illam *aliquot demum annis post* (a. 1517) *toto bibliorum polyglottorum opere absoluto.* Quod de absoluto eo anno opere monet ERN., recte se habet. XIMENIUS enim, qui inde ab a. 1502 huic operi manus adiecerat, noluit N. T. seorsim a reliquo corpore Bibliorum in lucem emittere. Ea autem certe ad finem non perducta fuerunt ante a. 1517 mensem Junium, paulo ante mortem ipsius Cardinalis, qui e vita discessit d. 8 Nov. a. 1517, ref. HUGIO, *Einl.* I. § 55. p. 259. Vid. MILLIUS, Prolegg. § 1115. Sed quae addit h. l. MILLIUS, non recte intellexit ERN. Docet

enim ille alio loco, § 1135, exsecutores testamenti Cardinalis editionem distulisse, LEONEM autem X, P. R. operis publicationem ursisse epistola data d. 22 Martii a. 1520: *Caeterum*, inquit, *sive ob mortem Pontificis, qui paulo post excessit e vivis, sive alia aliqua de causa, differebatur in annum adhuc unum, alterum, seu etiam tertium.* Idem § 1140: *Hoc tempore*, inquit, (a. 1524,) *seu etiam aliquantulo post Complut. Biblia e tenebris — prodiere.* Sic refert MILLIUS. Unde mirum non est, variare recentiores in anno definiendo. Alii a. 1521 editam dicunt, ut SEMLERUS *Appar. ad liber. N. T. interpret.* p. 38; alii 1522, ut KLUIT, *Vind. art.* caett. I. 626, secutus forte WETSTEN. p. 120, consentientibus MICH. p. 1258 et MARSHIO, p. 415. Manifestus est error HUGII, l. l. vel forte typothetae, scribentis, LEONEM X. die 20 Mart. a 1525 editionem permisisse: LEO enim d. 1 Dec. a. 1520 mortuus est. Iccirco pro 20 Mart. 1525 legendum est [non 20 Mart. 1521, quod dedit HUG. in ed. 3ª; sed V.] 22 Mart. 1520. Quicquid sit, ex his constat, ERASMUM in tribus prioribus N. T. a se procurati edd. non adhibere potuisse editionem Complut.

Ad eundem l. l. § 8, *ubi* ERASMUS *textum Gr. primum a.* 1516 *edidisse dicitur, adiuvante* OECOLAMPADIO, GERBELIO, CAPITONE. »Recte quidem hoc dicitur," inquit, »de primo et altero. De CAPITONE autem quo auctore dixerit ERNESTI, plane nescio. Hoc scio, quisquis dixerit, eum errasse. Nam eius rei nullam umquam mentionem fecit ERASMUS. Ubi autem CA-

PITONEM commemorat, non adiutorem, sed laudatorem operis dicit, ut mox ex Ep. ad Episc. Roffensem intelligemus. Et CAPITO ad ERASMUM, ut laudet eum, ut ad emendandum et expoliendum et emolliendum opus suadeat, multis amicisque verbis scribit, in Ep. lectu dignissima, quae est in Append. n. LXXV, Opp. vol. III. p. 1566 sq., cuius et exiguam partem dedit WETST. p. 122. — Sed quod de CAPITONE sine causa dixit ERNESTIUS, bene utique de JO. OECOLAMPADIO et NICOL. GERBELIO dictum est. Ipse enim ERASMUS *adv. Leum.* ad Rom. V: 12, utrumque primae editionis *castigatorem* dicit: (locum adduxit WETST. I. 125.) Suspicor tamen GERBELIUM non nisi in operis initio opem tulisse: nam fuit ille d. 21 Jan. 1516 *Argentorati*, unde ad ERASMUM dedit epistolam, quae est in Append. XLVII. p. 1550; OECOLAMPADIUM vero ei adfuisse in fine operis ex testimonio eius modo laud. constat. Utrumque autem, nondum eiusmodi operi assuetum, iccirco saepius fuisse lapsum, ut ipse ERASMUS succurrere debuerit, hic scribit in ep. ad BUDAEUM, quae est CCLI, Opp. Vol. III. p. 259, e qua partem descripsit WETST. I. p. 122 sq., quam e WETST. rursus sumsit GRIESB. *Prolegg.* p. XI."

Neque est, quod de studiis eius Hermeneuticis *fuse exponam. Nam quibus principiis duci voluerit Novi Test. interpretem, et quas illi regulas scripserit, satis superque patet* cum *ex ann., quam dedit in* SEILERI Hermen. Bibl., *laudatam illam valde a* CLARISSIO Encyclop. Theol. § 62, *ann.* 10. *p.* 202, tum *e*

dissertationibus, quas discipuli eius egregii, STRONCKIUS, (1797), DONKER CURTIUS, (1799), NIEUBUUR FERF (1799), CHRISTIAANSE (1801), *uterque* SCHOLTENUS (1805 et 1809), VAN WILLES (1811), *alii conscripserunt, tum vero etiam ex his* Animadvv. *Vid. e. c. p.* 38, 39, 53, *ubi ad quaenam attendendum sit, ut rite interpreteris, monet; p.* 48 *sq., ubi ipse* ERNESTIUS *recte culpatur; p.* 56, *ubi a propria verbi significatione non facile recedendum esse contendit, ne dicam, eum continue exemplo suo docuisse ad usum loquendi in primis esse attendendum* ([1]). *Verbo ut* ABRESCHIUS, *ita et ipse* Ernestinam *sequebatur rationem. Nec tamen aut* ERNESTIUM, *aut egregium eximii Viri discipulum*, MORUM, *ita sequebatur, quin saepius dissentire ab iis ausus fuerit: quod testantur et aliae animadversiones, quae in annot. ms. ad* ERNESTII instit. *contra eum scripta inveniuntur, et sententia eius de* discrimine sensus et significationis, *quam cum lectoribus communicavi pag. huius libri* 376-380. *Aversabatur inde ab initio laxam illam interpretandi rationem, quae id temporis in* Germania *maxime vigebat. Rationibus duci oportere interpretem, certis superstruendam esse interpretationem fundamentis, ad propriam verborum significationem, et ad usum loquendi attendendum esse; minime cum* SCHLEUSNERO *aliisque uni eidemque verbo, ac dicendi formulae nescio quot significationes tribuendas esse continue*

([1]) *Cf. hac de re* VOORSTII Oratio *de* JO. AUG. ERNESTIO, *optimo post* HUGONEM GROTIUM duce et magistro interpretum N. T. *L. B.* 1804 *p.* 28, 29.

monebat. Sic in patria nostra iam exeunte Sec. XVIII et ineunte Sec. XIX, ét alii, in his VOORSTIUS, *de quo nobiliss. poëtam* BOSCHIUM *cecinisse novimus:* »ERNESTI Belgis VOORSTIUS alter erit," *ét vero etiam ipse* HERINGA *accuratam illam certamque interpretandi rationem adhibendam esse monuerunt, ad quam* WINERUS *maxime librorum Novi Foederis interpretes reduxit. Simul autem, me quidem iudice, ét ipse feliciter evitavit, ét discipulos evitare docuit alterum extremum, in quod incidere solent hodierni interpretes nonnulli, iique eximii, obliti, »distinguendam esse unaquaque in lin»guâ subtiliorem illam dicendi rationem, quae scholae »propria est, a popularis et quotidiani sermonis fa»miliaritate ac paulo rudiori forma," quod Vir quidam cl., in aliâ causâ explicandâ, recte mihi quidem animadvertisse videtur. Ipse* WETTIUS *alicubi culpandum hoc esse monuit in* FRITZSCHIO *aliisque, quod* praepositiones *nimium prementes, semper et ubique propriam illorum significationem tenendam esse dicant. Sic* MEYERUS *e. c. verba ἐν ἀνδρὶ Act. XVII*: 31, *interpretatur:* in viro, *quum tamen sine dubio ét alibi ét h. l. ex Hebr. dicendi ratione vertendum sit:* per virum. *Non ita* HERINGA. *Servandam esse fere semper propriam verborum significationem; dicendi formulam e. c. εἶναι ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ de* coniunctione, *quae nobis cum* CHRISTO JESU *intercedit, intelligendam esse semper contendit; at simul tamen, ad usum loquendi attendens, a propria illa verborum significatione nonnumquam esse recedendum, mihi quidem recte existimasse videtur.*

Sed de ipsa eius interpretandi ratione *paulo fusius dicere iuvat.*

Conspicua erat illa, meo quidem iudicio, simplicitate *et* perspicuitate: *quarum virtutum altera tam arcte cum alterâ iuncta est, ut utraque commode iunctim a nobis possit considerari. Omnino* simplex *erat eius interpretandi ratio; nam ét verborum dictionumque significationes, ét orationis contextum, ét scriptoris, quem interpretabatur, mentem nude exponere solebat, nullâ fere adhibitâ aut varietate verborum rerumque, aut doctrinae copiâ, nisi quae ad interpretationem loci illustrandam vel comprobandam necessario requiri viderentur. Sed et* perspicua *erat, ita ut a cunctis eius auditoribus, ab iis quoque, qui ingenio, iudicio, doctrinâ parum valerent, capi facile eius mens posset. Quod minime mirandum; quae enim aliis tradere volebat, haec ipse penitus intelligebat; haec ipsi clara erant et perspicua, omnisque eius institutio eo tendebat, ut omnibus suis discipulis vere prodesset. Quod ut efficeret, perspicuitati in primis studebat. Itaque sermone utebatur puro verbisque propriis, quae rebus significandis proprie apta essent, et ad dicentis mentem clare et perspicue enuntiandam quam maxime valerent. Facilis quoque erat verborum constructio, quâ utebatur, minime impedita illa periodis iusto longius protractis et duro artificio inter se nexis: quod obtinere dolendum est e. c. in egregiis* FRITZSCHII Comm., *maxime in eius interpretatione epistolae ad* Rom. *Sed hae virtutes* cum *in caeteris cl.* HERINGA *scriptis omnibus,*

tum *in his ipsis* Animadversionibus *et* Annotatione *ubique elucescunt.*

Verum enim vero conspicua quoque erat eius interpretandi ratio summa accuratione. *Quid mirum? Haec propria illi erat et nativa. Haec dominabatur in omnibus eius dictis factisque. Haec igitur regnabat quoque in ratione, quâ Novi Foed. libros interpretabatur. Attendebat et attentos faciebat discipulos suos ad variam lectionem, ad singula verba dicendique formulas, quae aliqua illustratione indigerent, ad propriam verborum dictionumque significationem, ad loquendi usum, ad orationis contextum, ad loca similia, ad ipsius scriptoris, quem interpretabatur, dicendi, scribendi, cogitandi rationem. Exempla huius accurationis exhibent cum caetera eius scripta, in primis* annotationes, *quas* SEILERI *libro adiecit, locis in nota laudd.* [1] tum *ipsae hae* animadversionis, *et alibi, et p.* 38.

Praeterea in explicandis Novi Foed. libris iusta *erga illos* veneratione *ducebatur. Quum autem* iustam *dico venerationem, intelligo eam, quam* PARAVIUS *l. l. descripsit. Hanc desideramus in hodiernis interpretibus haud paucis,* RÜCKERTO, FRITZSCHIO, WETTIO, *aliis: quippe qui accurate quidem et sincere explicare studeant, quid Novi Foed. Scriptores cogitaverint et a*

---

[1] *Vid. ad p.* 35, 40, 57, 59, 84, 90, 92, 220, 289, 316 *sq.* 440-452; *quibus locis plurima habentur, ad regulas* Hermeneutices *accuratius constituendas valentia.*

lectoribus suis cogitari voluerint; sed de illorum dictis sententiisque ita saepe loquantur, ut iustam illorum venerationem magno cum animi dolore desideremus. Contra HERINGA*: quod videre est cum ex* ann. SEILERI *libro adiectis* ([1]), tum *ex his ipsis animadverss.*, *in primis ex iis, quae de* Apostolis divino Spiritu edoctis et adiutis, *p.* 8-29, *de* divina auctoritate MOSIS legatoris et caeterorum Vatum Israëliticorum a Christo stabilita, *p.* 30-51, *de* Vaticinationum, in Veteris Test. Codice scriptarum divina origine et auctoritate, *p.* 52-86, *de* libris Veteris Test. pro divinis habendis *p.* 87 *sqq.*, *de* auctoritate *denique* et utilitate librorum Veteris Test. *p.* 100-118 *scripsit. Addo*, *quae monuit in muneris initio*, *ad* ERNESTII instit. interpr. N. T. P. I. S. I. C. I. § 17, de *rationis in interpretandis literis s. abusu*: »Exemplum," inquit, »sumi potest ab historico scriptore vetere, qui res factas refert." Hic si aberret a vero, interpres non potest dicere: »locus ita ex»plicandus est, ut verum dicat." Sic, si Philosophus Graecus aut Romanus opiniones falsas proferat, interpres stultus esset, qui vellet ita explicare, ut rationi conveniat. — Vel sic tamen fatendum est, interpretem iustum et aequum pronum esse ad explicandam ita Scriptoris mentem, ut rationi sanae conveniat. Neque enim Scriptor facile sibi ipse

([1]) *Vid. ad p.* 16, 66, 78 *sq.* 139, 148-150, 156, 161-163, 166 *sq.* 173, 176, 179 *sq.* 182 *sq.* 192 *sq.* 228 *sq.* 233, 240, 353-355, 356, 361 *sq.* 372 *sq.* 374, 386, 413-417, 418-420, 421-423.

repugnat. Scriptor doctrinae accuratae laude conspicuus, non facile inepta dicere existimandus est. Scriptor diligentissimus in vero exquirendo, non facile turpissimum errorem commisisse dicendus est. Scriptor, de cuius divina auctoritate aliunde persuasum nobis est, non potest scribere, quae Deo indigna sunt. — Verum hic oritur ea quaestio, de rationis usu in interpretandis s. libris. Olim, qui hos libros ratione interpretandos dicerent, sic statuebant: »hi libri sunt divini. Igitur nihil iis in»est vero contrarium." Quid autem sit verum, quid vero contrarium, ipsi ratione *sua* volebant dirimere. Cum igitur quid occurreret, quod videretur a vero alienum, ita id interpretandum dicebant, ut opinionibus suis conveniret. Sic SOCINUS et Scriptor libri: *Philosophia s. s. interpres*. — Recentiores vero eo ipso utuntur, ut libros s. repudient, Scriptores s. damnent: hactenus rectius agentes. Utrique vero falluntur, modo diverso. Erroris autem fons idem est." — *Ita et postea in annotat.* ad KEILII *Elem. Herm. Prolegg.* § 2, *ad illud:* alia multa, ob quae librorum N. T. interpretandorum peculiaris quaedam est ratio: »Quorum praecipuum," inquit »in eo est, quod sint *libri sacri*. Hinc requiritur *a.* maior diligentia et cura, et quasi sancta quaedam timiditas; *b.* veritas et sanctitas dictorum demonstranda est et vindicanda; *c.* indicandum est momentum eorum ad docendos emendandosque homines eorum temporum, quibus scripti sunt, et nostrorum quoque; *d.* convenientia et consensus unius Scriptoris

cum altero est demonstrandus; *e.* progressus indicandus est patefactionis divinae, per CHRISTUM et Apostolos procuratae; *f.* vaticinationum eventus est declarandus; *g.* mysteriorum et miraculorum singularis est ratio." — *Atque haec ipsa veneratio, qua libros ss. eorumque Scriptores est prosecutus, maximam vim habuit atque efficacitatem in ratione et oratione, qua Novi Foed. libros fuerit interpretatus. Non sicco et sterili utebatur sermone, sed vivido et quodammodo eleganti. Imo quo maioris erat momenti argumentum, in quo explicando versabatur, eo vividior et elegantior erat quoque eius oratio. Fulgebant tum saepe eius oculi, atque ex omni vultus corporisque habitu unicuique patebat, quam intime persuasum ipsi esset de iis, quae nobiscum communicaret, et quantopere eorum gravitatem persentisceret!*

Cernebatur porro in hoc egregio librorum Novi Foed. interprete vera liberalitas, *ita ut de illo affirmari possit, quod de* ERNESTIO *dixit* VOORSTIUS (1): »*Libertatem ingenii humani cum in s. literis interpretandis, tum etiam in omnibus partibus doctrinae, et ipse tenuit, et aliis concessit fortiterque tuitus est. Palam laudavit ingenuos conatus religionis disciplinam magis magisque repurgare adnitentium; sed pravam illam nonnullorum in mutando et reformando ultra fas progredientium levitatem et effrenatam libidinem assidue arguit; — longe optimum censens*

(1) Orat. laud. *p.* 39 *sq.*

»medium sequi, quod tantum a licentiae temeritate, »quantum a servitutis vel stupore vel timore seiunctum »esset." *Manifestavit hanc veram liberalitatem iam inde ab initio in* Orat., *quam munus suum auspicaturus habuit* de Theologiae in scholis institutione ad praesentem reipublicae Christ. conditionem prudenter accommodandâ, *d.* 5. *m. Junii a.* 1794. *Probant illam ét caetera eius scripta ét ipsae hae animadversiones. Quibus addo, quae notavit ad* ERNESTII *instit. interpr. Prolegg.* § 1, *de interpretatione librorum ss. summo*, h. e. primo et principe *Theologi munere:* »Hac autem nostra aetate" *inquit* »in primis commendanda est accurata interpretatio N. T. duplicem ob causam. *Prior* in eo est, quod quam plurimi Viri docti tum Philosophi, tum etiam Literatores, q. d. animum avertant a doctrina Christiana, pro eaque substituant opinionum suarum quoddam systema, quod a Theologia sapientissimorum Graecorum ac Romanorum vix differat, nisi quod colorem quemdam a JESU et Apostolorum dictis accipiat, horumque vita, doctrinam salutarem factis exprimente, commendetur. Qui tamen depravatores, nescio qua placendi cupiditate, sacras literas non aperte reiiciunt; verum detorquendo et perverse interpretando mirum quantum deformant, suis ut commentis fucum faciant, ab iisque omnem invidiam avertant. His igitur quomodo occurri poterit, nisi accurata librorum s. interpretatione? Verum *altera* causa in eo est, quod frequens admodum eorum sit numerus, qui, dum s. literarum et Christianae religionis honorem

adversus hos depravatores defendere conentur, simul veteris aevi scholastici commenta tueri satagant, quibus s. literarum honos misere contaminatus est; a quibus vero nisi purgetur Theologia scholastica, vereor, ut in maximum veritatis et pietatis detrimentum aliquando cedat ipsa illa defensorum Christianae rei sedulitas. Hanc igitur perversam curam quomodo possumus et ipsi evitare et in aliis reprehendere, nisi accurata s. librorum explicatione, qua appareat, quid vere tueri nos oporteat, quid minus, quid doctrinae Christianae nomine dignum defendere, quid diligenter ab ea separare?" — *Ita et recentiore tempore ad* KEILII *Elem*. P. I. C. I. § 9, *de notitia historica auctoris libri cuiusque, qua instructum esse oportet futurum N. T. interpretem*: »In libris *historicis*," inquit, »hoc magni est momenti ad diiudicandam auctoritatem et fidem narrationis: in *dogmaticis* et *prophetico* uno ad cognoscendam vim et auctoritatem disciplinae et vaticinationum, quas hi libri exhibent. Itaque in singulis videndum est, quinam sint hi scriptores, qua fuerint opportunitate, res, quas enarrent, vel suis oculis et auribus videndi audiendique, vel e certis rerum gestarum testibus cognoscendi; qua diligentia et fide in his referendis fuerint versati; quem in his delectum fecerint; quid maxime in narrando spectaverint; quomodo hi, qui easdem res narrarint, conspirent aut discrepent, et unde ille consensus et varietas oriantur. Atque id maxime valet *cum* de LUCA et MARCO, Euangelistis, PAULLI PETRIque

adiutoribus, *tum* de MATTHAEO et JOHANNE, ipsis JESU apostolis. Similiter in epistolis videndum est, quinam sint scriptores, maxime earum, de quibus dubitatur, ut epistolae *ad Hebr.*, epistolarum JACOBI, JUDAE et *posterioris Petrinae*, ne de aliis dicam, sive libris, sive epistolis, quarum *αὐθεντία* in dubitationem a recentioribus Criticis est tracta. In singulis autem epistolis spectentur ingenium et animus scriptorum, dicendi scribendique singularis character, externa scribentis conditio et rerum adiuncta, in quibus positus fuit, et quam vim ea habuerint ad argumenti delectum, dispositionem scripti totamque epistolae formam. Inprimis spectanda est scribentis persona, eiusque munus apostolicum. Item quid impulerit eum ad scribendum, quid maxime in scribendo spectaverit, quo loco ac tempore scripserit. Quae quidem omnia aliquam habent vim, saepenumero magnam, ad iudicium de sensu dictorum regundum. Cf. additamentum, quod inserui libro SEILERI de *Hermeneut. s.* p. 440-452, et W. A. VAN HENGEL diatr. scripta pro praemio legati *Teyler. over den invloed der karakters en denkw. van de Evangg. en App. op derzelver ss. in Opp. Teyl. Soc. ad relig. nat. et patef. pertinentium*, vol. XXVII. a. 1815."

Inerat quoque illi magna modestia: *unde saepius in difficiliorum locorum interpretatione aut modeste suam pronunciabat sententiam, aut in doctt. Virorum dissensu nihil ipse decernens, quid ab utraque parte afferri posset, unice monebat. Sic e. c. in explicando*

1 *Joh. V*: 20, *ad illa*: *οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεὸς, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος*: »Quaeritur," *inquit*, »utrum οὗτος sit *ille* Pater *ὁ ἀληθινὸς*, an *hic* Filius eius JESUS CHRISTUS. Utraque sententia habet suos defensores: *illa* non tantum interpretes, *Socinianis* faventes, sed et divinae CHRISTI naturae vindices, ut MORUS, de KEYZER, [in disp. ins. *Opp. Soc. Hag.* a. 1813. V.] p. 31, 32. — JESUM CHRISTUM indicari haec argumenta videntur probare: 1). Pronomen οὗτος frequenter ad proxime antecedentia refertur. Respondetur: referendum etiam saepe est ad remotius, ut 2 ep. s. 7. Act. IV: 10, 11. X: 6. VII: 19. — 2). Pater Domini nostri JESU CHRISTI numquam dicitur *ἡ ζωὴ αἰώνιος*, cum saepius ita a JOHANNE dicatur Filius, ut C. I: 1, 2. V: 11, 12. Eu. C. XI: 25. Resp. Dici tamen potest commode, quia nobis dedit vitam aeternam, C. V: 11, 12. — 3). Videtur tautologia inesse, cum iam bis dictus esset Pater *ὁ ἀληθινός*. Resp. Non est haec tautologia, sed gravis admonitio repetita, quae JOHANNIS scribendi rationi est propria. Cf. C. I: 1-3. II: 11. III: 9. IV: 18. — *Deum Patrem* indicari haec argumenta videntur probare: 1). In eo est JOHANNES, ut Patrem laudet *τὸν ἀληθινόν*. Itaque durum videtur mox dici de Filio: *οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεός*. Resp. Ita fit, ut indicetur, CHRISTUM quoque esse vere Deum cum Patre, atque adeo ratio reddatur, quare dicendi sint cum Patre iuncti, quotquot cum Filio iuncti sunt. — 2). Alibi nominatim Pater dicitur *ὁ ἀληθινὸς Θεὸς*, et *ὁ μόνος* quidem, in eoque

cognoscendo ἡ αἰώνιος ζωή. Itaque convenientius est, idem h. l. dictum sumere. Resp. Attamen et CHRISTUS in *Eu.* JOHANNIS est Θεός, C. I: 1. XX: 28. — 3). Opponitur ὁ Θεὸς ἀληθινὸς sect. 21 τοῖς εἰδώλοις· id quod Deo Patri magis convenit. Cf. Joh. XVII: 3. 1 Cor. VIII: 5, 6. Resp. Potest etiam haec disiunctio fieri Filium inter et deastra. — Singularis est sententia SOCINI. Pron. οὗτος refert neque ad Patrem, neque ad Filium, cuius praecessit mentio, sed ad totum enunciatum, ut sit οὗτος pro τοῦτο, genus autem masc. positum sit pro neutro, ut conveniret cum eo, quod statim subiicitur, et quod prior pars totius est praedicati: unde hanc efficit sententiam: *in eo, quod diximus, est verus ille Deus et vita aeterna; nam quatenus quis habet et cognoscit* CHRISTI *Patrem et ipsum* CHRISTUM, *habet et ille verum Deum et vitam aeternam.* Refutavit eum EPISCOPIUS, qui pronomen οὗτος ad JESUM CHRISTUM refert. — Coniungit utramque sententiam sic VENEMA in Exerc. III *de vera Christi divin.* §§ 12-20, ut pron. οὗτος referatur cum ad Patrem, tum ad Filium. — Alii prius οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθ. Θεὸς ad Deum Patrem; posterius καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος ad Filium referunt. — DOEDERL. *Instit. Theol. Christ.* I: 326 ultima verba καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος a superioribus discerpit, ut sententia sit: *in hac cognitione est vita aeterna.* Quod quam durum sit monuit J. VAN VOORST, in disp. ins. *Opp. Soc. Hag.* a. 1787. p. 73 sq. n. — TELLERI ἀκρισίαν, vocem Θεὸς e textu eiicientis, notavit cl. ROYAARDS, in diatr. *de divin.* JESU CHRISTI

vera, p. 143 sqq. Hic vulgarem interpretationem defendit, quam professi quoque sunt STRONCK. *Spec. laud. p.* 52 et V. TRICHT, [in disp. ins. Opp. Soc. Hag. a. 1813. V.] p. 61, contradicente Censore in *Bijdr. tot de Godgel. Wetensch.* 1816. p. 228-234."

Denique moderate leniterque *ét alios scriptores ét illorum sententias diiudicabat, ipse tenuitatis suae sibi conscius: quam moderationem desideramus in nonnullis, iisque egregiis interpretibus, maxime in* FRITZSCHIO, *quem continue in* RÜCKERTUM, WETTIUM, *alios, in primis* THOLUCKIUM *vehementer invehi dolendum est et improbandum; nam haec agendi ratio ét viro docto ét praesertim librorum Novi Foed. interprete, ne dicam homine Christiano prorsus indignum est. Non ita* HERINGA. *Aperte quidem de aliorum scriptis et interpretationibus sententiam suam dicebat; numquam vero quasi ex tripode loquebatur; neque conviciis eos vulnerabat. Contra vero mitis fere semper erat eius oratio et placida: ut adeo hoc quoque de illo dici possit, quod de* ERNESTIO VOORSTIUS *affirmat* (¹): »*Erat summa in* ERNESTIO *iudi»candi facultas de aliorum inventis. Neque dictatoris »instar sententiam pronunciare solebat. — Erat in refu»tando parcus et moderatus, — lubentius laudans, quam »notans.*" *Exempla huius virtutis exhibent hae ipsae* Animadversiones; *quibus addere iuvat iudicium, quod de* SEMLERO *tulit ad* KEILII *Elem. Prolegg.* § 4. »De »SEMLERO autem," inquit, »nominatim dicendum

---

(¹) *Vid. eius* Or. *laud. p.* 22 *sqq.*

est, quandoquidem, ut ait KEILIUS, *eius ope rectior de explicandis N. T. libris praeceptio et circumferri et adhiberi — coepta est.* SEMLERUS igitur, Theol. *Halensis*, Hermeneuticen quidem non revocavit ad artem principiaque universa, neque eius libri proprie praecepta continent; sed observationes dedit selectas notitiamque instrumentorum, quibus tirones in interpretando uterentur. Ex hoc genere sunt eius *Vorbereitung zur theol. Hermeneutik*, et qui plures afferuntur libri a KEILIO, not. *f*. In hoc autem genere magna eius sunt et praeclara merita. Fuit enim is primus, (iudice NOESSELTO, in *Narratione* a KEILIO laud. p. LI), qui universum illum apparatum ad eorum cognitionem ita transferret, ut firma interpretationis fundamenta iaceret, eiusque quasi quemdam gustum acueret. In critico quidem s. librorum, maxime N. T. studio, superavit omnes, qui ante eum in eodem genere versati fuere, quamquam haud paulo verior fuerit in textu castigando, quam in ipsa librorum quorumdam auctoritate labefactanda, in utroque saepius lapsus. Cf. Disput. mea de *Critices usu et abusu*, Nihilo minus de N. T. textu ita bene meritus est, ut ante eum nemo, sive de textu ipso quaeratur, sive ac multo etiam magis de eius recte constituendi modo. Nulla certe pars est huius causae, nullus ad eam cognoscendam excutiendus locus, nullum genus instrumentorum, quibus in constituendo textu utaris, quod non attigerit, locupletaverit, novumque aut uberiorem firmioremque ad usum traduxerit. Codicum singu-

lorum auctoritatem nemo ante eum tanta cura definire annituit; Codicum Graeco-Latinorum auctoritatem nemo ante eum recte aestimavit; recensionis, quam dicunt, varietatem, et diversas, quoad textum, quasi quasdam codicum familias, non modo cum BENGELIO vidit; sed eorum quoque veluti characterem adumbravit, textumque e variis recensionibus mixtum observavit; antiquitatem textus a codicis vetustate segregavit; causas et fontes varietatis feliciter aperuit. E versionibus Latinas veteres singulari studio persecutus est. Haec igitur in crisi N. T. exercenda praestitit SEMLERUS. Sed, si verum fatendum sit, non aeque feliciter est versatus in sensu verborum et orationis universae inveniendo. Non, quod doctrina ei deesset aut studium, sed defuit ei, iudice NOESSELTO, in caeteris eius laudatore, ingenii quaedam subtilitas, quâ cernere possis significationum varietates et leves quasi umbras, ab ingenio consilioque cuiusque scriptoris profectas, item consilium scriptorum s. habitumque orationis et tenorem, e quo singulae partes suum quasi eo in loco proprium colorem nanciscantur. Deerat etiam SEMLERO facultas omnia versandi in omnes partes, eandem rem cogitandi multis variisque modis, ingenium suum accommodandi scriptorum s. ingenio, et quae eorum sunt propria ita sentiendi, ut vultum quasi et os exprimeret. Deerat ei facultas apte, copiose subtiliterque dicendi, vis ad declarandum sensum, eumque non utcunque, sed presse et perspicue exprimendum. Ingenium eius, paulo aspe-

rius, non admodum flexibile, aut imitando perpolitum, neque varium aut copiosum, peperit etiam dicendi genus minime elegans, sed molestum quadam barbarie, obscuritate, et verborum formularumque, quibus adsuetus esset, frequentatione. Accedit studium eius et fervor impugnandi et contemnendi, quae pristini temporis Theologi rata habuerant, quibus evertendis maiorem dedit operam, quam melioribus iisque certis substituendis: quod quidem periculosum studium multos in libris exegeticis peperit excursus, valde molestos et ad scriptoris s. mentem intelligendam nihil quicquam facientes, quin et caliginem ei obducentes. Vidit quidem SEMLERUS nonnulla, quae aliorum interpretum aciem effugerant, sed plus vidisset, nisi festinantius suos scripsisset libros, ac praeter veteres etiam suae aetatis interpretes consulere voluisset. — Haec, quae minus benique de SEMLERO iudico, partim etiam pertinent ad id, quod KEILIUS initio notae *f.* scribit: *Omnium primus*, inquit, *quam necessaria esset historica interpretatio in scripturae quoque explicatione ostendit.* Scilicet historica interpretatio nostro tempore ea dicta est, quae scriptoris s. mentem et consilium exponit ex historia temporum et locorum, quibus scriptor vixit et librum composuit, item opinionum, studiorum, rituum, morum, disciplinarum, occasionis scribendi, ingenii eorum, ad quos scribitur, rerum gestarum et eventorum et sim. In hac igitur historica interpretatione minime primus ac princeps est habendus SEMLERUS; nam op-

timi quique semper interpretes eius rationem habuerant; sed ille magis in eo genere laboravit, maxime vero in ea parte, quae pertinet ad ingenium, opiniones et animum Iudaeorum, qui viverent eo tempore, quo s. libri scriberentur, aut res in illis narratae agerentur. Verumtamen in his Vir doctus quoque nimius fuit, et in inveniendo callidior, quam in ponderando iustior. Adiunxit porro his inventis periculosum errorem, quo sibi persuasit, CHRISTUM et Apostolos multa dixisse ac scripsisse, prorsus accommodata ad perversas suorum hominum opiniones. Multo veriora docuit, SEMLERIque opinionibus contraria STORRIUS in dissert. *de sensu historico* a. 1771, postea *Opuscc.* eius inserta." [1].

Talis igitur Theologus, talis librorum Novi Foed. Interpres fuit Vir desideratissimus, me quidem iudice, qualem paucis eum adumbravimus. Sic ego ét libros illos interpretantem, ét Theologiam, Biblicam illam, tradentem illum audivi, imo saepe etiam admiratus sum. Utinam plura scripta exegetica et hermeneutica reliquisset, quae edi possent! Sed quae exstant, parum sunt absoluta: quo magis confido, lectores, in primis Viri clarissimi discipulos et amicos grato animo haec esse accepturos. Nos autem illius vestigia in dies magis magisque premamus, non, ut in verba eius iuremus, et subsistendum esse putemus, quo ille pervenit; sed ut, Novi Foed. libros praeci-

---

[1] *Cf.* VOORSTII Or. *laud. p.* 41 *sqq. et p.* 64 *sq. n.* 59. *V.*

puum doctrinae Christianae cognoscendae fontem habentes, ulterius progredi conemur, adhibitisque subsidiis, quae nostra nobis tempora praebent quam plurima, in his germanâ quoque Philosophiâ, et ipsos Novi Foed. libros accuratius etiam interpretemur, et vero etiam ipsum Evangelium, *utpote δύναμιν Θεοῦ εἰς σωτηρίαν πάντι τῷ πιστεύοντι, ducibus ipso* JESU *et Apostolis, melius intelligamus; nam, quod praeclare monuit* CALVINUS (¹) : perfectissimi cuiusque summa sapientia est proficere, placidaque docilitate longius eniti.

Scripsi in Acad. Rheno-Traiect. m. Junii a. 1845. H. E. VINKE.

(¹) Instit. Relig. Christ. L. III. C. II. S. 4.

CONSPECTUS.

ANIMADVERSIONES

DE

LOCIS NOVI FOEDERIS,

QUORUM PRAECIPUUS EST USUS IN PROBANDIS DOCTRINAE CHRISTIANAE CAPITIBUS.

ANIMADVERSIONES

DE

LOCIS NOVI FOEDERIS,

QUORUM PRAECIPUUS EST USUS, IN PROBANDIS DOCTRINAE CHRISTIANAE CAPITIBUS.

PRAEMONENDA.

Praecipuus doctrinae Christianae fons est in Novi Foederis libris, quorum adeo intelligendorum summa est necessitas ad eam doctrinam inveniendam et percipiendam. Nemo certe Theologi nomine dignus erit, nisi qui, Apostolorum et Euangelistarum libris diligenter perlustratis, distincte intelligat, quid singulis insit, ad Christianae religionis placita pertinens.

His vero libris plurima insunt, ad doctrinam Christianam inveniendam ac percipiendam parum vel nihil profutura. Primum enim magna eorum

pars absolvitur narratione rerum gestarum, pertinentium ad vitam CHRISTI, JOHANNIS Baptistae, Apostolorum et Euangelistarum, ut et ad ortum atque incrementum societatis Christianae, singulorumque coetuum, ad fata item Judaeorum et alienigenarum, Christianae religioni vel addictorum, vel adversantium. Multa quoque deprehenduntur, ad gentium, cum Israeliticae, tum aliarum ritus, mores, instituta pertinentia. Aliae Novi Foederis partes referunt CHRISTI et Apostolorum dicta scriptaque, opposita singularibus temporum istorum erroribus ac vitiis, comparata ad vituperandos, refellendos, emendandosque errantes ac peccantes, ut et ad genuinos CHRISTI cultores monendos tuendosque. Nec pauca his insunt libris monita ac praecepta, accommodata ad singularem hominum, locorum ac temporum conditionem, minime ad omnium Christianorum perpetuam institutionem trahenda. Porro CHRISTI et Apostolorum orationibus et collocutionibus, horumque epistolis multa insunt, amorem, curam, solicitudinem, gratumque animum significantia, quibus illi suos prosecuti sunt amicos et discipulos. Denique exhibent hi libri, nominatim vero Apocalypsis Johannea, vaticinationes de religionis ecclesiaeque Christianae fatis prosperis et adversis, et de felicissimo exitu, quem tandem bona earum causa est habitura. Quae quidem omnia multum valent ad illustrandam, commendandam, defendendam doctrinam religionemque Christianam, arcteque sunt iuncta cum historia CHRISTI et eccle-

siae Christianae; at parum valent, vel nihil ad inveniendam aut percipiendam ipsam CHRISTI et Apostolorum doctrinam.

Quae vero in Novi Testamenti libris proprie ad doctrinam Christianam cognoscendam scripta leguntur, non unius sunt generis. Primum enim sacer hic codex multa complectitur Theologiae sive naturalis, sive Israeliticae capita, laudata quidem et probata a CHRISTO et Apostolis, doctrinaeque adeo Christianae partem facientia; verum tamen nec primum ab iis tradita, neque eorum potissimum auctoritate nixa. Porro quae proprie dicitur doctrina Christiana, diversis constat partibus, quarum aliae majoris, aliae minoris sunt momenti ad fidei pietatisque Christianae sinceritatem servandam ac tuendam: unde etiam Theologi *articulos* dicere solent, alios *fundamentales*, alios *minus fundamentales*. Denique in his doctrinae Christianae capitibus praecipuis nonnulla sunt tam aperta et manifesta, ut nemo eorum, qui dictis scriptisque Apostolorum fidem habeat, de iis dubitare possit. Cujusmodi haec sunt: CHRISTUM hominem vixisse, mortuum fuisse, in vitam rediisse. Alia vero minus perspicue aut frequenter tradita et a multis in dubium vocata, disertis sunt testimoniis probanda et contra repugnantium assertiones vindicanda.

Loca igitur, quibus diserta insunt testimonia, praecipuis doctrinae Christianae capitibus confirmandis ac defendendis apta, prae caeteris dicuntur

probantia, maximique sunt momenti ad Theologiam Christianam.

Sed horum locorum prudens est instituendus delectus. Nam e magna, quae aliquando occurrit idoneorum testimoniorum copia, eligenda sunt, quae prae caeteris magnam habent evidentiam et ad demonstrandum vim singularem. Omnino aut omittenda sunt, e quibus, sive propter lectionem textus Graeci merito suspectam, sive propter dubiam interpretationem, nihil certi pro causa, quam tuemur, effici poterit. Praeterea spectanda est varia libellorum Novi Foederis auctoritas: cum enim plerique sint ὁμολογούμενοι, nonnulli ἀντιλεγόμενοι, illorum magis quam horum habenda est ratio. Quoties denique loca, alia ipsius CHRISTI, alia Apostolorum testimonia exhibent, toties oportet nos, primum audire summum Doctorem, deinde discipulos eius et legatos.

Ejusmodi loca probantia, prae caeteris vim ad persuadendum et convincendum habentia, appellantur a Theologis *dicta*, vel *loca classica*, quemadmodum *classici Scriptores* dicuntur praestantissimi, maxime probati, et *testes classici*, qui integrae sunt fidei, quorum testimonio tuto nitaris.

Huiusmodi loca de industria tractarunt SEBAST. SCHMIDIUS in *Collegio biblico priore et posteriore* Argentor. 1671. FRANC. JULIUS LUTKENIUS in *Collegio biblico, secundum locos Theol. adornato*, Germanice Hafn. 1715. FRIDER. SAM. ZICKLERUS, in *Ausführl.*

Erklärung der beweissprüche d. H. Schrift in der dogmat. Gottesgelährth. 4 Partt. Jen. 1753—1764; laudati a WALCHIO in *Biblioth. Theol. selecta*, Vol. IV. p. 845-847, et EMO LUCIUS VRIEMOET in *Adnotationibus Philologico-Theoll. ad dicta classica Theol. dogm. V. T. selectis*, Fran. 1743-1758. (1) Alii singulis locis Theologicis, in Systematis formam redactis, praemiserunt ss. librorum dicta, e quibus sedulo explicatis summa doctrinae Christianae ducatur. Hanc viam e Germanis, laudante WALCHIO, p. 848 ingressi sunt ABRAH. CALOVIUS, in *Apodixi articulorum fidei, e solis s. scripturae ll. credenda* demonstrans, Luneb. 1684. 4. et CHRIST. EBERH. WEISMANNUS in *Institutionibus Theol. exegetico-dogmat.* Tub. 1739. 4.; e nostratibus vero PETRUS A MASTRICHT in *Theoretico-practica Theologia, qua per singula Capp. Theologiae, pars exegetica, dogmatica, elenchtica et practica, perpetua successione conjunguntur*, Traj. ad Rhen. 1682, et tertia parte auctior repet. 1715. 4 (2). Recentiore aetate praecipua doctrinae Christianae capita e locis veteris Novique Testamenti curatius explicata duxerunt GOTTH. TRAUGOTT ZACHARIAE in *Biblische Theologie* Goett. 1774, 5. 4 voll. 8., quibus post eius mortem quintum addidit JOH. CAR. VOLBORTHUS, ed. 3. Goett. et Lips. 1786, item GUIL. FRID. HUFNAGEL *in Handb.*

---

(1) Cf. de VRIEMOETH l. CLARISSE, *Encyclop. Theol. Epit.* § 83, a. 5. ed. 2. V.

(2) Cf. de h. l. CLARISSE, l. l. § 88. a. 121. V.

der bibl. Theol. Erl. 1785-1791. 2 Voll. 8 (1); ne dicam de AMMONII aliorumque recentiorum curis minus probandis. (2)

Mihi quidem, commilitonum honesto desiderio, quoad eius fieri possit, Deo imprimis adiuvante, satisfacturo, propositum est, ex singulis Theologiae Christianae capitibus, secundum ordinem a me receptum dispositis, seligere loca, prae caeteris probandi vim habentia, simul autem aliqua illustratione aut vindicatione indigentia. In his vero tractandis praemittam, quoties ea re opus fuerit, observationes criticas de lectione vulgata retinenda, vel mutanda. Tum quae ad interpretationem grammaticam et historicam requiruntur, monebo; atque ita sententiam loci propositi definiam. Tandem quid ex eo duci possit ad doctrinam Christianam inveniendam et percipiendam, erroresque vitandos aut confutandos docebo. Saepius vero ex variis ss. librorum locis, maxime vero e dictis CHRISTI aut singulorum Apostolorum, inter se invicem collatis, mentem eorum paulo plenius exhibebo, quam ex uno aut pluribus disiectis locis fieri poterit.

Itaque in nostra disquisitione sumitur tum

---

(1) Cf. de h. l. CLARISSE, l. l. § 83. a. 14. V.

(2) Alios laudd. vide tum a BRETSCHNEIDERO, *Systemat. Entwickel. aller in der Dogm. vork. begriffe*, § 14. ed. 4. tum a CLARISSIO, l. l. § 83. a. 6. 8. V.

authentia librorum Novi Testamenti, tum etiam auctoritas CHRISTI et Apostolorum in docendo, tum denique fides scriptorum ss., nominatim MARCI et LUCAE in referendis eorum dictis.

Caeterum in omni hoc instituto operam dabo commilitonum iudicio acuendo: quo facto spero fore ut ipsi quaerere et intelligere propria exercitatione discant, quid in Theologia scholastica vulgari verum sit ac certum, quid veri simile et probabile, quid denique plane incertum ac falsum. Quod ut Deus o. m. benigne fortunet, enixe precamur.

APOSTOLI DIVINO SPIRITU EDOCTI ET ADIUTI.

Apostolos in docendo fuisse Spiritu divino edoctos et adiutos credere nos iubent promissa, quibus ipse CHRISTUS saepius eos admonuit et consolatus est.

MATTH. X: 19, 20, coll. LUC. XII: 11, 12.

CHRISTUS in oratione, qua duodecim Apostolos, modo electos, docuit, quid ipsis faciendum ac tolerandum foret, referente MATTHAEO, Cap. X, Sectt. 19, 20, *primum:* ὅταν δὲ, inquit, παραδιδῶσιν, (varia lectio non omnino improbanda παραδώσουσιν[1]) ὑμᾶς, μὴ μεριμνήσητε, πῶς ἢ τί λαλήσητε (varia lectio non contemnenda λαλήσετε[2]). Quorum sententia

---

(1) Vid. GRIESB. ad l. qui tamen in *Comment. crit.* Part. I. p. 107 hoc παραδώσουσιν e vs. 17 repetitum indeque παραδώσωσιν enatum esse contendit. Cf. et c. A. F. FRITZSCHE *Comm. in Ev. Matth.* ad l. ubi, »pessime," inquit »alii libri παραδώσουσιν exhibent," negans, ὅταν cum Indicativo in N. T. componi; et ad Marc. III: 11, p. 85—88, ubi de particulae ὅταν usu in N. T. disserit explicatius. LACHMANNUS in ed. N. T. stereot. 1831 et TISCHENDORFIUS, in ed. N. T. 1841, lect. παραδῶσιν in textum receperunt. V.

(2) Cf. tamen FRITZSCHE, qui ad l., me quidem iudice, vere monet: »Quum autem discriminis hoc sit, ut coniunctivus sollicitam

est: *Quum vero* homines, vobis inimici (cf. sectt. 17, 36) *vos tradant* magistratibus Judaeis, aut praesidibus Romanis, aut regibus etiam (cf. sectt. 17, 18) *ne soliciti estote, quomodo aut quid locuturi sitis.* Admonitioni subiungitur promissio, quae ab optimis diversarum familiarum testibus refertur, quemadmodum exstat in vulg. edit., quamvis ab cognatis omissa sit propter *ὁμοιοτέλευτόν*. Tuto igitur hanc partem retinemus: *δοθήσεται γάρ ὑμῖν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, τί λαλήσετε* h. e. *dabitur enim vobis* divinitusque suggeretur [1], *eo ipso temporis articulo, quid locuturi sitis.* Denique additur: *οὐ γάρ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες, ἀλλά* [2] *τὸ πνεῦμα*

»curam, Futurum temporis, in quod haec cura incidat, rationes »nos cogitare jubeat, longe hic praestat coniunctivus non tantum »ob potestatem v. *μεριμνᾶν*, sed quod optime *λαλήσητε* prius ad »indicandam Apostolorum sollicitudinem, *λαλήσετε* ad opponendam »Jesu securitatem coniuncta videntur. Male igitur, nescio quis, »aequalitatem restituturus erat." V.

(1) Ita et WETTIUS (DE WETTE), *Kurze Erklär. des Ev.* MATTHÄI ad l.: »*Es wird euch* von oben, vom Geiste Gottes (v. 20) *gegeben werden.*" V.

(2) De particc. *οὐκ—ἀλλά* vid. WINER, *Grammat. des Neutestam. Sprachidioms* ed. 4. p. 462—465, inpr. p. 464, ubi locum, de quo agimus, interpretandum esse recte monet ex hac regula: »in andern »Stellen ist aus *rhetorischem* Grunde die unbedingte Negation statt »der bedingten (relativen) gewählt, nicht um reëll (logisch) die »erste Vorstellung schlechthin aufzuheben, sondern um alle Auf»merksamkeit ungetheilt auf die zweite hinzulenken, so dass die »erste gegen sie verschwinde", atque declarat: »Ich glaube daher, »dass überall *οὐκ—ἀλλά*, wo es *non tam, quam* dem logischen »Sinne nach heist, dem rhetorischen Colorit anheimfällt und deshalb »in der Uebersetzung (wie von allen bessern uebersetzern gesche-

τοῦ πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν, h. e. *non enim vos estis* (sive *eritis* ([1])), *qui loquimini*, vestris ingenii viribus commissi, *sed Patris vestri est Spiritus, qui in vobis* (sive *per vos*) *loquitur*, vobis quodcunque dicendum est, suggerens, beneque dicendi singularem tribuens facultatem.

Cum hoc MATTHAEI loco proxime conveniunt ea, quae tradidit LUCAS c. XII: 11, 12, atque adeo in ea libri parte, quae c. IX: 51—XVIII: 14 varia, diversis temporibus et locis dicta factaque comprehendit. (Conf. *Introitus in N. T.* Part. II. Cap. I. § 9 ([2])). Iccirco de eo dubitari potest, utrum CHRISTI

———

»hen) beibehalten werden müsse." Cff. tamen FRITZSCHE, ad l. et CHRIST. FRIDER. FRITZSCHE, *de revelationis notione biblica Comment.* Lips. 1828, p. 52 s°. Vere WETTIUS ad l.: »οὐ—ἀλλὰ ist der »sache nach nicht absolute, sondern relative Entgegensetzung oder »vielmehr Unterordnung des einen unter das andere." Cf. idem ad MATTH. IX. 13. V.

([1]) Cf. FRITSCHE ad l., qui difficultatem in v. ἔστε pro fut. ἔσεσθε latentem ita tollit, ut sumendum esse dicat h. m. »neque enim, *ubi in tales et tantas angustias adducimini*, vos verba facitis, sed" etc. Ita et c. F. FRITZSCHE Comm. laud. p. 55 V.

([2]) Laudat hic scriptor *introitum* suum in N. T. ms. in quo l. l. respondet ad quaestionem, quis Euangelista temporis ordinem secutus sit magis, MATTHAEUS ne an LUCAS, atque argumenta exponit, quibus inductus credit, MATTHAEUM magis temporum habuisse rationem, quam LUCAM, ut adeo, ubi hi discrepant in rerum narratarum ordine, MATTHAEO plus auctoritatis, quam LUCAE sit tribuendum in dirimenda quaestione de tempore, quo quaeque res acciderit. Argumenta autem illa sunt haecce: »*Primum* comperimus loca satis »multa, in quibus MATTHAEUS temporum notas diligenter addit, LUCAS »non item. *Deinde* in connectendis historiae partibus MATTHAEUS »semper fere utitur dicendi formulis et vocibus, quibus temporis

dictum a LUCA commemoratum pro eodem sit habendum cum eo, quod MATTHAEUS retulit, an ab

---

»subsecutio indicatur; LUCAS vero saepissime contentus est copula »*καὶ*, qua res rebus iunguntur, nulla temporis habita ratione. »*Porro* in JESU orationibus, quas descripsit MATTHAEUS, maior deprehenditur singulorum enunciatorum cohaerentia, unde cognoscas, »eas esse integras, sine intermissione enunciatas. Verum, quae »LUCAS retulit JESU dicta, non ita solent cohaerere, ut adeo probabile »sit, eum aliquando dicta similia sibi invicem subiunxisse, nec de »tempore, quo singula fuerint pronunciata, solicitum fuisse. *Denique* »si utriusque scriptoris diversam consideres conditionem, facile »invenies causam, quae effecerit, ut MATTHAEUS temporis ordinem »sequeretur, LUCAS non item. Etenim MATTHAEUS ipse rebus gestis »ut plurimum interfuit; LUCAS vero e diversorum relationibus de »rebus diversis, quibus ipse non interfuit, suum composuit com»mentarium. Opponitur quidem huic sententiae LUCAE de se testi»monium in Euangelii exordio, C. I. 3, ubi propositum suum de»clarat scribendi quae acceperat a fide dignis testibus, *καθεξῆς* »h. e. *ordine*. Cui vero testimonio ne hilum quidem detractum »cupimus: hoc unum observari volumus, esse et alium ordinem »praeter eum, qui ad temporum rationes unice accommodetur, h. e. »rerum ordinem apte dispositarum." [Ita et MORUS in *Defens. narrationum N. T., quoad modum narrandi*, ins. *Disserit.* ejus *Theol. et Philolog.* I. p. 25, uti et nuperrime A. EBRARD, *Wissenschaftliche Kritik der Evangel. Geschichte*, p. 116 sqq. V.] »Neque etiam »propterea LUCAS dicendus est penitus tempora neglexisse: ubi enim, »expressis verbis, temporum notas addit, non minor ei, quam »MATTHAEO, fides est habenda. Caeterum, quod de temporis ordine »diligentius a MATTHAEO servato diximus, hoc ita accipiendum est' »ut apud optimum quemque historicum scriptorem accipi solet. Nemo »enim eorum est, quin aliquando per *ὑστερολογίαν* ea narret com»modiore loco, quae fuissent antea commemoranda, si temporis »ordinem secuturus fuisset: quam igitur consuetudinem MATTHAEUS »quoque nonnunquam secutus est. Cf. C. XIV. 3 sqq. XXVI. 6 »sqq. XXVIII. 2." [Eundem sententiam tuetur EBRARD l. l. § 31—35. p. 121 et § 139. p. 1000. V.]

hoc diversum, ut adeo LUCAS promissum a CHRISTO repetitum narraverit. Est autem hic locus similis argumenti cum superiore. Pro uno λαλεῖν apud MATTHAEUM, LUCAS habet ἀπολογεῖν et εἰπεῖν. Et quod apud MATTH. tropice dicitur τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν, id magis proprie a LUCA sic enunciatum est: τὸ γὰρ ἅγιον πνεῦμα (¹) διδάξει ὑμᾶς, ἃ δεῖ εἰπεῖν.

MARC. XIII: 11, coll. LUC. XXI: 14, 15.

Id ipsum Spiritus divini beneficium CHRISTUS biduo ante mortem suis promisit Apostolis, quibuscum sedebat in olivarum monte. Cf. MATTH. XXIV: 3—14, et MARCUS XIII: 3—11. Cum enim in eo esset, ut fidelibus ministris imminentes calamitates et vexationes praenunciaret, salutisque tandem percipiendae certam spem faceret, animum iis addit promittendo singulare Spiritus s. auxilium, quoties ipsis sua doctrinaeque Christianae causa foret agenda pro magistratibus Judaeis, aut praesidibus Romanis, aut regibus etiam (coll. MARC. XIII: 9, 10, LUC. XXI: 12, 13). MARCUS quidem, PETRI discipulus, pressius CHRISTI verba videtur secutus. Ὅταν δὲ ἀγάγωσιν (pro quo apud ORIGENEM et in optimis Codd. est ἄγωσιν, quod et

(¹) Ita SCHOLZIUS aliique ediderunt, GRIESBACHIUS vero et SCHOTTUS habent τὸ γὰρ πνεῦμα ἅγιον, nulla tamen varia lect. notata: quod animadversum jam video a WINERO l. l. § 19. p. 125. V.

GRIESBACHIUS in textum recepit (1), *ὑμᾶς παραδιδόντες, μὴ προμεριμνᾶτε τί λαλήσητε, μηδὲ μελετᾶτε,* (quamvis enim h. *μηδὲ μελετᾶτε*, sive, ut ORIGENES habet *προμελετᾶτε* absit a nonnullis codd. et verss. possitque videri glossema, tamen retinendum est, quippe facillime a librariis omissum, et MARCI ubertati in scribendo convenientissimum (2); *ἀλλ' ὃ ἐὰν δοθῇ ὑμῖν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, τοῦτο λαλεῖτε· οὐ γάρ ἐστε ὑμεῖς* (3) *οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.* Quorum sententia haec est: *quum vero* vestri adversarii *ducant vos* iudicibus tradendos, *ne antea soliciti estote, quid locuturi sitis, nec meditamini; sed quicquid vobis eo ipso temporis articulo dabitur*, divinitus suggestum, *id loquimini; non enim vos estis* (vel *eritis*) *qui loquimini, sed Spiritus sanctus.*

LUCAS paulo liberius et fusius verba CHRISTI hunc in modum refert: *Θέσθε* (4) *οὖν εἰς τὰς καρδίας* (5) *ὑμῶν μὴ προμελετᾷν ἀπολογηθῆναι. Ἐγὼ γὰρ δώσω*

(1) Ita et SCHOLZIUS et TISCHENDORFIUS, approbantibus tum aliis, tum FRITZSCHIO et WETTIO ad l. V.

(2) Vid. GRIESBACHII *Comm. Crit.* Part. II. p. 171 et p. 167. FRITZSCHE et WETTIUS ad l. LACHMANNUS vero illud *μηδὲ μελετᾶτε* uncinis inclusit: TISCHENDORFIUS e textu reiecit. V.

(3) De lect. *οὐ γάρ ὑμεῖς ἐστὲ*, quam sec. MATTHAEI et SCHOLZIUM pauci Codd. exhibent, vid. FRITZSCHE ad l. V.

(4) LACHM. et TISCHEND. ediderunt *θέτε*, quod paucissimi Codd. habent. V.

(5) Var. lect. *ἐν ταῖς καρδίαις* GRIESB. non spernendam quidem, at receptae tamen inferiorem iudicat. LACHM. et TISCHEND. illam in textum receperunt, non improbante WETTIO ad l. V.

ὑμῖν στόμα καὶ σοφίαν, ᾗ οὐ δυνήσονται ἀντειπεῖν ἢ (¹) ἀντιστῆναι πάντες οἱ ἀντικείμενοι ὑμῖν, h. e. *vestris igitur animis infigite, non esse praemeditandam defensionem. Ego enim vobis os* (h. e. dicendi facultatem) *et sapientiam dabo, cui contradicere nec resistere poterunt quicunque vobis adversantes.* In his igitur ipsi Conservatori adiuvanti id tribuitur, quod in caeteris locis laudatis a Spiritu s. effectum dicitur.

JOH. XIV: 16, 17, 26. XV: 26, 27. XVI: 13.

Christus, ultima vitae mortalis vespera, postquam Judas *Iscariotes* profectus erat ad tradendum magistrum, collocutus est cum reliquis Apostolis de instante abitu suo in coelestem patriam et de auxilio, quod divinitus erat procuraturus, misso Spiritu s. Quae hac opportunitate promisit Conservator noster, Johannes diligenter annotavit, Cap. XIV. XV. XVI.

Primum C. XIV: 16, 17 promittit Apostolis ipsum amantibus et obedientibus (coll. sect. 15), nunc vero instantem adiutoris sui abitum ad Patrem dolentibus: ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα, καὶ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν, ἵνα μένῃ (sive ut in nonnullis est codd. ᾖ (²)) μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα. τὸ

(¹) Ita Griesb. edidit pro vulg οὐδέ. Tischend. ἀντειπεῖν οὐδὲ e textu reiecit; Lachm. τὸ ἀντειπεῖν post ἀντιστῆναι posuit. Vid. Wettius ad l. V.

(²) Lachm. et Tischend. ediderunt ἵνα μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα ᾖ. V.

πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ ὁ κόσμος οὐ δύναται λαβεῖν, ὅτι οὐ θεωρεῖ αὐτὸ, οὐδὲ γινώσκει αὐτό· ὑμεῖς δὲ γινώσκετε αὐτὸ, ὅτι παῤ ὑμῖν μένει (vel *μενεῖ*) *καὶ ἐν ὑμῖν ἔσται* (vel quod in aliis est codd. *ἔστιν* ([1])). Quorum haec est sententia: *ego rogabo Patrem*, *qui* meo rogatu *alium vobis dabit adiutorem* (s. *causae patronum*. Multi praeeunte ERNESTIO *Opuscc. Philol. et Crit.* p. 214 sqq. malunt vertere *doctorem;* sed altera illa significatio *et* magis consueta est, *et* alibi in scriptis Johanneis obvia, 1. Ep. II: 1, *et* apta nostro loco, ut et sect. 26, item C. XV: 26, XVI: 7 ([2]), *semper vobiscum mansurum*, scil. *Spiritum illum veracissimum* (sive *veri auctorem*, Cf. Sect. 26, XV: 26. XVI: 13. 1. Ep. IV: 6), *quem homines profani nequeunt accipere*, *quia eum nec vident nec norunt* (videre autem hunc Spiritum poterant, dummodo vellent, in CHRISTO dicentem agentemque) *vos autem eum cognoscitis*, *quandoquidem vobiscum manet*, *vobisque*, [vel *atque* adeo ([3]) *vobis* V.] perpetuo *inerit*,

---

([1]) Hoc *ἔστιν* dant LACHM. et TISCHEND. V.

([2]) Vid. omnino G. C. KNAPP *de Spiritu et Christo paracletis*, *item de varia potestate vocabulorum παρακαλεῖν*, *παράκλησις*, *παράκλητος* in *ss. varii argumenti, maximam partem exegetici*, t. I. p. 125—168. TITTMANNI *Meletemata s. s. Comm. Exeg. Crit. Dogm. in Euang.* JOANNIS, p. 520-525 et LÜCKE ed. 2 ad l. *Consolatoris* notionem rursus verbo vindicare studuit VAN HENGEL, *Annot. in ll. nonnulla N. T.* Amstelod. 1824. P. 40 61 ; sed vid. THOLÜCK *Comment. zur.* Ev. JOH. ad l. ed. 5. V.

([3]) Sic cogitatione supplendum esse videtur; nam *ὅτι* sumi non

(vel *inest*): [vos igitur illum *et* accipere potestis, *et* accepturi estis V.]

Porro conservator noster C. XIV: 26, postquam nonnulla suos docuerat discipulos, ad plura discenda nunc quidem imparatos (Cf. Sect. 25 et C. XVI: 12) addit: ὁ δὲ παράκλητος, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃ πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου, ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα, καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα, ἃ εἶπον ὑμῖν, h. e. *ille vero adiutor*, *Spiritus s. quem Pater meo nomine* expetitum (hoc enim cogitatione supplendum videtur, cf. s. 13, 14 (¹) *missurus est*, *omnia*, quorum sciendorum vestra interest, in his etiam a me nondum dicta, *vos docebit*, *et quaecunque vobis dixi vobis in memoriam revocabit* (²).

Deinde etiam c. XV: 26, 27, postquam CHRISTUS praesignificaverat profanorum hominum malitiam

---

potest cum GROTIO aliisque, vt positum pro διὰ τοῦτο aut pro *certe*. Vid. WINER *Grammat.* § 57. p. 426 sq. V.

(¹) Ita et LÜCKE; sed male, me quidem iudice; nam *primum* nimis dura videtur haec Ellipsis; *dein* frustra provocatur ad s. 13, 14, ubi ἐν τῷ ὀνόματί μου cum αἰτήσητε iunctum legitur. Malim igitur vertere, non quidem cum GROTIO: *in meam gratiam*, aut cum v. HERWERDEN, *Over het Ev. van* JOH. T. V. p. 198, 9, aliisque: *meo loco*, i. e. *ut meo nomine agat*, *meumque locum occupet*; sed cum WETTIO: *meo rogatu*, (coll. s. 16), vel *respectu mei habito*. V.

(²) Praeclare LÜCKE ad h. l. «Das Geschäft des heil. Geistes, als Paraklet der Jünger ist ein zwiefaches, theils die Fortsetzung und Vollendung der Belehrung CHRISTI, theils die Bewahrung und Verständigung des von CHRISTO empfangenen" V.

et pervicaciam, cui expositi forent Apostoli, mox, ne propterea desperent de legationis suae successu, subiicit: ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ παράκλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρὸς, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ. Καὶ ὑμεῖς δὲ μαρτυρεῖτε, ὅτι ἀπ' ἀρχῆς μετ' ἐμοῦ ἐστε, h. e. *quum autem adiutor ille venerit, quem ego vobis a Patre mittam, Spiritus ille veracissimus, qui a Patre proficiscitur* (ipse ille Spiritus Patris, eum legantis (1)) *is testabitur de me* (vos adiuvando, ut vestrum de me testimonium ratum firmumque sit, Cf. C. XVI: 7.—11), *et vos* [s. potius: *sed vos quoque* (2) V.] de me *testabimini* (3), *quoniam inde a* muneris mei publice suscepti *initio* [Cf. XVI: 4. LUC. I: 2. V.] *mecum fuistis* (4).

Denique C. XVI: 13, postquam dixerat CHRISTUS, se multa habere Apostolis dicenda, hos vero nunc iis intelligendis et in usus suos convertendis impares esse, addit: ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν (5) οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λα-

(1) Facit hoc ad augendum auctoritatis pondus, quod recte observat CALV. ad l. cf. et TITTMANNUS l. l. p. 570. V.

(2) De form. καὶ-δὲ v. THOLUCK ad l. V.

(3) Praes. μαρτυρεῖτε de futuro proxime instante, ut saepe, intelligendum. Vid. GROTIUS et WETT. V.

(4) Praes. ἐστὲ positum est, quia h. ipso tempore cum illo erant: quod recte animadvertit LUCK. ad l. V.

(5) LACHM. et TISCHEND. εἰς τὴν ἀλήθειαν πᾶσαν. V.

λήσει, καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν, h. e. *quum autem venerit ille* promissus adiutor (cll. sectt. 7, 8) *Spiritus ille veracissimus*, (cl. c. XIV: 17) *dux vobis erit ad omne verum* cognoscendum et adhibendum, quoad eius vestra interest ([1]). *Non enim*

([1]) Iuvat hic describere, quae CALVINUS ad Sectt. 12, 13 respondet ad quaestionem: »quaenam ista fuerint, quibus discendis non»dum idonei erant Apostoli. »Papistae" inquit »ut sua figmenta pro »Dei oraculis obtrudant, hoc loco improbe abutuntur CHRISTUS, »inquiunt, novas Apostolis revelationes promisit: ergo in Scriptura »subsistere non convenit, supra quam ille suos vocat." Tum commemorata, nec improbata AUGUSTINI solutione, sic pergit:" »Verum »certior nobis ad eos refellendos ex CHRISTI verbis suppetit ratio. »Perfectus veritatis magister dicitur Spiritus, quem pollicitus est »Apostolis CHRISTUS, quorsum autem promissus est, nisi ut accep»tam ab eo sapientiam per manus traderent? Datus est illis Spi»ritus, quo duce et directore iniuncto sibi officio defuncti sunt. »Eos idem ille Spiritus *in omnem veritatem* perduxerat, quum doc»trinae suae summam scriptis complexi sunt. Huic doctrinae quis»quis aliquid addendum putat, acsi mutila esset et semiplena, non »modo Apostolos insimulat malae fidei, sed in Spiritum blasphe»mus est. Si doctrina, quam literis consignarunt, a tironibus adhuc »et noviciis profecta esset, non supervacua esset accessio: nunc »vero quum eorum scripta quasi perpetuae sint eius revelationis »tabulae, quae illis promissa et praestita fuit, non potest sine atroci »Spiritus iniuria quicquam illis addi." caett. Haec CALVINI, haec Reformatorum sententia erat. Ita *et* summam scripturae auctoritatem tribuebant, *et* Pontificiorum commentum respuebant. — Caeterum h. *εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν* LUCKIUS, cui alii assentiuntur, vertit: *in die ganze Wahrheit (in den ganzen Umfang, in vollen Zusammenhang seiner Lehre)*; addit autem: *nicht etwa weniger Wahres, als ich, wird er Euch lehren* caett. Cf. et THOLUCK. ad l. Ego vero Cl. HERINGA interpretationi subscribo. Cf. WETT. ad l., inpr. VAN HERWERDEN l. l. t. v. p. 361 sq. et quae ipse scripsi tum in *Sermonn. ss.* Tr. ad Rh. 1842. p. 220, tum in *Ant-*

loquetur a semet ipso (h. e. *suopte consilio, pro lubitu suo*); *sed quaecunque audierit* a Deo ipsum legante, *loquetur*, atque adeo fidelis erit mentis divinae interpres: *et quae eventura sunt, ea vobis denunciabit.*

Tandem CHRISTUS, post reditum in vitam, eadem promissa repetiit, addita significatione loci et temporis, quibus Spiritus sancti donis ornandi forent eius Apostoli.

Et vespera quidem eius diei, quo in vitam redierat, Dominus, referente JOHANNE C. XX: 19—23 decem Apostolos, absente THOMA, salutavit, iisque ostensis manibus suis ac latere persuasit de recuperata vita. Aderant autem et alii discipuli, ex quibus nonnulli JESUM iam viderant, alii vero difficilius inducebantur ad rem laetam ac mirificam credendam, narrante LUCA, C. XXIV: 31—45. Postquam vero cunctis exemta erat dubitatio, Conservator denuo Apostolis suis *salutem precatus est* solenni formula: *εἰρήνη ὑμῖν.* Tum *καθὼς* inquit *ἀπέσταλκέ με ὁ πατὴρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς*, h. e. *quemadmodum me Pater legavit, ita et ego vos lego* (1). Quo dicto iis afflavit, signo usus

---

woord aan de Red. van het Tijdschr. Waarheid in Liefde, p. 18–20. V.

(1) Praeclare CALVINUS praeter alia ad h. l.: »Ne minor sit," inquit »doctrinae auctoritas in ore Apostolorum, iubet in eandem, quam »a Patre accepit, functionem ipsos succedere, eandem illis inponit »personam, atque idem iuris assignat: atque ita sanciri eorum mi-

symbolico, quo certa iis daretur spes, fore ut, simulac legatione essent functuri, *afflatus* illius *divini*, h. e. *Spiritus sancti* vim, ab ipso ut promissam, ita et tribuendam acciperent. Sic enim ipse CHRISTUS signum symbolicum est interpretatus his verbis: λάβετε πνεῦμα ἅγιον [1]. Quem

---

»nisterium oportuit. Erant enim obscuri et gregarii homines. »Deinde ut in illis esset summus splendor ac dignitas, scimus tamen, quicquid est hominum fide esse longe inferius. Quare non abs »re CHRISTUS cum Apostolis suis communicat quam a Patre aucto»ritatem accepit, ut hoc modo declaret, non humanitus, sed Dei »iussu illis iniungi Evangelii praedicationem. Caeterum non ita »substituit in locum suum, ut summo magisterio cedat, quod penes »eum unum residere voluit Pater. Manet igitur ipse aeternumque »manebit unicus Ecclesiae doctor, sed hoc tantum interest, »quod loquutus ore suo, quamdiu in terris versatus est, nunc per »Apostolos loquitur. Talis ergo est successio, qua nihil CHRISTO »decedat, sed illi ius suum salvum et intactum maneat, honorque »integer. Est enim inviolabile illud decretum, quo iubemur ipsum »audire, non alios (Matth. 17, 5). In summa, CHRISTUS non ho»mines hic ornare voluit, sed Evangelii doctrinam." Et ad sect. 22: »Praecipue voluit CHRISTUS ordinis Apostolici dignitatem asserere. »Aequum enim erat, ut singularis esset eorum auctoritas, qui primi »et praecipui ad praedicandum Evangelium electi erant." — *Praes.* πέμπω positum est pro *futuro proximo:* quod recte observatum a GROTIO aliisque. V.

(1) Ita et CALVINUS ad l. »Si rite" inquit, »omnia expendimus, »non tam in praesentia necessariis eos dotibus instruit, quam in »futurum tempus Spiritus sui organa destinat." Cf. et GROTIUS, TITTMANNUS, inpr. v. HERWERDEN ad l. LUCK. vero, WETT., alii praesens tempus urgendum esse putant, atque adeo de Spiritu s., hoc ipso temporis articulo cum Apostolis communicato cogitari volunt. Sed priori interpretationi favet *tum* praecedens πέμπω, praes. tempore positum, *tum* LUCAE narratio Ev. XXIV. 47-49. Act. I. 4. 8.

vero in finem hunc accepturi essent Spiritum, docere videtur sic: *ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται* (s. ut in aliis olim fuit et nunc est codd. *ἀφέωνται* (1)) *αὐτοῖς· ἄν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται*, h. e. *si quorum peccata condonatis*, iis a Deo peccata *condonantur; si quorum peccata condonata negatis*, iis a Deo peccatorum condonatio *negata est.* Quorum haec est sententia: vos hominibus peccatorum poena dignis interpretaturi estis voluntatem divinam, qua aliis poenarum remissio conceditur, aliis negatur; neque alia erit, sive ad criminum condonationem consequendam, sive ad poenam commeritam dandam via, nisi quam vos estis denunciaturi. Ita enim hic locus optime expeditur collatis aliis, quae in eodem versantur argumento, ut MARC. XVI: 15, 16. ACT. II: 38—40. III: 19—23. X: 42, 43. XIII: 38—41. ROM. X: 8—13 (2). Neque est, quod cum nonnullis interpretibus *peccata* ab Apostolis *condonata* fuisse dicamus mirifice sanatis morbis, criminum poenis, [et imputata, singulari poena affectis iis, qui fidem illis denegarent (3) V.]

Hanc CHRISTI mentem LUCAS quoque expressisse

Conf. G. W. STEMLER *over de werking van den H. Geest*, in Opp. soc. Hag. 1844. p. 140, sqq. V.

(1) LACHM. et TISCHEND. ediderunt *ἀφέωνται*, de quo v. WINER. *Grammat.* § 14. p. 77. probantibus h. lect. LUCK. et WETT. V.

(2) Cff. omnino CALVINUS, GROTIUS, TITTMANNUS ad l. V.

(3) Hanc sententiam propugnat v. HERWERDEN ad l. V.

videtur Eu. XXIV: 47—49, his verbis: *οὕτω δεῖ* (id enim supplendum est e sect. 46), *κηρυχθῆναι ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ χριστοῦ* (coll. s. 46) *μετάνοιαν καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν εἰς πάντα τὰ ἔθνη, ἀρξάμενον* (1) *ἀπὸ ἱερουσαλήμ. Ὑμεῖς δέ ἐστε* (2) *μάρτυρες τούτων. Καὶ ἰδοὺ, ἐγὼ ἀποστέλλω τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρός μου ἐφ' ὑμᾶς· ὑμεῖς δὲ καθίσατε ἐν τῇ πόλει*, (quod in vulg. ed. repetitur *ἱερουσαλὴμ* abest ab optimis codd. et verss. Copt. et It., sapitque glossema) (3): *ἕως οὗ ἐνδύσησθε δύναμιν ἐξ ὕψους*, h. e. *ita oportet* CHRISTI *nomine animi emendationem et peccatorum condonationem cunctis denunciari gentibus, initio Hierosolymae facto. Vos autem harum rerum eritis interpretes*, (s. *testes;* pertinet autem hic nuncius ab Apostolis ferendus etiam ad mortem CHRISTI et reditum in vitam, de quibus facta erat mentio sect. 46), [uti et ad ea, quae sec. sect. 47, CHRISTI nomine annuncianda erant V]. *Ecce vero, ego mittam vobis promissum a Patre meo Spiritum. Vos autem in urbe manete, usque quo virtute coelitus induamini*, h. e. ad eum usque diem, quo vobis divinus ille Spiritus instruat facultatibus ad id necessariis (4).

---

(1) TISCHENDORF. edidit *ἀρξάμενοι*. De accus. *ἀρξάμενον* v. WINER. *Grammat.* § 32. p. 207. V.

(2) *δέ ἐστε* TISCHENDORF. sine iusta causa e textu reiecit. V.

(3) Retinuit h. *ἱερουσαλὴμ* SCHOLZIUS; sed GRIESB., LACHM. et TISCHENDORF. recte illud e textu reiecerunt. V.

(4) Vere CALVINUS ad l. *necesse esse* contendit, *quoscunque Deus*

Denique Conservator noster mox in coelum abiturus, suisque valedicens, narrante LUCA, Act. I: 4, 5, *παρήγγειλεν αὐτοῖς ἀπὸ ἱεροσολύμων μὴ χωρίζεσθαι, ἀλλὰ περιμένειν τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρὸς, ἣν ἠκούσατέ μου· ὅτι ἰωάννης μὲν ἐβάπτισεν ὕδατι, ὑμεῖς δὲ βαπτισθήσεσθε ἐν πνεύματι ἁγίῳ* ([1]), *οὐ μετὰ πόλλας ταύτας ἡμέρας*, h. e. *praecepit iis* sic: *ne Hierosolyma abite, sed exspectate* (ita enim infinitivi pro imperativis sumantur, ut Luc. IX: 3. Rom. XII: 15, forte etiam 2 Tim. II: 14, atque ita LUCAS saepius eos adhibet post verbum *παραγγέλλειν*, ut Eu. V: 14. Act. XXIII: 22) [cf. tamen WIN. *Gr.* § 45. 7. V.] *Patris promissum, quod e me audiistis. Nam* JOHANNES *quidem aqua abluit, vos autem abluemini Spiritu s. post dies hos non multos* ([2]). *Abluendi* verbo adhaeret notio *purgandi*, mox propria, quando de aqua dicitur et corporis ablutione, mox tropica, quando de animo, Spiritus sancti efficacitate emendato. Utrique vero adiungenda est notio *initiandi*: qui enim ab JOHANNE solenni ritu lavabantur, eo ipso adscribebantur futuris regni divini civibus; qui vero Spiritu divino emenda-

---

excitat Evangelii ministros, imbui coelesti Spiritu, ideoque omnibus Ecclesiae doctoribus sine exceptione ubique promitti; simul tamen statuit, *Apostolis specialem gratiam pollicitum esse Deum et Christum contulisse.* V.

([1]) LACHM. *ἐν πνεύματι βαπτισθήσεσθε ἁγίῳ*. V.

([2]) CALVINUS, ad l.: »Haec causa imprimis notanda est, quod Dominus tempus certum mittendo Spiritui praefixit, quo magis conspicuum nobis esset miraculum." V.

bantur, eo ipso pro genuinis huius regni agnoscebantur, sive civibus, sive etiam ministris (¹).

Apostolis, hac ipsa opportunitate rogantibus: *Domine! num hoc tempore Israelitis regnum restitues?* respondit Conservator noster, referente LUCA sect. 8, *non vestrum est nosse tempora aut opportunitates, quas Pater pro sua definit potestate: ἀλλὰ λήψεσθε* (²) *δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς καὶ ἔσεσθέ μοι* (³) *μάρτυρες ἔν τε ἱερουσαλὴμ καὶ ἐν* (⁴) *πάσῃ τῇ ἰουδαίᾳ καὶ σαμαρείᾳ, καὶ ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς*, h. e. *sed accipietis vim Spiritus sancti, qui vos invadet* (⁵), *mihique testes eritis Hierosolymae et in tota*

(¹) GROTIUS et KUINOELIUS v. *βαπτίζεσθαι largitus profundi, non leviter adspergi; penitus imbuere, largiter suppeditare* hic significare contendunt; sed urgenda est in primis oppositio, quae obtinet inter τὸ ὕδατι et τὸ πνεύματι ἁγίῳ. Posterior tamen *initiandi, inaugurandi* quoque notionem huic v. adhaerere recte statuit, ita ut sensus sit: »JOHANNES in aquam tantum Judaeos immergebat, ut »coetum Messiae colligeret, Judaeos aqua inaugurabat; vos vero »(MATTH. XI: 11), efficaciori modo inaugurabimini, Spiritu s. imbue»mini, et muneri Apostolico idonei reddemini ad coetum cultorum »Dei et Messiae augendum," V.

(²) LACHM. λήμψεσθε. V.

(³) LACHM. et TISCHEND. μου. V.

(⁴) ἐν a LACHM. et TISCHEND. e textu reiicitur, V.

(⁵) CALVIN. ad l.: »Utrumque legi potest: Accipietis virtutem »Spiritus: aut, veniente in vos Spiritu. Secundum tamen melius »convenit, quia plenius eorum defectum exprimit, donec Spiritus »superveniat." Adsentiuntur KUINOEL., alii. Obstant vero LUC. I: 35. XXIV: 49. V.

Judaea ac Samaria et ad extremas usque telluris partes. Quamquam enim ultima *ἕως ἐσχάτου* (sc. *μέρους*) *τῆς γῆς*, si sola spectentur, de *extremis Palaestinae finibus* possint sumi, tamen h. l. latius sumenda sunt, ut C. XIII: 47, ex Hebraismo Jes. XLIX: 6, coll. Ps. XIX: 5. Itaque haec comparanda sunt cum aliis formulis, quibus in eodem argumento CHRISTI dicta retulit MATTHAEUS, C. XXVIII: 19: *μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη.* Similiter MARCUS C. XVI: 15, *πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα, κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει.* Neque aliter ipse LUCAS Eu. XXIV: 47: *κηρυχθῆναι εἰς πάντα τὰ ἔθνη* (¹).

Haec igitur Apostolis suis identidem promisit Conservator noster. Quibus promissis quomodo eventus exacte responderit, narrat LUCAS [cum V.] Act. II: [tum alibi, Vid. IV: 8. V: 3, 9, 32. IX: 17. X: 19, 20, 28. XI: 12. XIII: 9. XV: 28. XVI: 6, 7. V.]

Ex his locis inter se invicem collatis constat, CHRISTUM, antea a Deo ad homines legatum, similiter suos legasse Apostolos (JOH. XX, 21), iisque saepius promisisse Spiritum sanctum, quem hi a Patre ipsius rogatu et cura accepturi essent (JOH. XIV: 16, 17. XV: 26. LUC. XXIV: 49) non diu

(¹) Cf. CALV. inpr. KUINOELIUS. V.

post magistri sui profectionem in coelum (LUC. l. l. *Act.* I: 4, 8). Cuius quidem Spiritus vim divinam in eorum animos hunc in modum descripsit Conservator noster: coelesti illo adiuti doctore, memores eritis omnium eorum, quae a me accepistis, (JOH. XIV: 26); alia quoque multa cognoscetis, quae nondum vos docere potui propterea quod iis intelligendis et recte adhibendis estis impares (JOH. l. modo laud.); praeterea rerum etiam futurarum scientia eritis praediti (JOH. XVI: 13); nec quicquam vobis deerit ad verum dignoscendum a falso, in causa doctrinae et religionis meae, (JOH. XIV: 26. XVI: 13). Hac instructi notitia, vitam meam, quam vidistis, estis narraturi (JOH. XV: 27. LUC. XXIV: 48) et doctrinam, quam percepistis, interpretaturi, atque ita, tum Judaeis et Samaritanis, initio Hierosolymae facto (LUC. XXIV: 47, 49. *Act.* I: 8), tum etiam aliis per totum terrarum orbem gentibus (LUC. XXIV: 49. *Act.* I: 8), legem ac conditionem estis propositurí, qua Deus poenarum immunitatem salutemque hominibus est concessurus (JOH. XX: 23. LUC. XXIV: 49). Quoties autem vobis pro tribunali erit dicendum, toties divino adiuti Spiritu promti eritis et parati ad causam vestram bene feliciterque tuendam, ita ut ex hac pugna cum adversariis vestris superiores sitis discessuri, neque opus vobis futurum sit praevia meditatione, aut quocunque artificio humano, (MATTH. X: 19, 20. MARC. XIII: 11. LUC. XII: 11, 12. XXI: 14, 15).

Ex his igitur colligimus, Apostolos, quoties sive dicendo, sive scribendo vitam CHRISTI narrarent, religionis Christianae doctrinam exponerent aut defenderent, causam suam vindicarent, res futuras praesignificarent, ita divino fuisse Spiritu adiutos, ut nihil non verum, utile Deoque auctore dignum enunciaverint; atque adeo iis summam esse habendam fidem.

Quod enim Apostoli non minus in scribendo, quam in docendo eo Spiritus sancti auxilio usi fuerint, res ipsa et ratio docet. Etenim eodem in scribendo fungebantur legatorum divinorum munere, quo in dicendo; suopte ingenio non magis ad bene scribendum erant idonei, quam ad bene dicendum; idem erat dictorum et perscriptorum argumentum; idem consilium; idem usus. Quod si vero discrimen inter utrumque intersit, Apostolorum dicta non nisi hominibus, ea mundi aetate viventibus, prodesse aut nocere poterant; e scriptis vero, ad omnem posteritatem propagandis, utilitatem aut damnum percepturi erant innumeri, quorum in manus tradendi erant Apostolorum libri. Quapropter maior etiam censenda est necessitas auxilii divini scribentibus praestandi, quam dicentibus.

Caeterum hoc quodcunque fuerit auxilium, ingenii animique facultates, quibus Apostoli a natura erant instructi, et quas usu et exercitatione excoluerant, non omnino sustulisse, aut suppressisse, aut sus-

pendisse manifestum est. Etenim qui Spiritu divino instructi forent ad testandum, ii ipsi testes erant futuri, et propterea quidem, quod perpetui fuerant CHRISTI comites, (JOH. XV: 27). Quae causa nihil omnino fuisset valitura, nisi Apostolis id narrandum fuerit, quod oculis auribusque acceperant, et cuius bene erant memores [1].

---

[1] Cf. praeter alios H. WITSII *Miscellan. s.* libri IV. t. I. C. XXII: *de Apostolorum in docendo infallibilitate*, p. 262 *sqq.* inpr. p. 267 *sqq.* J. CLARISSE, *proeve over de waardij en het gezag van de leere der Apostelen*, inpr. p. 281–289, et C. F. FRITZSCHE *commentat. laud.* § 11—13. p. 54 *sqq.* qui § 13, p. 64 *sqq.* praeclare: »Quan»quam," inquit: »latissime patent opera Spiritus s., neque quisquam »mortalium est, quin ea in semet ipso possit experiri: singularia »tamen in hoc genere promissa solis Apostolis data sunt. Etenim »ad unos Apostolos adtinent, quae Dominus MATTH. X: 19, 20. »LUC. XII: 11, 12. MARC. XIII: 11. LUC. XXI: 14, pollicitus »est, et praeterea quae JOH. XIV—XVI de Paracleto referuntur. Quae »omnia ita comparata sunt, ut de alio auxilio, nisi quod Deus »eiusque Spiritus ipsi (*immediate*) laturi sint, intelligi nequeant. »Quis enim est *ὁ παράκλητος*, adiutor ille et opitulator, qui in »ipsius Servatoris locum sic successurus erat, ut Apostolis numquam »deesset advocatus? Sunt, qui dicant, Paracletum et Spiritum s. »discipulis JESU promissum nihil aliud esse, quam pleniorem, veriorem et omnibus partibus expletam doctrinae Christianae cognitionem, »ad quam post Servatoris obitum Deo volente et propitio sensim »sensimque perventuri sint Apostoli, de dictis, rebus et fatis Domini saepe diligenterque meditando. — Sed quis hoc credat? Hac »tali opinione, ut SCHOTTUS (l. c." *Briefe über Religion und Christlichen Offenbarungsglauben* caett. »p. 132 sqq) optime ostendit, »profecto nihil potest esse vanius. Repugnat enim loquendi usus, »repugnant singula, quibus JESUS, quae sentiret, enuntiavit, voca»bula, nihil est, quod non repugnet. Quodsi Servator illud cum »animo suo cogitasset, quo tandem pacto eam sententiam ita eloqui

»potuisset? *Vos ipsi pedetentim per vosmet ipsos, dico autem per »pias et assiduas vestras meditationes eo adducemini, ut coelestem »veritatem penitus perspiciatis:* sentisne, hanc sententiam mirum »quantum discrepare et toto coelo distare ab illa: *Spiritus divinus »a patre et me missus, in meum sufficiendus locum, measque plane »explens vices, doctor vester erit et admonitor, consolator, opitulator?* »Immo verba dedisset Dominus discipulis, si dixisset ille quidem: »coram judicio non tam vos loquemini, quam patris coelestis Spi»ritus, qui vobis instrumentis utetur, (MATTH. X: 20), neque eo »magis tamen Apostolis contigisset adjumentum, quod nemo non »pro divino adgnosceret, *extraordinarium?*" caett. V.

DIVINA AUCTORITAS MOSIS LEGATORIS ET CAETERORUM VATUM ISRAELITICORUM A CHRISTO STABILITA.

MATTH. V: 17.

CHRISTUS in oratione, cuius summam nobis fideliter enarravit MATTHAEUS, C. V. VI. VII. (cf. *Introitus* P. II. C. I. § 7 (¹)) regni sui civibus iustam

(¹) Significat Scriptor iterum *Intr.* suum *in N. T.* ms., in quo l. l. eorum sententiam impugnat, qui sibi persuadent, »MATTHAEUM saepius JESU dicta, variis et locis et temporibus enunciata compilasse, ex iisque orationes conflasse, quas tamen referat, tamquam a Conservatore nostro habitas certo quodam loco ac tempore, quibus non nisi earum pars ab eo dicta fuerit." Cuius sententiae historiâ enarratâ, sic pergit: »Verum haec opinio quomodo cum fide et accuratione MATTHAEI conciliari possit, equidem non video. Ille enim solet diligentius quam MARCUS et LUCAS rerum gestarum tempora et loca notare: neque id neglexit in narrationis suae partibus, de quibus nunc quaeritur. Cff. C. IV: 25. V: 1, 2. VII: 28, 29. VIII: 1, 14, 18, 23, 28. IX: 1. X: 1, 5. XI: 1. XIII: 1—3, 53. XVIII: 1, 21. XIX: 1. XXIII: 1. XXIV: 1, 4. XXVI: 1. Quodsi vero MATTHAEUS dicta factaque JESU, temporum intervallis disiuncta, unum in locum artificiose colligere voluisset, propter argumenti vicinitatem, quidni parabolas omnes, quibus CHRISTUS regni sui indolem et fata delineavit, dispersas C. XIII. XVIII: 23—35. XX: 1—16. XXI: 33—44. XXII: 2—14. XXV: 1—30. una exhibuit? Quidni monita CHRISTI contra Pharisaeos et legis interpretes e diversis ll. C. V—VII. XII: 25—45. XV: 1—14.

vitae normam certamque felicitatis percipiendae legem praescripsit. Hanc autem opposuit placitis

---

XVI: 6. XXIII. unam in orationem collegit? Et quare eadem dicta CHRISTI, variis libri sui partibus, repetiit: cuius sunt de eruendo oculo dextro et amputanda manu dextra C. V: 29, 30. et C. XVIII: 8, 9; de non repudianda uxore C. V: 31, 32. et XIX: 9; de iureiurando C. V: 33–37 et C. XXIII: 16–22; de condonanda iniuria C. VI: 14, 15. et C. XVIII: 35; de constantia fidei C. X: 22 et C. XXIV: 13; de perversa vitae cura C. X: 39 et C. XVI: 25? Quodsi MATTHAEUS unum in locum C. VIII. colligere voluerit mirificas CHRISTI sanationes, diversis temporibus ac locis factas, quidni his adiunxit plures, alibi narratas C. IX: 2–8, 18–35. XII: 22, 23. XIV: 15–36. XV: 21–39. XVII: 14–18. XXI: 14? His nostrae sententiae praesidiis quae opponuntur, levia sunt. Arguunt enim argumentum orationum, quippe quae magis videantur florilegia sententiarum, quam orationes apte cohaerentes referre. Quod quam sine ratione de oratione CHRISTI, C. V–VII. dicatur, equidem docuisse mihi videor in *Diatr. vern.*, quacum comparari possunt C. G. JÄNICHEN *de consilio, quod Jesus in oratione, q. d. montana, secutus est*, Viteb. 1788. GOTTL. CHRIST. STORRIUS in Diss. II *in librorum N. T. historicorum quaedam loca*, 1791, repet. in *Opuscc.* eius *acad.* Vol. III. p. 110–112 et HOR. NIEUBUUR VERY, in *Spec. Crit. Theol., quo fides et auctoritas Matthaei in referenda Jesu oratione* C. V. VI et VII *vindicatur*. Trai. Bat. 1799. p. 198–213. Neque aliter comparatas esse caeteras Euangelii partes, de quibus disputamus, docere quemque potest singulorum contemplatio locorum. Quodsi vero alicubi desiderari videatur iusta orationis cohaerentia, huius rei causa quaerenda est cum in MATTHAEO, qui praecipua capita, non singula verba notavit, tum etiam in sententioso dicendi genere, quo CHRISTUS usus fuit. Praeterea nonnullae orationum partes visae sunt minus convenire tempori, quo enunciatae perhibentur a MATTHAEO, prouti C. X: 15–28. quae recentiora spectant tempora: attamen harum rerum praesignificatio non erat aliena a CHRISTI dicentis consilio. Cf. BROERIUS BROES, *Animadvv. Belg.* in MATTH. Spec. VII. p. 18–21. Denique

Doctorum Judaicorum, imprimis Pharisaeorum, qui tum doctrinae perversitate, tum morum impietate, *et* ipsi regni coelestis legem violabant, *et* aliis violandae legis auctores existebant. Praevidebat autem CHRISTUS, Judaeorum magistros horumque gregarios, quos e plebe habebant innumeros, id ita esse interpretaturos, ac si CHRISTUS MOSIS et Vatum veterum auctoritatem violaret, quorum ille lator, hi vindices fuerant legis divinae, quam isti sibi interpretandam et augendam suis institutis sumebant. Hanc igitur sive opinionem, sive calumniam ut anteverteret, sect. 17 aperte docet, sibi non violandae, sed stabiliendae legis divinae esse propositum; addit vero, huius legis auctoritatem fore perpetuam sect. 18, atque adeo doctoribus in regno divino hoc imprimis officii datum fore, ut ad eam legem *et* ipsi viverent *et* discipulos informarent sect. 19. Instituti nostri ratio postulat, ut sect. 17 paulo accuratius inter-

---

nonnulla eorum, quae in orationibus a MATTHAEO traditis occurrunt, apud LUCAM traduntur alio tempore enunciata: itaque LUCAE maiorem quam MATTHAEO fidem praebendam putant. Sed multo verisimilior eorum est sententia, qui putant, LUCAM, qui ex aliorum relationibus suum scripsit commentarium, in notandis temporibus minus esse diligentem, Jesuque dicta, alio atque alio tempore enunciata, propter argumenti vicinitatem aliquando coniunxisse. Praeterea CHRISTUS saepius eadem dicta repetiit, quorum alia MATTHAEUS, alia LUCAS notarunt. Caeterum non ausim omnino negare, aliquando MATTHAEUM, capta opportunitate, alia verba CHRISTI adiecisse, alio tempore enunciata. Cf. C. III: 11, cl. JOH. I: 25 sqq." V.

pretemur: quod tamen fieri non poterit, nisi in subsidium adhibitis sectt. 18, 19.

Coniungit CHRISTUS *τὸν νόμον* et (1) *τοὺς προφήτας*, quemadmodum in hac ipsa oratione C. VII: 12 et alibi C. XXII: 40. LUC. XVI: 16, (ubi MATTHAEUS in loco parallelo C. XI: 13, habet *πάντες οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος*). Similiter PAULLUS Act. XXIV: 14. Rom. III: 21 et LUCAS, Act. XIII: 15. Vicinum est, quod *Μωσῆς* et *οἱ προφῆται* iunguntur a CHRISTO, LUC. XVI: 29, 31, et, inverso ordine, a PAULLO, Act. XXVI: 22, et *Μωσῆς καὶ πάντες οἱ προφῆται* a LUCA Eu. C. XXIV: 27. Explicatius memorantur *Μωσῆς (γράψας) ἐν τῷ νόμῳ καὶ οἱ προφῆται* a PHILIPPO, JOH. I: 46 et *ὁ νόμος Μωσέως καὶ οἱ προφῆται* a LUCA Act. XXVIII: 23. Uno loco distincte a CHRISTO dicuntur *ὁ νόμος Μωσέως καὶ προφῆται καὶ ψάλμοι* LUC. XXIV: 44. Quorum quidem omnium locorum collatio nos docet, *τὸν νόμον* dici de *lege Mosea*, *τοὺς προφήτας* de *Vatibus Israelitarum*, nominatim iis, quorum scripta in librorum s. volumine continentur. Saepius quidem *ὁ νόμος* latiore significatione per synecdochen dicitur de *libris Moseis*, ut MATTH. XI. 13. LUC. XVI: 16. XXIV: 44. JOH. I: 46. Act. XIII: 15. XXIV: 14. XXVIII: 23, quomodo et h. l. KUINOELIUS cum aliis (2) interpretatur. Attamen CHRISTUS ma-

---

(1) De coni. *ἤ* v. WETT., inpr. FRITZSCH. *tum* ad h. l. *tum* ad MARC. VI: 15. et WINER. *Gramm.* § 57. p. 413. *sq.* V.

(2) Ita et FRITZSCH., WETT. ad l. MEYER. *Krit. Exeg. Komm.* I.

gis proprie et presse in hac oratione C. VII: 12 et XXII: 40. *τὸν νόμον* dixit de *lege* Mosea, et saepius, ubi nude *ὁ νόμος* dicitur sine adiuncta Vatum mentione, MATTH. XII: 5 ([1]) XXIII: 23. LUC. X: 26 ([1]). JOH. VII: 19, 23. Hanc autem propriam vocis significationem esse servandam docet contexta oratio. Etenim quod h. l. CHRISTUS de *τῷ νόμῳ* dicit, id deinceps fusius docet de *legis Moseae praeceptis:* et quod sect. 17 de *τῷ νόμῳ* et *τοῖς προφήταις* dicit, mox sect. 18 confirmat, facta unius *τοῦ νόμου* mentione; quodsi autem *ὁ νόμος* sect. 17 universe dictum fuisset de *libris Moseis*, adiungenda fuisset sect. 18 *τῶν προφήτων* repetita mentio. Scilicet et hoc bene notandum est, *τοὺς προφήτας* in hac contexta oratione spectari, simul ratione habita *τοῦ νόμου*, cuius erant interpretes et vindices: quomodo etiam dicuntur C. VII: 12 et C. XXII: 40. Neque enim in omni hac CHRISTI oratione de Prophetarum doctrina aut vaticinationibus mentio fit: sed tota res redit ad *legem* divinam, quam a MOSE datam Vates identidem commendarunt, inculcarunt, vindicarunt.

---

1. ed. 2. 1844, et BRETSCHN. in *Lex.* ad voc., in eo tamen a KUINOELIO dissentientes, quod hic *τῷ νόμῳ* nominatim *praecepta morum*, illi vero *Pentateuchum* significari volunt. V.

([1]) Equidem id, quod Scriptor de his ll. monet, affirmare non audeo. Nullam certe video causam, quare v. *τῷ νόμῳ* his ll. alia tribuenda sit significatio, quam e. c. LUC. XXIV : 44. JOH. I : 46, nam ut illic memorantur scripta *ἐν τῷ νόμῳ*, ita LUC. X : 26 *ἐν τῷ νόμῳ τί γέγραπται*, et MATTH XII : 5: *οὐκ ἀνέγνωτε ἐν τῷ νόμῳ* habetur. V.

Quae cum ita sint, nulla est causa, quare τοὺς προφήτας cum KUINOELIO et aliis (¹) dictos putemus pro *libris Prophetarum*: quae interpretatio nulli locorum laudatorum convenit; nec nisi bis in N. T. hac significatione vox occurrit (²) JOH. VI: 45 et MARC. I: 2, ubi tamen pro vulg. ἐν τοῖς προφήταις legendum videtur ἐν ἠσαΐᾳ τῷ προφήτῃ (³).

Itaque CHRISTUS profitetur sese venisse, hanc legem Moseam, atque hos Vates Israeliticos non καταλῦσαι, sed πληρῶσαι.

Καταλύειν, proprie *dissolvere*, hinc *destruere* dicuntur legem, qui eam non tantum *violant peccando*, sed etiam *vi et auctoritate* sua *privant*, quod ab imperantibus fit *abrogando* legem, a doctoribus *vetando* ne legibus pareatur, ab aliis universe *impediendo*, quo minus ad legis normam vivatur. Sic καταλύειν τὸν νόμον saepius occurrit apud ISOCRATEM, XENOPHONTEM, POLYBIUM, DIONYSIUM *Halic.* et alios, locis a BOSIO, RAPHELIO, ELSNERO, KYPKIO, PALAIRETO et SCHLEUSNERO laudatis. Alexandrinis quoque eam significationem fuisse consuetam

---

(¹) Cum his faciunt quoque FRITZSCH. et WETT. ad l., quorum ille diserte: »οἱ προφῆται," inquit, »nomine a praecipua cete»rorum librorum parte ducto reliqua V. T. volumina declarant." Ita et BRETSCHN. in *Lex.* ad v. et MEYER. ad l. V.

(²) Neque hoc affirmare ausim. Cff. modo Act. VIII: 28, 30. XIII: 15. XXIV: 14. quorum duobus posterioribus locis ipse HERINGA τὸν νόμον de *libris Moseis* accipi voluit. V.

(³) Ita et ediderunt GRIESB., SCHOLZIUS, et TISCHENDORF. LACHM. habet: ἐν τῷ Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ. V.

docent loca, e 2 *Maccab.* l. et PHILONE allata a BIELIO in *Thesauro* [et SCHLEUSNERO in *Novo Thes.* V.]. Similiter CICERO dixit *dissolvere legem* et *legum dissolutionem* (1). Itaque CHRISTUS negat se venisse, ut legi Moseae et Vatibus *auctoritatem derogaret*, aut quocunque modo impediret, quominus ad legis normam Vatumque disciplinam vivatur in regno coelesti, cuius sese moderatorem profitebatur.

Quod autem h. l. dicit *καταλύειν*, id ipsum sect. 19 multis interpretibus videtur dixisse simplici *λύειν*, in formula *λύειν μίαν τῶν ἐντολῶν*. Simplex enim *λύειν τὸν νόμον* non raro idem significare ac *καταλύειν τ. ν.* docent loca HERODOTI, THUCYDIDIS, DEMOSTHENIS, LUCIANI et aliorum, quae dederunt BOSIUS, ELSNERUS, ALBERTIUS, RAPHELIUS, KYPKIUS. Atque ita etiam ea formula usus est CHRISTUS Joh. VII: 23, ut et affini *λύειν τὴν γραφὴν* C. X: 35. Aliis tamen *λύειν* sect. 19 est *violare* praeceptum, *non obediendo*: quam verbi significationem, allatis PHILONIS *Alex.*, JOSEPHI, LUCIANI et PLUTARCHI locis, probarunt KYPKIUS et LOESNERUS, ac propter oppositum *ποιεῖν τὰς ἐντολὰς* admittendam censuit KREBSIUS in *Obss. Flav.* (2). In eamque partem equidem inclino, cum propter oppositum *ποιεῖν*, tum propter verborum *λύειν* et *καταλύειν* diversum

(1) De v. *καταλύειν* cf. BORGER ad Gal. II: 18. p. 160. V.

(2) Utramque significationem *dissolvendi* et *transgrediendi* coniungi volunt KUINOEL. FRITZSCH. WETT. ad l. V.

in hac contexta oratione usum: aptius enim dicitur *καταλύεσθαι* de praeceptorum compage, quae *dissolvitur; λύεσθαι* vero de uno praecepto, quod solvitur. Sed utramque et *dissolvendi* et *violandi* notionem h. l. repudiat SCHLEUSNERUS in voce n. 9, verbo *λύειν explicandi*, *interpretandi* significationem tribuens, ut adeo idem sit atque *ἐπιλύειν* MARC. IV: 14. Act. XIX: 39, in eoque secutus est HOMBERGIUM in *Parergis s.*, qui tamen postea hanc sententiam missam fecit, referente filio in *Parergis vindicatis.* Ea profecto *interpretandi* notio, quamquam a verbo *λύειν* alibi non aliena est, imprimis ubi de aenigmatibus, problematibus, dictorumque obscuriorum nodis *solvendis* sermo est, (Cff. loca e 3 ESRAE l. C. IX: 46, ex JOSEPHO, PLUTARCHO aliisque congesta ab ELSNERO, KYPKIO, KREBSIO et SCHLEUSNERO, quibus adde THEODOTIONIS versionem, Dan. V: 13, ubi Chald. שְׁרֵא eo expressit): [unde BRETSCHNEIDERUS in *Lex.* ad v. n. 2. b. hoc quoque loco illam notionem tenendam esse censet, V.], in N. tamen Test. est insolens, et ab huius loci contextu prorsus abhorret: id quod abunde iam docuerunt BOSIUS, KYPKIUS et WOLFIUS [1]. Caeterum certior esset verborum *καταλύειν* et *λύειν* his ll. interpretatio, si satis constaret de verbis Hebr., quibus CHRISTUS in dicendo, MATTHAEUS in scribendo usus fuerit. הִשְׁבִּית

---

[1] Cf. et FRITZSCHIUS ad l., qui HOMBERGIUM recte castigatum a KREBSIO dicit. V.

per *καταλύειν* vertunt *οἱ ὁ* Ps. VIII: 3 et al. הֵבִיר per *παραβαίνειν* interpretantur EZECH. XVI: 58 al. et *ἠθετημένον ποιεῖν* JEREM. XXXIII: 19.

Quem in interpretandis verbis *λύειν* et *καταλύειν* vidimus doctorum Virorum dissensum, hic multo maior est in definienda vi oppositi *πληρῶσαι*. Cuius rei causa est, *partim* in tropica dicendi ratione, Graecis ignota et vario verbi *πληροῦν* usu in N. T., *partim* in varia interpretatione vocum *ὁ νόμος ἢ οἱ προφῆται*, *partim* in varia legis et Vatum ratione, *partim* denique in diversis interpretum sententiis de CHRISTI doctoris divini munere. Qua in controversia dirimenda quaerere nos oportet verbi *πληροῦν* significationem, usu probatam, rei, de qua agitur, consentaneam, utrique adiuncto *cum* legis, *tum* Vatum satis aptam, significatione verbi *καταλύειν* oppositam, denique ad orationem contextam CHRISTIque dicentis consilium compositam.

Verbum *πληροῦν* forma sua est *πλήρες ποιεῖν* *plenum facere*, *implere*, *replere*, hinc *perficere*, facere ut res talis sit, qualem esse oportet, *supplere*, *absolvere*. Cf. ERNESTI *Neueste Theol. Bibl.* I: 175. Quae significatio si accommodetur ad varias sive res, sive personas, quae dicuntur *πληροῦν* vel *πληροῦσθαι*, variae nascuntur notiones, cum propriae, tum tropicae. Cff. Lexica, et singulares *Dissertationes* G. F. WEBERI de voce *πληροῦν* Lips. 1751, 4 et F. G. DRESDII de sensu voc. *πληροῦν* in N. T. Viteb. 1786. 4. a SCHLEUSNERO

laudd., item G. C. STORRII *diss. de vocis πλήρωμα vario sensu in N. T.* Tubing. 1780. 4 § 4. repet. in *Opuscc. Acad. ad interpretationem librorum s. pertinentibus* ib. 1796. Vol. I. p. 152. [BORGERUS ad Gal. IV: 4. p. 254 et V: 14. p. 346. V.]. Ex his significationibus alii alias ad nostrum locum adhibendas censent: et alii quidem unam, alii plures. Qui plures uno verbo comprehensas putant, his videndum est, ut singulas una aliqua communi notione comprehendant: quod si negligant, committunt vitium, ab ERNESTIO *Inst. Interpr. N. T.* P. I. Sect. I. C. I. § 7, omnium bonorum interpretum consensu damnatum. Sed videamus *primum* de singulis significationum verbo πληροῦν h. l. tributarum formis, *deinde* de pluribus ad unam communem notionem relatis.

1. Proxime ad propriam verbi notionem accedere videntur, qui τῷ πληροῦν h. l. tribuunt significationem *perficiendi*, *absolvendi*. In hanc sententiam F. SOCINUS in *Explic. concionis Christi*, MATTH. V. VI. VII. Opp. vol. I. p. 10 significari putat *perfectionem* et *absolutionem* eorum, quae in lege Mosea et Prophetis continentur ad mores pertinentia, additis novis praeceptis. Neque aliter eius sectator JOH. LUD. WOLZOGENIUS in *Comm.* ad h. l. quamvis addat, potuisse CHRISTUM tecte significare impletionem eorum, quae legis ceremoniis et Prophetarum vaticinationibus de eo fuerant praesignificata. In eandem sententiam JOSEPHUS MEDIUS in *Opp.* Angl. edd. Lond. 1672. fol. p. 12 referente

WOLFIO in *Curis Philol. et Crit.* ad h. l. *πληρῶσαι* exposuit per *supplere* et *perficere* leges et doctrinas MOSIS et Vatum per ampliorem interpretationem et accessiones alias, statui Euangelii accommodatas. [Ita et MEYER. aliique ab eo ll. V.] Praeiverat iam EUTHYMIUS ZIGABENUS in *Comm.* ad. l. exponens *πληροῦν* per *ἀναπληροῦν, προσθεῖναι τὰ λείποντα.* Verum ea interpretatio, quamvis per linguae rationes ferri possit, parum accommodata est ad mentem et consilium CHRISTI dicentis. Nequaquam enim in hac oratione legis Moseae et praeceptorum a Vatibus Israeliticis propositorum naevos indicare voluit; sed hanc ipsam legem et disciplinam vindicare, contra depravationes et *παρερμηνείας* eorum, qui tum *νομοδιδάσκαλοί* audirent. Neque etiam sect. 19 eos laudat, qui nova praecepta, legi veteri addenda, essent observaturi; sed qui veterem legem, quoad ea sancte vivere iubet, doctrina et moribus essent commendaturi. Denique sect. 20 regni coelestis felicitatem denegat, non quidem viventibus ad unam legis veteris normam, sed iis, quorum pietas non praestaret *τῇ δικαιοσύνῃ τῶν γραμματέων καὶ τῶν φαρισαίων.*

2. Huic significationi vicina est notio *resarciendi* et *reparandi*, ut adeo CHRISTUS dicatur venisse ad *reparanda* et *resarcienda*, quae Pharisaei et legis interpretes suis *παρερμηνείαις* corruperant et depravarant. Hanc verbo *πληροῦν* notionem tribuit JOH. CAR. VOLBORTHUS, in continuatione operis *Zachariani*, *Bibl. Theol.* vol. V: p. 11, 12. Praeiverat JOH. MARCKIUS, qui in *Comp. Theol. Christ.*

C. XI. § 33. *legis impletionem* notare dixerat *plenam legis a Pharisaeis mutilatae declarationem ac restitutionem.* Quae quidem interpretatio, dummodo linguae usu esset probata, ferri posset, utpote rei, de qua agitur, consentanea, utrique adiuncto, cum legis, tum Vatum satis apta, significationi verbi *καταλύειν* opposita, et ad orationem contextam CHRISTIque dicentis consilium composita.

3. In N. T. frequens est usus verbi *πληροῦν*, quoties agitur de vaticinationibus Prophetarum, quae *πληροῦσθαι* dicuntur, quando *eveniunt praesignificata*, atque adeo perficiuntur, quae ad veritatem et auctoritatem vaticinationum confirmandam deesse videbantur. Quae notio apud MATTHAEUM frequens est. Cff. loca N. T. et scriptorum Graecorum, ut et ISENBIEHLII ac NOEBLINGII de hoc verbi usu scripta laudd. a SCHLEUSNERO in *Lex.* n. 7. Imprimis huc pertinent locus, Act. XIII: 27, ubi *πληρῶσαι* dicuntur Vatum voces, qui id faciunt, quod ab his praesignificatum est. Hanc igitur significationem multi cum veteres, tum recentiores adhibuerunt ad nostrum locum interpretandum, ac neminem vidi, eam prae caeteris exponendi loci rationibus ita commendantem, ut factum est a KYPKIO in *Obss. s.* ad h. l. »cum enim," inquit, »per *νόμον* libri MOSIS, per *Prophetas* libri Prophe»tarum sint intelligendi, in illis vero multa vati»cinia, typi et umbrae occurrant, hi vero plura »vaticinia, quam praecepta contineant, — *πληρῶσαι* »est: vaticinia et typos implere verbis, factis, imo

»et eventibus, qui alicui accidunt." Sententiae praesidium KYPKIUS quaerit in usu loquendi in N. T. et apud scriptores Graecos ac Latinos, qui suum *implere* eodem modo adhibuerunt; imprimis in verbis sect. 18 *ἕως ἂν πάντα γένηται*, quae ille cum aliis interpretibus de implendis vaticiniis interpretatur. [Ita et *tum* BRETSCHNEIDERUS in *Lex.* ad v. et in *Handb. der Dogmatik.* I. § 18. p. 163, ed. 4. *tum* FRITZSCHIUS in *Comm.* ad l. qui: »*πληρῶσαι*," inquit, »*implere legem et prophetas* »sic cum Juvenco enarra: *facere, quae in illis* »*libris* (*de Messia*) *perscripta sunt.* Universas »enim Messiae res accuratissime in V. T. praefinitas »esse Judaei existimabant. Recte autem h. m. »*πληρῶσαι* est verbo *καταλῦσαι* oppositum. Nam »si JESUS plenam Messiae, qualis in V. T. describebatur, imaginem retulit, hac ipsa sua indole »V. T. effata confirmabat." V.] Huic vero verbi *πληροῦν* interpretationi valde obest ipsa illa sect. 18, e qua perspicuum fit, CHRISTUM non tam *vaticinationes*, quam *praecepta* spectasse: addit enim, ne minimam quidem particulam (*ἰῶτα ἓν ἢ μίαν κεραίαν*) praeterituram *ἀπὸ τοῦ νόμου.* Cum igitur hic nullam Prophetarum faciat mentionem, intelligimus, Prophetas sect. 17 dictos esse, quoad *legis* erant interpretes et vindices, minime vero *legem* laudatam esse, quoad ea vaticinationes et typos exhibebat. Porro in tota hac oratione nihil invenias de vaticinationibus impletis: contra quae proxime praecesserunt et mox subsequuntur, cuncta

ad obedientiam legi praestandam pertinent. [Denique, quod recte animadvertit WETTIUS ad l. nulla causa erat, quare ita de vaticinationibus loqueretur; nam nemo cogitare poterat, velle JESUM Messiam esse, repugnantibus Vatum effatis. V.]

4. Neque in N. T. infrequens est notio *exacte observandi*, *diligenter praestandi*, atque adeo *implendi* id, quod mandatum est, ut adeo idem sit ac *τελεῖν* Rom. II: 27. JAC. II: 8. Sic PAULLUS Rom. XIII: 8. *πληρῶσαι νόμον* dixit, coll. s. 10, plane ac *ἀναπληροῦν τὸν νόμον* Gal. VI: 2, et *ὁ νόμος* ib. V: 14 dicitur *πληροῦσθαι*, alia ne commemorem sacrorum et humanorum scriptorum loca, quae contulerunt praeter scriptores mox laudandos, JOH. VORSTIUS in *Comm. de hebraism. N. T.* C. VI. § 1 et SCHLEUSNERUS in v. n. 6. [add. BRETSCHN. in v. n. 2. c. V.] Hanc igitur notionem nostro loco praeferendam putant ELSNERUS in *Obss.* ad h. l. et in *Comm. in Eu. Matth.* ad h. l. GEORG. RAPHELIUS in *ann.* ad h. l. WOLFIUS in *Curis* ad h. l. GEORG. HENR. LANG, *zur Beförder. des nützl. Gebr. des Teller. Wörterb. des N. T.* I. 248 et GER. HESSELINK, *Uitlegk. Woordenb.* voce *vervullen.* Quominus vero hanc interpretationem omnino probemus, impedit consilium CHRISTI dicentis, disiunctorum ratio in *καταλῦσαι* et *πληρῶσαι* et collatio sect. 19. Etenim CHRISTUS iis contradicit, qui suspicabantur, vel praetendebant ipsum id agere, ut legi Moseae auctoritatem derogaret, non simpliciter vita legi contraria, sed nominatim doctrina legi opposita.

Quod cum indicetur verbo καταλῦσαι, consequens est, in disiuncto πληρῶσαι plus esse, quam *observare* legem, eiusque praecepta *praestare.* Hoc vero ipsum dicitur sect. 19 ποιεῖν τὰς ἐντολάς, cui adiungitur alterum διδάσκειν.

5. Aliquando etiam verbo πληροῦν in N. T. inesse videtur notio *docendi*, *exacte*, *plene docendi*, *fideliter interpretandi.* Certe PAULLUS Rom. XV: 19 scribit, se inde ab *Hierosolymis* usque ad *Illyricum* doctrinam CHRISTI salutarem πεπληρωκέναι h. e. *plene docuisse*, et Col. I: 25 se πληρῶσαι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ h. e. *Dei doctrinam exacte exposuisse:* [de quibus tamen locis vid. FRITZSCHIUS in *Comm.* in *Pauli ad Rom. epist.* t. III. p. 273, sq., V.] Hanc igitur verbi πληροῦν notionem ex Judaeorum Graece loquentium consuetudine esse ducendam vidit iam DAN. HEINSIUS, qui in *Exercitt. s.* L. VI. C. 8 contulit locum 1 MACC. IV: 19, ubi editio Compl. habet πληροῦντος, pro quo tamen in aliis Codd. legitur λαλοῦντος. Conf. ad h. l. MICHAELIS. Sed CAMP. VITRINGA *Obss. s.* L. I. C. V. §§ 1—4, (vol. I: p. 204—208. cl. II. 435) eam significationem duxit ex chald. גְּמַר, quod cum *implendi*, *complendi*, *perficiendi*, *absolvendi* notione gaudeat, adhibetur etiam notione *docendi* in paraphr. Chald. Deut. VI: 7 et Job. XXII: 22 et in Cod. Talmud. saepius. Cf. BUXTORF, in *Lex.* Quam notionem si admittas, CHRISTUS sese venisse dicit ad *recte docendam et interpretandam legem et Vatum doctrinam.* Atque haec interpretatio,

praeterquam duumviris laudd., placuit etiam PETRO ZORNIO in *Opuscc. s.* t. I. p. 299, 300. CHRIST. SCHOETGENIO in *Hor. Hebr. et Talm.* ad h. l. HEUMANNO ad h. l. MICHAELIDI in *Isag. in N. T. ll.* § 20, TELLERO in *Lex.* Germ., KÜHNIO, qui exemplum similis usus e PHILONE *Alex.* attulit, et BOLTENIO. Neque ab ea sententia alienos sese profitentur ELSNERUS, ALBERTIUS et KYPKIUS. Ac profecto ea interpretatio usu loquendi satis videtur probata, [quod tamen *et* WETTIUS negat *et* FRITZSCHIUS, quorum hic l. modo laud. p. 273 »πληροῦν" inquit, »Graecis *docere* declarasse nemo unquam ostendet." V.], convenitque adiunctis, contextae orationi CHRISTIque consilio. Vel sic tamen fatendum est, in CHRISTI orationibus insolitum esse huius verbi usum ad *docendi* negotium significandum: et in hoc ipso orationis contextu CHRISTUS bis usus est verbo, quod Graecus interpres ([1]) per διδάσκειν vertit. Praeterea quod h. l. uno verbo πληρῶσαι dicitur, id ipsum sect. 19 duobus indicari videtur verbis, *ποιεῖν καὶ διδάσκειν.*

6. Itaque acquiescendum esse puto in sententia, quam in *Quaestionibus de locis N. T. difficilioribus* ([2]) et in vernacula orationis montanae inter-

---

([1]) De *Graeco interprete* dicit cl. Scriptor; nam statuebat, MATTHAEUM suum Evangelium Hebraea, s. Syro-Chald. lingua conscripsisse; quam sententiam in *Introit.* P. II. C. I. § 5 ms. fuse probavit. Recentiores Introit. scriptores ad unum fere omnes, ipsum adeo GUERIKIUM huic sententiae subscribere notum est. V.

([2]) Significat Scriptor *Quaestiones de ll. N. T. difficilioribus*, ipso

pretatione professus sum. Scilicet e propria illa verbi *πληροῦν* notione *implendi*, *complendi* sponte ducitur significatio tropica *plene praestandi* quod res postulat. Sic igitur *πληροῦν νόμον* Rom. XIII: 8 et *πληροῦν τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου* C. VIII: 4 dicuntur, *qui praestant*, quodcunque *lex et iustum legis statutum* postulant. CHRISTUM autem praestare oportuit, quodcunque lex Mosea et Vates ab eo postulabant, quodcunque personae legati divini a Mose et Vatibus designati conveniebat. Haec satis ampla est notio, comprehendens utrumque illud a CHRISTO praestitum, cum *vitam* exactam ad legis normam Vatumque disciplinam (n. 4), tum etiam perfectam eorum *interpretationem*, (n. 5). Utrumque opponitur *τῷ καταλύειν νόμον καὶ τοὺς προφήτας*. Utrumque sect. 19 indicatur, *unum* verbo *ποιεῖν*, *alterum* adiuncto *διδάσκειν*. In hanc sententiam nostrum locum interpretati sunt, HERM. WITSIUS *Oec. Foed.* L. IV. C. XIV. § 17. HERM. VENEMA in *Comm.* vern. ad h. l. BERNH. DE MOOR, in *Comm. in* MARCKII *Comp.* II: 643. ZACHARIAE, *Bibl. Theol.* III: 162. KUINOEL et V. D. PALM ad h. l. [nec non BAUMGARTEN-CRUSIUS *Comm. über das Ev. d. Matth.* ed. a J. C. TH. OTTO, Jen. 1844. ad l. V.]

---

praeside, a 1816—1825, in Acad. Rheno-Traject. defensas. Quaestio, quam hic commemorat, haec erat: »CHRISTUS sese venisse »dicit, *τὸν νόμον καὶ τοὺς προφήτας πληρῶσαι* hactenus, ut »*et* doceret *et* perficeret, quaecunque Deus iussit et praesignificavit »MOSIS lege et Prophetarum scriptis." V.

7. Parum a nostra sententia abest interpretatio, ab iis commendata, qui verbo πληροῦν attribuunt notionem *confirmandi*, *auctoritatem tuendi*, *vim et dignitatem tribuendi*, ductam e verbo מִלֵּא vel כָּלָה, quod utrumque οἱ ό verterunt per πληρῶσαι. Prius occurrit 1 Reg. I: 14, ubi NATHAN vates dicit, se reginae Batsebae dicta *confirmare*, iisque *auctoritatem conciliare* velle. Alterum adhibetur 2 Chron. XXXVI. 22. XXIV: 10 *perficiendi*, *consummandi* notione. Haec interpretatio placuit GUST. SOMMELIO in *Diss. de genuina notione vocis* πληρῶσαι MATTH. V: 17 *occurrentis*, laud. a SCHLEUSNERO, CAMPBELLO, laud. a MARSHIO in *Additt. ad Isag. ill.* MICHAELIDIS I: 37. GREG. MAYERO in *Spec. animadverss. in Gr. Matthaei textum*, Novimb. 1786. SCHLEUSNERO in voc. n. 4. HOR. NIEUB. FERFIO, in *Spec. Crit. Theol.* laud. p. 153. PAULO in Comm. ad h. l. MUNTINGHIO, *Geschied. der menschh. naar den Bijbel*, vol. IX: ann. 66 [et, ut videtur, WETTIO (1). V.]

---

(1) »πληρῶσαι," inquit WETT. ad l. »kann *thätlich erfüllen* heissen, aber auch *vervolkommnen* = τελειῶσαι, genauer, tiefer »fassen, auslegen, vollkommen, h. dem Geiste nach, geltend »machen. Vergl. LUK. XXII: 16. JOH. XV: 11. 2 Cor. X: 6. J. »Idee war gewiss auch, das Gesetz volkommen halten zu wollen, »nämlich dem Geiste nach (und v. 19 spricht er sowohl vom »διδάσκειν als ποιεῖν); aber h. spricht er, wie die Folge zeigt, »im Sinne eines Gesetzgebers, und denkt also vorzugsweise an das »erstere." Mihi tamen cl. HERINGA sententia propter rationes allatas praeferenda esse videtur. V.

Proxime cum hac ratione convenit interpretatio summi ERNESTII, qui in *Neueste Theol. Bibl.* I: 175, consentientibus DOEDERLEINIO *Inst. Theol. Christ.* § 266. Obs. 4 et HENR. CHR. GEHEO in *Commentt. Philologici et Theologici argumenti* Lips. 1792, p. 35, 36. πληροῦν νόμον significare dicit *absolvere* (h. e. *perficere*) *legem*, hinc legi perspicuitatem, auctoritatem et vim (*klarheit*, *ansehen*, *nachdruck*) tribuere interpretando, accuratius definiendo, addendo poenas et praemia: ut adeo idem sit ac στῆσαι τὸν νόμον Rom. III: 31, quod et SCHLEUSNERUS in v. ἱστάω n. 6 idem esse dicit cum nostro πληρῶσαι, vertitque *stabilire*, *confirmare et commendare.* Atque ita ERNESTI ad unam ampliorem significationem refert notiones divergentes, quas nonnulli interpretes cum veteres tum recentiores, in nostro loco interpretando copularunt. Sic CHRYSOSTOMUS, ab eo laudatus, cuius mentem ERASMUS quoque in *paraphrasi* expressit, arbitratur, CHRISTUM πεπληρωκέναι τὸν νόμον, 1. eam *servando*, 2. *efficiendo*, *ut ab aliis servaretur*, 3. *interpretando*, *a falsis interpretationibus liberando*, *auctoritatem maiorem tribuendo.* THEOPHYLACTUS primam et tertiam harum rationum coniunxit. EUTHYMIO ZIGABENO iudice CHRISTUS νόμον πεπλήρωκε, *1. obediendo; 2. addendo a lege praetermissa; 3. perficiendo et 4. finem ei imponendo.* E recentioribus MELANCHTHONUS tribus CHRYSOSTOMI rationibus quartam addit: *legis poenas sustinendo*, non improbante ERNESTIO. Quod qui-

dem viri τοῦ πάνυ iudicium mihi quidem nimis videtur benignum, imprimis propterea, quod interpretes, qui his modis legem πεπληρωμένην arbitrantur, alio modo Vates πληρωθέντας putent, h. e. *praestitis iis, quae Vates de Christo praesignificarunt.* E nostrae formulae interpretibus similiter optimi unum alteri adiunxerunt. CALVINUS ad h. l.: CHRISTUS, inquit, *vere implevit legem, mortuam literam Spiritu suo vivificans, deinde re ipsa exhibens, quod sub figuris duntaxat ostensum fuerat:* [at primum tamen dixerat, de *doctrina* hic agi V.]. Alibi vero, in *Instit. relig. Christ:* L. II. C. VII. § 14, CHRISTUM venisse scribit, *ut legis transgressionibus mederetur.* BEZA ad h. l. *legem*, inquit, CHRISTUS *pro nobis implevit, ceremonialem* quidem, *rem ipsam pro umbris substituens, moralem ita ut nos iustificatos sanctificet; propheticas autem praedictiones omnes praestitit.* PISCATOR: *implere legem*, inquit, *aut promissiones, phrasi Hebraea, est praestare ac facere, quae lex praecipit, aut quae promissa sunt. Belgae* denique *vervullen* interpretantur per *verklaren, onderhouden, en wat te voren afgebeeld en voorzegd is, te volbrengen.* Atque sic alii aliter.

Ex his de sententia huius loci dictis perspicitur, CHRISTUM nihil detrahere voluisse auctoritati MOSIS et Vatum, quorum ille legem, vitae sanctae normam perpetuam, genti suae tradidit, hi eam vin-

dicarunt; sed operam potius dedisse, cum doctrina, tum vita, ut legi et Vatibus suus constaret honos et auctoritas. Quod autem de lege dixit Conservator, intelligendum est de lege, quoad omnibus hominibus, omni aetate, communis esse potest; non de singulis praeceptis, ad ritus externos et reipublicae Israeliticae formam singularem pertinentibus. Etenim haec praecepta ad singularem illam gentis Israeliticae conditionem erant accommodata, cui finis erat imponendus, consociatis cum ea caeteris gentibus (¹). Hoc quarumcunque gentium consociandarum negotium hominum Conservatori erat demandatum: qui eo praestando faciebat, quod lex et Vates iusserant. Itaque, cum caetera praecepta sponte in desuetudinem abirent, CHRISTUS legem illam, omnibus hominibus communem, magis etiam stabilivit. Hanc autem ab

(¹) Cff. tamen praeter allata ex CALVIM aliorumque scriptis, ea, quae ad h. l. hac de re monet WETTIUS, qui ad quaest.: utrum JESUS legem tantummodo moralem, q. d. an vero ceremonialem etiam significaverit, haec respondet: »Auf das Ritual hat J. wenigstens keine Rücksicht genommen, V. 21 ff. Ob er beabsichtigt »habe, das Ritualgesetz aufzuheben? diese Frage verschwindet »einem unter den Händen, wenn man sowohl *καταλῦσαι* als »*πληρῶσαι* vom Geiste, nicht bloss vom Buchstaben, versteht, »wie man muss. Dem Geiste nach, d. h. für den Zweck der »Andacht, hat das Christenthum wirklich das Mosaische Ritual »Gesetz *nicht* aufgehoben, sondern vervollkommnet." — Legi quoque merentur, quae scripsit J. SONIUS SWAAGMAN, *Onderzoek, wat* JESUS *mag bedoelen, wanneer hij zegt,* MATTH. V: 17 *niet gekomen te zijn, om de Wet en de Profeten te ontbinden, maar te vervullen,* in Diar. *Waarheid in liefde* 1837. p. IV. p. 724—752. V.

eo indicatam fuisse, intelligitur etiam ex iis, quae deinceps in oratione montana addidit: quae singula non ritus aut mores, uni genti proprios, sed virtutem ac pietatem, pari modo ab omnibus praestandam, iniungunt. Accedunt alia CHRISTI dicta, quibus mentem suam de indole legis, quae in regno coelesti perpetua foret, aperuit: cuiusmodi sunt MATTH. XII: 3—8. XXII: 35—40. XXIII: 23. Conferri meretur ad hanc causam ὁ πάνυ GROTIUS ad l.

VATICINATIONUM, IN VETERIS TESTAMENTI CODICE SCRIPTARUM DIVINA ORIGO ET AUCTORITAS.

2. PETR. I: 19—21.

Petrus Apostolus [1] in eo est, ut Christianos ad fidei et virtutis constantiam excitet C. I: 3—8, proposita spe felicitatis, quam in regno coelesti erant adepturi, quo tempore CHRISTUS denuo esset appariturus hominum Conservator et Judex, ib. 10, 11, coll. s. 16 et C. III: 4, 10, 12. Neque enim eo de reditu dubitandum erat, licet profani homines falsique doctores eius spem abiicerent animisque credentium eripere cuperent, C. II. tot. C. III: 3, 4. Etenim Apostolus, qui ipse iamiam meliorem vitam a CHRISTO promissam erat initurus, C. I. 14, iis veritatis testis *et* antea fuerat, *et* nunc erat, *et* post excessum suum ex hac vita futurus erat, ib. s. 12—15, coll. C. III: 1, 2; isque fide erat dignissimus, quippe qui suis ipse

---

(1) Petrum *Apost.* dicit Scriptor; nam persuasum ipsi erat de epistolae origine Petrina: quod tum ex h. l. apparet, tum ex ejus *Intr. in N. T.* ms., in quo multis probare conatur, PETRO Ap. illam esse tribuendam V.

oculis CHRISTI maiestatem adspexerat, suisque ipse auribus hanc audiverat vocem divinam: *hic est filius ille meus, mihi dilectus, quo ego delector,* ib. s. 16—18. Huic apostolico testimonio iungit PETRUS propheticum, a Christianis eo tempore non negligendum, cuius divinam laudat originem et auctoritatem, ib. s. 19—21.

Huius in loci interpretatione ante omnia videndum est de orationis, q. d. subiecto, *τῷ προφητικῷ λόγῳ*, sect. 19. Et *λόγος* quidem de *sermone, voce, oratione*, hinc ad Hebr. דָּבָר de *doctrina* dicitur. *Προφητικὸς* autem per etymologiae leges et vim variam vocum *προφήτης* et *προφητεία* in N. T. significare potest, vel *a Vatibus profectum* vel *Vatum more dicentem*, vel *res futuras praedicentem*, vel *oraculum edentem.* Articulus autem *ὁ* certum quemdam designat *λόγον προφητικόν*. Itaque ex rei adiunctis, contexta oratione, scribentis proposito et doctrina PETRI alibi obvia, quin et Apostolorum reliquorum institutione de mente eius iudicium ferendum est.

Quod si fiat, *ὁ λόγος προφητικὸς* non erit 1. *praeconium* illud *Patris de filio*, quod modo memoraverat PETRUS, ut visum fuit ERASMO in *ann.* ad h. l. et in *paraphr.*, ut et CAR. CHRIST. LUD. SCHMIDTIO in *Bibl. für Kritik u. Exeg. des N. T.* Herb. 1798, Vol. II. p. 637. — 2. neque omnis *patefactio divina scripto consignata, cum Vet. Test., tum Novi*, quod placuit S. L. MAIEVIO in *Animadverss. ad varia loca N. T.* Decade I. Trai. ad Rh. 1764.

8. p. 42—46. — 3, neque *singularis quaedam cum veteris, tum Novi Codicis prophetia de fidelium liberatione propinqua*, quae THOMAE SHERLOCKII fuit sententia, in Diss. *de usu et finibus prophetiae*, angl. sextum ed. Lond. 1755, referente IMM. HOFFMANNO in *Obss. Philol. Crit. ad periocham* 2 Petr. I: 16—21. Tub. 1760. p. 17; 18. — 4. neque *omnis doctrina a viris θεοπνεύστοις in ecclesia V. T. praedicata*, ut arbitrati fuerunt JO. BENED. CARPZOVIUS in *Diss. Theol. de petra fidei, ab ipso Petro* 2 Ep. I: 19—21 commendata. Lips. 1688. 4. p. 15. repet. in *Disputt. Academ.* ibid. 1699. 4. p. 776. HERM. WITSIUS *Miscc. s.* L. I. C. XI. § 4. GOTTL. WERNSDORFIUS in Diss. deinceps laud. p. 12, et PAUL. ERN JABLONSKI in *Diss. de θεοπνευστίᾳ scriptorum s., Novi praecipue Test. in rebus, quas narrant, historicis* 1738. § 6, repet. in *Opuscc.* a JONA GUIL. TE WATERO edd. tom. IV. L. B. 1813. p. 432 sq. — 5. nec *doctrina Prophetarum*, qui fuerunt *in ecclesia Christi* Apostolorum aetate, quam sententiam iam pridem a JO. GUIL. PETERSENIO, in *Apostol. Zusammenh.* Francof. 1722. refer. HOFFMANNO in *Obss.* ll. p. 8 propositam, deinde sive omnino, sive ex parte ornatam a BENSONO aliisque interpretibus Anglis, imprimis multa industria defendit JO. JAC. GRIESBACHIUS in *Commentatione de verbo prophetico* 2 Petr. I: 16—21 primum ed. Jenae 1781, 1782, deinde recognita et aucta in *Commentatt. Theoll. edd.* a VELTHUSENIO, KUINOELIO *et* RUPERTIO 1799.

Vol. VI: p. 419—453, consentientibus JO. CHRIST. DOEDERLEINIO *Instit. Theol. Christ.* § 42. Obs. 2. CHRISTOPH. FRID. AMMONIO *Entwurf einer reinen Bibl. Theol.* Erl. 1792. p. I. p. 33, 34, et JO. ANT. LOTZIO *Inl. tot de ss. des N. Verb.* Vol. I. p. 433. — 6. nec praesignificatio Apostolorum JOHANNIS et PAULLI de magna *ἀποστασίᾳ*, eo tempore instante, ut opinati sunt IS. NEWTONUS in *Obss. de Joh. Apoc.*, angl. scriptis et belg. praefixis *interpretationi Apoc.* in *Theologorum Anglorum Commentariis*, ut et GUIL. WARBURTONUS in l. de *divina Mosis legatione*, ex angl. serm. in belg. converso, Amst. 1771. Vol. V. p. 438—444. (Cf. GUIL. BOWYERI *Coniect. in N. T. auctae a* SCHULTZIO, Lips. 1775 ad h. l. et HENR. HERM. DONKER CURTIUS *de Apoc. ab indole, doctrina et scribendi genere Joh. Apost. non abhorrente*, Traj. Bat. 1799, p. 166—168). — 7. neque *unicum illud Jehovae dictum*, quod JES. XLII. 1 legitur, prout coniecit JEREM. MARCKLANDUS, a WARBURTONO laud.

His interpretationibus minus probandis, quas singulas diiudicare nec lubet, nec vacat, praeferendam censemus vulgarem, qua ὁ λόγος προφητικὸς dicitur *doctrina*, sive *vaticinatio Prophetarum*, qui ante CHRISTI adventum futuram eius gloriam praesignificarunt. Ita ex veteribus AUGUSTINUS in Serm. XLIII. *de scripturis* § 5. *Operum* tom. V. p. 149, OECUMENIUS ad h. l. et omnes fere omni tempore optimi interpretes: in his etiam, qui hoc

et proxime exacto saeculo aliorum interpretationes viderunt et diiudicarunt, ut JO. MARCKIUS in *Exerc. ad* 2 PETR. I: 19—21, quae est XXV[a] in *Fasc. Diss. Philol. exeget. ad sel. textus N. T.* L. B. 1727. WOLFIUS in *Cur.* ad h. l. HOFFMANNUS in *Obss.* laudd. GE. CHRIST. KNAPPIUS in *Comment. in locum* 2 PETR. I: 19—21, primum ed. Halae 1785, atque ita ab HERM. MUNTINGHIO ins. *Syll. Opuscc. ad doctrinam s. pertinentium*, L. B. 1793, tom. II. p. 148—172, deinde vero recognita et inter KNAPPII *scripta varii argumenti*, *maximam partem exegetici*, Hal. 1805 ed. tom. I. p. 1—36. ROSENMÜLLER. in *Schol.* ad h. l. ZACHARIAE *Bibl. Theol.* I: 38. DAV. JUL. POTT in *ann.* ad h. l. SCHLEUSNERUS in Lex. v. προφητικός. HUFNAGEL, *Handb. der Bibl. Theol.* I. 16. MORUS in *Comm. exegetico-hist. in suam Theol. Christ. epit.* t. I. p. 93 et JOH. CHR. WILH. AUGUSTI in Germ. *epp. Cathol. interpret.* Lemgov. 1808. Vol. II. p. 43. Hanc interpretationem suadent 1. propria verborum significatio, a qua non nisi gravi de causa est recedendum. Cff. οἱ λόγοι τῶν προφητῶν Act. XV: 15, οἱ λόγοι τῆς προφητείας Apoc. I: 3. γραφαὶ προφητικαὶ Rom. XVI: 26 [apud GRIESB. XIV: 26. V.], et loca PHILONIS *Alex.* a LOESNERO laudd., in quibus λόγος προφητικὸς dicitur. 2. praedicata de τῷ λόγῳ προφ·, quae quam apte doctrinae veterum vatum conveniant, mox videbimus. 3. contexta oratio: qui enim h. l. est προφητικὸς λόγος, paulo post dicitur προφητεία γρα-

φῆς et προφητεία, ἣν ἐλάλησαν ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι, ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι, de quibus deinceps dicendum erit; et C. II. 1 quemadmodum Apostolo opponuntur ψευδοδιδάσκαλοι, ita τῷ προφητικῷ λόγῳ ψευδοπροφῆται, qui olim fuerunt. 4. PETRI doctrina, cum ex hac epistola, tum aliunde conspicua: etenim quemadmodum h. l., ita et alibi Apostolorum et veterum Vatum coniunctam fecit mentionem ad commendandam doctrinam CHRISTI C. III. 2 et 1 Ep. I. 10—12; ac solet PETRUS in orationibus suis laudare veteres Vates Israelitarum, qui praesignificarunt CHRISTI maiestatem, ut Act. II: 29—36. III: 20—24. X: 43.

Hunc igitur λόγον προφ. PETRUS dicit βεβαιότερον. *Βέβαιος* dicitur, quia est *firmus*, h. e. *certus*, *indubitatae fidei*, quemadmodum ὁ λόγος βέβαιος Hebr. II: 2, ἡ ἐπαγγελία βέβαια Rom. IV: 16, ἡ κλῆσις καὶ ἡ ἐκλογὴ βέβαια in nostra epistola C. I: 10, Dominusque noster dicitur βεβαιοῦν τὸν λόγον MARC. XVI: 20, et βεβαίωσις τοῦ εὐαγγελίου laudatur Phil. I: 7. Atque ita apud PHILONEM, l. a. LOESNERO laud. τῆς φύσεως νόμοι dicuntur βεβαιότεροι humanis [1]. Sed quomodo nostro loco *comparativus* βεβαιότερος sumendus sit quaeritur. Quodsi enim vaticinationes dicantur *certiores* testimonio *Dei* vel *Apostoli*, de quo in proxime antegressis sermo fuerat, huius auctoritati nonnihil detrahi videtur, quod certe a PETRI mente abhorret. Quae

---

[1] Alia v. ap. BRETSCHN. in *Lex.* ad v. V.

difficultas tanta visa est nonnullis, ut maluerint reponere *βεβαιότερον τῶν προφητικῶν λόγων*, quomodo legitur in cod. STEPH. ε. Cf. CARPZOVIUS. Alii, praeeuntibus interprete *Syro*, item ERASMO et LUTHERO, gradum comparativum pro positivo adhibitum putant, quod tamen a dicendi consuetudine, in N. T. obvia, abhorret. Probabilior est enallage comparativi pro superlativo, quam nostrates etiam, praeeuntibus BEZA et PISCATORE, admiserunt; [cf. et BRETSCHN. in *Lex.* ad v. *βέβαιος*. V.] ea enim non infrequens est in his libris. Cf. MATTH. XI. 11. XIII. 32. XVIII. 1. XXIII. 11. Act. XXV. 10, et loca, a GLASSIO in *Philol. s.* L. I. Tract. I. Can. XVIII. [p. 50, 51 ed. *Dath.* V.] laudd., quocum tamen comparari ea merentur, quae CHRISTOPH. WOLLIUS contra hanc enallagen disputavit in *Commentatione de genuina locutionum sacrarum comparativarum ac superlativarum explanatione*, subiecta *Examini regularum hermen. ab* AUGUST. CALMETO *commendatarum*, Lips. 1733, p. 140—155, ubi nec nostrum neglexit locum, in quo interpretando ipse antea hanc enallagen admiserat, in *Commentat. de parenthesi s.* Lips. 1726, p. 53, 54, [uti et WINERI *Grammat.* § 36. n. 3. V.]. Sed potest etiam consueta comparativi notio retineri, sive cum OECUMENIO, GROTIO aliisque dicas vaticinationem *nunc magis ratam quam antea*, cum ea nondum esset rerum eventu comprobata, sive eam compares cum *σεσοφισμένοις μύθοις* sect. 16, sive eam conferas cum testimonio

Apostoli de voce ad eo semel audita, cui opponantur multa veterum Vatum oracula scripto consignata: [vel, hoc sumto cum CALVINO, hic omnino conferendo, statuas, Apostolum *Judaeos* proprie designasse, quibus familiaris erat Prophetarum doctrina, et apud quos indubium erat, a Domino profectum, quicquid Prophetae docuerant, illumque hanc ob caussam firmiorem illam vocasse. V.] Varias enim huius difficultatis tollendae vias inierunt interpretes, laudd. a CARPZOVIO, MARCKIO, WITSIO, HOFFMANNO, aliis. [Itaque non est, quod, servata comparativi notione, confugiamus ad ULLMANNI interpretationem, qui in l. *der zweite Brief Petri Kritisch untersucht*, Heidelb. 1821, p. 38, contendit, epistolae scriptorem ad veterum Vatum dicta provocasse, ut Messianam JESU dignitatem comprobaret, quoniam res in facto positae, quas commemoraverat, non satis firmum probandi argumentum ipsi praebebant. V.] Caeterum notatione dignus est articuli usus, ex quo haec oritur sententia: *ἔχομεν βεβαιότερον λόγον, τὸν προφητικὸν*, quam Belgae sic exprimunt: *wij hebben een vaster woord* (namelijk) *het profetische*, sive *dat der Profeten.*

Hanc igitur Prophetarum doctrinam ii dicuntur *ἔχειν*, non tantum, *quibus* eius *copia facta est*, sed et *qui ea fruuntur*, ut 1 Tim. III: 9. 2 Tim. I: 13. Hebr. XII: 28. Nonnulli, praeeunte, ut videtur, OECUMENIO, huic verbo tribuunt notionem *reputandi*, *censendi*, quae alibi occurrit, ut MATTH.

XIV: 5. Act. XX: 24. Phil. II: 29, hîc vero necessaria non est. Prima plur. numeri persona in ἔχομεν convenit proxime antegressis ἠκούσαμεν sect. 18 et ἐγνωρίσαμεν sect. 16, atque adeo ad eosdem referenda videtur *Apostolos*, quamvis etiam possit simul ad Christianos referri, ad quos data est haec epistola, [quae CALVINI sententia est. V.]; obstat tamen personae mutatio in mox subseq. ποιεῖτε *Καὶ* possis vertere cum HOFFMANNO et POTTIO per *quin etiam*, *insuper*, *imprimis*, quomodo ex Hebr. MARC. I: 5. XVI: 7 alibi. HUFNAGELIUS illativa significatione vertit per *itaque*, *iccirco*, ut saepius: sed parum accommodate ad h. l. Cf. SCHLEUSNER. in v. n. 7. et 15, [inprimis WINERUS *Grammat.* § 57, n. 2. V.]

Huic igitur doctrinae Vatum attendendum esse docet PETRUS, humanissimis usus verbis, quibus inest cum, laudatio praesentis instituti, tum adhortatio ad perseverandum in eo: ᾧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες h. e. *cui benefacitis*, *quod assidue attendatis*, sive *animum animadvertatis*. Est enim ea traiectio pro ᾧ προσέχοντες καλῶς ποιεῖτε utrique linguae communis. *Προσέχειν* subaudito *τὸν νοῦν* vel *τὴν διάνοιαν*, *assidue attendendi*, *animum advertendi* et *applicandi* notionem habet cum in N. T., ut 1 Tim. I: 4. Tit. I: 14, [ad Hebr. II: 1. V.] tum apud scriptores Gr., maxime Alexandrinos. Cf. SCHLEUSNERI *Lex.* in v. n. 3, [et BRETSCHN. *Lex.* ad v. n. 2. V.]. Alibi et *assentiendi*, *fidem habendi*, *obtemperandi* notio oc-

currit, ut Act. VIII: 6, 10, 11. XVI: 14. de qua vid. RAPHELIUS in *ann.* ad postremum Act. locum. Add. ABRESCHIUS ad Hebr. II: 1. Eamque notionem nostro loco accommodandam censent KREBSIUS in *Obss. Flav.* p. 406. coll. p. 203 sq. et KÜHNIUS in *Spicil. Obss. ad N. T. e Phil. Alex.* p. 165, sq. Attamen altera illa magis congruit comparationi cum eo, qui ad *lucernam* attendit, ut bene vidit GRIESBACHIUS. Nec tamen ea comparatio nobis suadet, ut προσέχειν cum HUFNAGELIO vertamus per *ante oculos habere.* — Formula καλῶς ποιεῖν apud optimos scriptores Graecos saepenumero dicitur de his, qui non tantum *utiliter* et *proficue*, sed etiam *recte* ac *decenter* res suas *agunt.* Atque ita etiam in N. T. adhibetur; vid. Act. X: 33. 1 Cor. VII: 37, 38. Phil. IV: 14. JAC. II: 8, 19. 3 JOH. 6. Alexandrini ea usi sunt ad exprimendum Hebr. הֵטִיב 1 Reg. VIII: 18. 2 Chron. VI: 8. Cf. ELSNERUS ad h. l. KREBSIUS lib. l. p. 229, 230, 406 et VALCKENAER. in *Schol.* ad Act. X: 33. Itaque SCHLEUSNERUS in v. καλῶς n. 2 bene interpretatur *uti decet*, *uti par est:* minus recte in v. προσέχειν n. 3, secutus KREBSIUM, καλῶς ποιεῖτε vertit *recte agetis*, *seu saluti vestrae optime consuletis:* in qua interpretatione praeterea hoc notandum est, quod futurum pro praesenti sit adhibitum. In utroque similiter laborantem videas POTTIUM.

Quo autem rectius Christiani intelligant utilitatem, e diligenti doctrinae propheticae comtempla-

tione percipiendam, hanc describit, comparatione adhibita cum *lucerna in tenebricoso loco lucente*, his verbis: *ὡς λύχνῳ φαίνοντι ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ. Λύχνος lucerna*, Hebr. נֵר imago est *doctrinae*, mentes hominum *collustrantis*, Ps. CXIX: 105. Prov. VI: 23. *Αὐχμηρός* rariore vocabulo, nonnisi h. l. in N. T. occurrente, dicitur *τόπος*, plerumque *squalidus*, *siccus*, *desertus*, docente KYPKIO ad h. l., quomodo etiam h. l. accipiendum esse censuit GROTIUS. [BRETSCHNEIDERUS in *Lex.* ad v. »*αὐχ-*»*μηρὸς τόπος*," inquit, »hic dicitur haec terra, qua»tenus miseriis et sordibus (C. 2, 20) est plenissima, »interitui destinata (C. 3, 10) et pulchriori terrae »olim (vers. 13) locum datura," V.] Nonnumquam tamen significat *obscurum*, quod testantur HESYCHIUS et SUIDAS, probatque locus ex ARISTOTELE a WETSTENIO allatus. Atque hanc significationem postulat ipsa res et ratio. Convenit igitur cum voce *αὐχμώδης*, qua usus est interpres Alex. Mich. IV: 8, pro qua AQUILA scripsit *σκοτώδης* In Hebr. textu est עֹפֶל *clivus*, pro quo tamen interpretes legisse videntur אֹפֶל *tenebrae*, quemadmodum etiam *οἱ ό* legisse videntur 2 Reg. V: 24, ubi *σκοτεινός* habent. Itaque non est, quod cum H. STEPHANO et RICH. BENTLEIO legas *ἀμαυρῷ*, sine ulla testimoniorum auctoritate. Quemadmodum autem noctu in locis tenebricosis lucerna viatoribus praelucet, ita etiam doctrina Prophetarum Israelitis, in ignorantiae et dubitationum tenebris versantibus, profuit hactenus, ut aliquam sibi salutis, per promissum

Messiam procurandae, notitiam compararent. In participio *φαίνοντι* BENGELIUS, probante KNAPPIO, temporis imperfecti notionem quaesivit, quae etiam inest antegresso *ὄντες* sect. 18, propterea quod sequantur, non praesentia *διαυγάζῃ* et *ἀνατέλλῃ*, sed aorista *διαυγάσῃ* et *ἀνατείλῃ*. Quod tamen nec necesse est, neque apprime convenit cum praesenti *ποιεῖτε*, ut animadvertit HOFFMANNUS. Caeterum a simplicitate scribendi Petrina abhorret, imaginem repetere vel a lucernis Judaeorum sacris, vel a lychnucho, sive candelabro aureo, quod fuit olim in tabernaculo et templo, loco caliginoso: quorum *illud* placuit THEOD. DASSOVIO in *Disp. de emphasi sacrarum vocum, ex veteri historia Ebraeorum repetenda*, Kilon. 1702, p. 35, *hoc* visum est JO. GOTHOFR. LAKEMACHERO in *Obss. de lychno lucente in loco obscuro* caett. ins. *Obss. Philolog.* P. II. Helmst. 1727, p. 166—183. Cff. WOLFIUS et HOFFMANNUS. Longius etiam ab Apostoli ingenio abest, quod JO. STINSTRA in praef. Vol. III libri valde laudandi: *Oude voorspellingen aangaande den Messias*, Harl. 1786, p. XXIX sq. coniecit, alludi ad profanarum gentium *μυστήρια*, celebrari solita in antris et speluncis, accensis lucernis.

Quamquam autem veterum Vatum doctrina lumen praebeat rite ad eam attendentibus, splendidiorem tamen lucem, illi subsecuturam, laudat PETRUS his verbis: *ἕως ἡμέρα διαυγάσῃ καὶ φωσφόρος ἀνατείλῃ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν.* Pro *ἡμέρα* codex

Leicestr., a WETSTENIO laud., habet ἡ ἡμέρα, quomodo etiam legitur in edd. *Complut.* *Colinaei*, *Bogardi* et *Genev.* a 1620, notante WETSTENIO, [quae commemorare neglexerunt GRIESB. SCHOLZ. et TISCHENDORF. V.], quam proinde lectionem ADR. KLUIT in *Vind. art.* ὁ, ἡ, τὸ, Trai. ad Rhen. 1768, p. 1 p. 640 praeferendam censet; sed obstat absentia art. ὁ ante φωσφόρος. Ἡμέρα dicitur *dies*, h. e. tempus, quo fruimur solis luce. GRIESBACHIUS, qui [neque in ed. N. T., quod modo monuimus, neque V.] in app. variarum lectionum ne mentionem quidem fecit articuli ante ἡμέρα alicubi additi, in *Commentatione* tamen laud. (l. l. p. 439) ita scribit, ac si in textu legatur ἡ ἡμέρα et ὁ φωσφόρος; ac proinde ἡ ἡμέρα ipsi est *tempus, quo venturus est Dominus*, quod et alibi, et in hac nostra epistola C. III: 10 dicitur ἡ ἡμέρα Κυρίου· ὁ φωσφόρος autem ei est *id, quod instantem illum diem praecurrit*. Qua in expositione aliquatenus praeeuntem habuit HAMMONDUM, cui iam contradixit CLERICUS. Et profecto obest loquendi usus in N. T. Nullibi enim ἡμέρα, nude posita, hoc tempus denotat. [Ita et PETRUS, illud tempus significans, in hac ipsa ep. C. II. 9 ἡμέραν κρίσεως et C. III. 7, ἡμέραν κρίσεως καὶ ἀπωλείας τῶν ἀσεβῶν ἀνθρώπων dicit. V.]. *Διαυγάζειν illucescere* non nisi h. l. in N. T. occurrit: [neque apud τοὺς ὁ habetur V.]. Φωσφόρος item ἅπαξ λεγόμ· [neque apud τοὺς ὁ occurrens. V.]. Lat. *lucifer*, aliquando est *stella matutina*, quae

Apoc. II: 28 et XXII: 16 dicitur *ὁ ἀστὴρ ὁ πρωϊνός* (1), nonnumquam vero, teste SUIDA, ipse *sol*. Hic *ἀνατέλλειν exoriri* dicitur, ut MATTH. XIII: 6. MARC. XVI: 2. JAC. I: 11. Duae formulae *ἡμέρα διαυγάζει* et *φωσφόρος ἀνατέλλει* mihi quidem videntur ad eandem rem per tropum enunciatam referendae. Alibi similes parallelismos reperias in PETRI oratione, ut 1 Ep. I: 24. II: 7, 9, 10, 22, 23. III: 10, 12. IV: 11. 2 Ep. III: 9, 10, 12. Act. I: 17. II: 14. IV: 11. X: 35. Quem si nostro loco admittas parallelismum, nulla difficultas erit in eo, quod prius *diei illucescentis*, quam *luciferi orientis* fiat mentio: quamquam fateor cum KNAPPIO, optimos etiam scriptores in tropis coniungendis naturae ordinem non semper fuisse secutos. Cf. interim STINSTRA l. l. p. XXX sq. Quod additur *ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν* non cum MARCKIO referam ad utrumque *ἡμέρα διαυγάσῃ* et *φωσφόρος ἀνατείλῃ*, sed cum plerisque interpretibus ad posterius restringam: hoc enim ipsam *lucem orientem*, prius vero *tempus* eius indicat. Quomodocunque sumas, PETRUS ipse tropum interpretatur, docens *lucem* illam dici de *animorum collustratione:* [neque est adeo, quod cum BRETSCHNEIDERO in *Lex*. ad v. *φωσφόρος* dubitanter dicamus: »*ἡμέρα* »et *φωσφόρος* imagines sunt vel lucis animum col-

(1) Hanc certe lect. Apoc. XXII: 16 GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHENDORF. in textum receperunt. Vulg. vero habet: *ὁ ἀστὴρ — ὀρθρινός*. V.

»lustrantis ad intelligendas res divinas, vel felici»tatis futurae, quae constantiae in fide praemium »est." V.] WOLLIUS quidem in laud. *Comm. de parenthesi s.* p. 15 et ZACHARIAE ll. ll. haec *ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν* a proxime antegressis divellenda et ad remotius *προσέχοντες* referenda existimarunt, ut adeo interposita *ὡς λύχνῳ—ἀνατείλῃ* parenthesin faciant. Sed quam durum hoc sit et insolens quisque facile intelligit, et monuerunt WOLFIUS in *Cur.* ad h. l. et JO. BENED. CARPZOVIUS iunior, in *s. Exercitationibus in Pauli ep. ad Hebr. ex Philone Alex.* Helmst. 1750. p. 65. Itaque PETRUS nocti et *tenebris*, h. e. tempori ignorantiae et dubitationis opponit *diem*, h. e. tempus cognitionis et rectae scientiae, et *diem* quidem *illucescentem*, h. e. temporis illius initium: *lucernae* vero h. e. institutioni imperfectiori *solis lucem* h. e. doctrinam consummatiorem, et solis quidem *exorientis* h. e. mentes, antea minori lumine fruentes, nunc pleniore luce collustrantis. Quodsi vero quaeras, quaenam sit ea perfectior doctrina et quo tempore speranda, equidem mihi persuadeo, PETRUM non [de dono prophetico, quod GROTIO placuit, neque V.] de consummata hominum post hanc vitam intelligentia loqui, quomodo visum fuit GLASSIO *Philol. s.* L. II. Tract. I. [C. VIII. p. 1000. V.] C. X. p. 1050 *sq.* ed. Dath. [CALVINO V.] COCCEIO et aliis, sed de notitia, quam hac in vita assequuntur, quicunque ad Euangelii doctrinam serio attendunt, eamque vera agnoscunt fide: ut adeo beatior di-

catur conditio eorum, qui hac N. Foederis luce fruantur, quam fuerit eorum, qui non nisi Prophetarum lucerna uti potuerint. Favet huic interpretationi consilium PETRI, qui omnem dubitationem et haesitationem Christianorum animis voluit eximere, ac propterea operam dare fidei eorum augendae ac confirmandae C. I: 12—15. III: 1, 2, 18, quae quidem mentis illustratio hac in vita speranda erat. Magis etiam ei favet collatio loci 1 PETR. I: 10—12, ubi similiter ipsorum Prophetarum imperfectiori scientiae opponitur perfectior, qua nunc gaudent Christiani. Unum tamen obesse videtur in eo, quod PETRUS Christianos laudet ad Vatum doctrinam attendentes, *ἕως οὗ dies illucescat.* Quodsi igitur ille dies iam tunc illuxisse dicendus sit, Christianique habendi sint in hac vita solis luce collustrati, nulla amplius erit vaticinationum utilitas. Verum ea difficultas tanti non est: etenim illud *ἕως οὗ* scil. *χρόνου* aeque ac Hebr. עַד־כִּי non ita tempus restringit, ut postea rei nullus relinquatur locus, sed aliquando etiam sic dicitur, ut res *imprimis* ad id usque tempus facta vel facienda laudetur, quemadmodum MATTH. XIV: 22. XXVIII: 20. 1 Tim. IV: 13. Hebr. I: 13. Notavit etiam hunc usum SUIDAS. Cf. GLASSII *Philol. s.* L. III. Tract. V. Can. XI. (¹) et HENR.

(¹) Ita legitur in ms.; sed indicare voluit Scriptor, nisi fallor, L. I. Tract. V. Can. XII. ed. Dath. t. I. p. 382 sqq., qui canon sic sese habet: »Adverbia *donec* et *usque* non semper tempus »praeteritum determinant et futurum excludunt; sed et saepius

HOOGEVEEN *Doctr. particull. ling. Gr.* C. XIX. Sect. I. §§ 2, 3. Caeterum admodum frequens est in sacris cum Novi, tum Vet. Foederis libris metaphora a *tenebris* et *luce* sumta, ad significandam *ignorantiam* et *doctrinam salutarem.* Cff. e multis Ps. CXIX: 105. JOH. I: 5, 9. III: 19. V: 35. VIII: 12. Act. XXVI: 18. Rom. XIII: 12. 2 Cor. IV: 4, 6. VI: 14. Eph. V: 8, 14. 1 Thess. V: 5. 1 JOH. II: 8—11. Loca PHILONIS *Alex.* dabunt ELSNERUS, WETSTENIUS et POTTIUS. Notatu etiam dignus est locus R. ELIAE apud TRIGLANDIUM, *de secta Karaeorum*, p. 285 et WOLF. *Cur.* ad l. p. 201 *sq.* Cf. JO. CHR. HENR. KRAUSII *Comment. de usu vocabulorum* φῶς et σκοτία in N. T. Goett. 1785, repet. in *Syll. Opuscc. Muntinghiana*, Vol. I. p. 180—203, ubi tamen nostrum neglexit locum.

Rationem reddit PETRUS Sectt. 20, 21, cur recte agant Christiani, animum advertentes ad Prophetarum doctrinam tam proficuam ad mentes illustrandas. Quam quidem rationem sect. 20 proponit, mox sect. 21 eam expositurus et confirmaturus.

Rationem propositurus sect. 20, τοῦτο, inquit, πρῶτον γινώσκοντες, ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται. Πρῶτον a nonnullis

---

»indeterminate accipiuntur, ita ut sequens tempus omne includatur, »ac proinde per *semper* vel *numquam* explicanda sunt: *illud* in »affirmativis, *hoc* in negativis sententiis." Cf. et WINERUS *Grammat.* § 42, n. 3. p. 272 *sq.* V.

sumitur ratione *temporis* habita, quomodo MATTH. V: 24. JOH. XV: 18, ut sit, vel *prius quam ego dicam*, vel *prius quam vos legatis*; sed rectius plerique non nisi *dignitatis* ac *praestantiae* rationem habent, ut sit *ante omnia*, *imprimis*, *praecipue*, quomodo MATTH. VI. 33. LUC. XII: 1. Rom. I: 8. III: 2. 1 Tim. II: 1; id enim suadet locus ex epistola nostra parallelus C. III: 3, [quo eadem dicendi formula *τοῦτο πρῶτον γινώσκοντες* occurrit. V.]. *Γινώσκειν sciendi*, *tenendi*, vel etiam *reputandi* notione venit. [BRETSCHNEID. in *Lex.* ad v. n. 3. b. *persuadeo mihi*, *persuasum habeo* tum alibi, tum h. l. significare *γινώσκειν* contendit. V.]. Participium *γινώσκοντες* ita cohaeret cum antegresso *καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες*, ut sententia sit: *quandoquidem scitis.* BEZA et GROTIUS: *si noveritis.* KNAPPIUS et POTTIUS: *oportet enim vos tenere. Προφητεία γραφῆς* est vel *προφητεία γεγραμμένη* scil. in Veteris Test. codice, quomodo C. II: 1, *αἱρέσεις ἀπωλείας* sunt *αἱρέσεις ἀπολλυοῦσαι*, vel *προφητικὴ γραφή*, quomodo C. III: 4, *ἐπαγγελία τῆς παρουσίας* est *ἐπαγγελμένη παρουσία*, vel *προφητεία ἐν τῇ γραφῇ. Γραφή* enim aliquando aeque ac *ἡ γραφή* et *αἱ γραφαὶ* dicitur de *libris V. T. sacris* 2 Tim. III: 16 ([1]); posteriores tamen di-

---

([1]) Ita et BRETSCHNEID. in *Lex.* ad v. *γραφή*, n. 1. a. sed minus accurate: »uno tantum in loco, 2 PETR. 1: 20, *ἡ γραφή* de toto »corpore V. Test. legitur." Cl. HERINGA postea sententiam mutasse videtur. Cff. quae monet ad 2 Tim. III. 16. V.

cendi rationes sunt multo frequentiores. *Γεγραμμένα* nude quoque dicuntur *scripta his in libris* Luc. XXII: 37. Joh. XII: 16. Indicatur autem ipse ille *λόγος προφητικός*, qui paulo ante fuerat dictus: scilicet nominatim ea ibi laudantur, quae Vates de CHRISTO praesignificarant, hic vero generatim eorum vaticinationes in V. T. libris scriptae commendantur. Neque enim aut *totum codicem V. T.*, aut ipsam vaticinationum *interpretationem*, aut rerum futurarum *praesignificationes factae a doctoribus Christianis* indicari intelligitur, collatis antea de *τῷ προφ. λόγῳ* dictis. *Πᾶσα προφητεία οὐ* ex Hebr. idem est atque *οὐδεμία προφητεία*, ut Eph. V: 5. 1 Joh. II: 21. [Cf. WINER. *Grammat.* § 26, n. 1. V.]. Negat autem PETRUS vaticinationes esse *ἰδίας ἐπιλύσεως*. Quod quidem enunciatum tantopere torsit interpretes, ut nonnulli etiam lectionem mutandam censuerint. CALVINUS enim, GROTIUS, MANGEYUS ad PHIL. *Alex.* t. I p. 510, aliique a WOLFIO laudd. pro *ἐπιλύσεως* substituendum coniecerunt *ἐπηλύσεως*, quod *impulsum* vertunt; DAN. HEINSIUS *ἐπελεύσεως*, *impetus*; PATR. JUNIUS *ἐμπνεύσεως inspirationis*: sed contra codicum fidem; nulla enim est lectionis varietas, nisi quod in uno STEPHANI Cod. *ιγ.* legatur *διαλύσεως dissolutionis*, quod nihili est. Sed propter magnam interpretationum diversitatem videndum est primum, quae sit *ἐπίλυσις*, deinde quae *ἴδια ἐπίλυσις*.

Ἐπίλυσις scilicet proprie est *solutio*, hinc dicitur *declaratio*, *explanatio*, *interpretatio*. Ita in-

terpres Graec. sive AQUILA, sive alius ignotus, Gen. XL: 8. Hebr. פִּתְרֹנִים *interpretationes* vertit ἐπίλυσις, ubi οἱ ό habent διασάφησις. Similiter SYMMACHUS Hos. III: 4, Hebr. תְרָפִים expressit. Et verbum ἐπιλύειν adhibent οἱ ό ad Hebr. פָּתַר exprimendum Gen. XLI: 12, ubi de somniis *interpretandis* sermo est: imo MARCUS Eu. IV: 34 id ipsum adhibuit de JESU parabolas suas *interpretante*: [ad quem loc. cf. FRITZSCHIUS, p. 143. V.] PHILO *Alex.* verbo ἐπιλύειν et ἐπίλυσις de *solutione* quaestionum e s. libris propositarum usus est locis a WERENFELSIO et LOESNERO laudd. Loca *Pseudo*-CLEMENTIS *Rom.*, CLEMENTIS *Alex.*, EUSEBII et EPHREMI *Syri* e versione Gr. dabit ABRESCHIUS in *ann.* ad *ep. ad Hebr.* p. 197, et ATHENAEI ac HELIODORI BOSIUS in *Exercitt. Philol.* ad h. l. Itaque humani quid accidit summo ERNESTIO in *neueste Theol. Bibl.* I: 122, neganti hanc verbi significationem. Recte igitur plurimi interpretes, cum veteres, quorum in hac causa auctoritas non facile est repudianda, tum etiam recentiores hanc vocis ἐπίλυσις notionem nostro in loco eligendam censuerunt. Sed viri docti non pauci alias quoque illi h. l. tribuerunt significationes. Ac 1 quidem ἐπίλυσιν per *impetum* vertit VICTOR. STRIGELIUS in *Hypomnematibus* ad h. l. (¹), provocans ad SUIDAM, qui ἐπίλυσιν interpretatur per ἔφοδον, ut adeo sententia sit: prophetiam non humano *impetu*, sed di-

(¹) Addit ABRESCHIUS in *Dict.* ad h. l. ANTRALDUM et BENSONUM.

vino Spiritus s. *instinctu* afflatuque in ecclesia versari. — 2. Ἐπίλυσις vertitur *inventio*, *excogitatio* a JOH. HENR. DAN. MOLDENHAWERO in *Erläuterung der h. bücher des N. T.* Vol. IV. Lips. 1770, p. 99, 100, quocum faciunt ERNESTI *Neueste Theol. Bibl* I: 122. ZACHARIAE *Bibl. Theol.* I: 53. MOSCHE *Bijbelvriend*, Vol. III, p. 39. LAUR. MEYER, *in Commentat. de inspiratione script. s.* Ultraj. 1784, p. 14 et HUFNAGELIUS l. l. p. 13, 19. Hi igitur provocant ad l. Act. XIX: 39, ubi ἐπιλύειν dici videtur de *disquisitione* et *inventione* rei, de qua instituitur quaestio, et ad laudatam SYMMACHI versionem Hos. III: 4, ubi AQUILA φωτισμοῦ voce usus est, THEODOTION vertit ἐπιλυόμενον, Alexandrini δῆλοι, idem ac δηλώσεις *declarationes*, *manifestationes*, unde efficiunt, apud Judaeos Graece loquentes ἐπίλυσιν idem esse ac δήλωσιν et φωτισμόν. — 3. Ἐπίλυσις visa est ERASMO in *ann.* ad h. l. dicta ab *adeundo* (ἐπέρχεσθαι, vel obsoleto ἐπελεύθειν), ut adeo Vates dicantur non ipsi suamet voluntate *aggressi* edere prophetias, sed impulsu Spiritus s. Eandem vocis originem et significationem LAKEMACHERUS, l. l. p. 186—188 invenisse sibi visus est, in eo tamen ab ERASMO diversus, quod ἐπίλυσιν ἰδίαν interpretetur *accessum proprium*, prophetiam autem dictam putet, non virtute humanae mentis propria et naturali *proveniens*, neque ad hominem quasi *accedens*. Quod quam alienum sit a linguae analogia docuit WOLFIUS. — 4. JO. CLOPPENBURGIUS in Disp. VI *de canone Theologiae*

et iudicio controversiarum secundum canonem, Fran. 1642, repet. in *Opp. Theol.* t. II. p. 38 credidit, ἐπίλυσιν esse *concessionem*, *permissionem*, hinc per synecdochen *quamvis voluntatis determinationem*, *tam effectivam*, *quam permissivam*: SUIDAS nimirum τὸ ἐπιλυομένου exponit συγχωροῦντος, unde efficit ille, ἐπίλυσιν idem esse ac συγχώρησιν, dicique eam de quacunque *voluntate* et *proposito*, quemadmodum *Galli*, *Itali*, *Angli* et *Belgae* Latino *resolutio* hac significatione in suam linguam transtulerunt. — 5. Jo. CAMERO, qui in *Praelectt. de Ecclesia*, *Opp* p. 307 sq. notionem *interpretationis* voci ἐπίλυσις tribuit, in *Praelectt. de verbo Dei*, C. XVI. *Opp.* p. 487 putat, ἐπίλυσιν dici posse *missionem*, quandoquidem qui in stadio certabant cursu, solutis repagulis, quae *carceres* dicebantur, erumpebant ad cursum, prophetae autem *currere* dicebantur, tamquam tabellarii cursores divinitus missi. Eandem sententiam tuitus est in *Praelectt.* ad Apoc. XVIII: 4. *Opp.* p. 519 *sq.* eique assenserunt HAMMONDUS, in ann. ad h. l. addens, cursores dici ἐπιλύεσθαι, quando dimissi incipiebant currere; ut et ANTON. BORREMANSIUS in *Dial. de prophetis et poetis*, Amst. 1678, p. 209, refer. WOLFIO, et WITSIUS *Miscc. s.* L. I. C. XI, § 8. Sed conff. quae contra hanc interpretationem monita sunt a CLERICO, HOFFMANNO et PHIL. A LIMBORCH, *Theol. Christ.* L. I. C. XI. § 9. — 6. Idem ille CAMERO in loci nostri interpretatione, quae a LUD. CAPELLO edita est in *Myrothecio Euang.*

Gen. 1632, p. 350, ex eoque in *Bibliis Criticis*, ἐπίλυσιν oris vel linguae *resolutionem*, sive *aperturam* dici putavit, quandoquidem *os* prophetarum et legatorum divinorum dicitur λύεσθαι *resolvi* et *aperiri*. Eo etiam inclinat JAC. CAPELLUS in *Obss. in N. T.* una cum repetito LUD. CAPELLI *Spicilegio* edd. Amst. 1657 et *Bibliorum Crit.* volumini insertis. Eandem sententiam JO. CLERICUS ad HAMMONDUM aperte profitetur. Sed conff. quae contra eam sunt disputata a LAMB. BOSIO in *Exercitt. Philoll.* ad h. l. et HOFFMANNO. — 7. HERM. VAN DER HARDT in *Ephemeridd. Philol. vindicatis*, Helmst. 1696, p. 17, et in praef. ad *nervosum Lutheri Commentarium in Script. s.* ibid. 1708 coniecit, verbo ἐπιλύειν aeque ac cognatis λύειν, διαλύειν et καταλύειν, tribui posse notionem *dissolvendi*, *destruendi*, hinc ἐπίλυσιν esse *dissolutionem*, *destructionem*; PETRUM igitur negare, prophetiam natura sua et indole posse *solvi*, *dirimi*, *irritum reddi*. Eandem significationem voci tribuit JOACH. LANGIUS in *Exegesi epp. Petri*, Hal. 1712, ita tamen interpretans, ut neget PETRUS, prophetiam *se ipsam destruere ac dissolvere*. Cui assenserunt ill. MICHAELIS ad h. l. et TELLERUS in *additt.* ad secundam *Vocabularii N. T.* edit. Sed priorem interpretationem consulto refutarunt *Theologi Vitebergenses* in ep. a. 1708 scripta, et Belg. versa in *Nederl. Biblioth.* Vol. VIII. Amst. 1780, p. II. p. 184–186 et ex his imprimis GOTTL. WERNSDORFIUS, qui *Nodum in scirpo*, *seu loco 2 Petr.* I:

20 *quaesitum, et ab H. H. non solutum, sed nexum resolvit*, Vitemb. 1709. Contra utramque disseruerunt WOLFIUS, HOFFMANNUS et ZACHARIAE. Quae cum ita sint, miror profecto, GOTTL. CHRIST. STORRIO in Diss. *de catholicarum epistolarum occasione et consilio*, Tub. 1789, not. 74, ins. *Opuscc. Acad.* Vol. II. ibid. 1797, p. 391—393, probari potuisse hanc interpretationem, *nulla Prophetarum dicta* ab hominibus *irrita fieri, dissolvi, infirmari posse.* Cf. contra eum disputantem KNAPPIUM. Cum igitur nulla harum septem interpretationum locis scriptorum sive divinorum, sive humanorum satis probari possit, nos quidem retinendam putamus veterem illam, quam probavimus, sententiam, qua *ἐπίλυσις* dicitur *declaratio, explanatio, interpretatio.*

Sed qui hanc voci notionem h. l. tribuunt, non minus dissentiunt in exponendo adiuncto *ἴδιος*. Alii enim *τοῦ ἰδίου* notionem restringunt ad ipsam *ἐπίλυσιν*, alii eam referunt ad *προφητείαν γραφῆς*, vel ad *ἁγίους Θεοῦ ἀνθρώπους*, vel ad lectores quoscunque. De quibus ut recte iudicetur, ante omnia attendendum est, cum ad consuetum vocis *ἴδιος* usum, tum ad argumentationis Petrinae cohaerentiam, sectt. 19—21. *Ἴδιος*, quoties substantivis iungitur, usurpatur de eo, quod alicui proprium est, quod quis *suum* dicere potest, oppositum alieno: quomodo et PETRUS dixit *ἰδίαν παρανομίαν* C. II: 16, *τὸ ἴδιον ἐξέραμα* ibid. s. 22, *τοὺς ἰδίους ἄνδρας* 1 Ep. III: 1, 5, aeque ac in

nostra epistola C. III: 3, 16, ubi adiungitur pronomen reciprocum *αὐτῶν*, de quo cf. VALCKENAER. in *Schol.* Vol. II. p. 126 *sq.* Hoc vero *ἴδιος* quorsum referendum sit, docet quodammodo argumentationis Petrinae cohaerentia. Etenim, quod *προφητεία γραφῆς* non sit *ἰδίας ἐπιλύσεως*, id probat, certe latius exponit Apostolus subsequentibus: *οὐ γὰρ θελήματι ἀνθρώπου ἠνέχθη ποτὲ προφητεία, κ. τ. λ.*, atque id ipsum etiam probe animadvertendum erat attendentibus ad *τὸν προφητ. λόγον.* Quae si spectentur, mihi quidem *ἰδία ἐπίλυσις* dici videtur *ipsa interpretatio Prophetarum*, ut adeo neget PETRUS, ipsos *Prophetas* id *proprio marte fuisse interpretatos*, quod iis divinitus erat patefactum. Scilicet quando *προφητεία γραφῆς* dicitur *οὐ γίνεσθαι ἰδίας ἐπιλύσεως* nempe *ἔργον*, sive *πρᾶγμα*, (cuiusmodi ellipsis et alibi occurrit, ut MATTH. XVI: 23. Rom. II: 14. VIII: 5. Cf. CHRIST. SCHOETTGENII ann. ad L. BOSII *Ellips. Gr.* Lips. 1742. p. 72) [et WINERI *Grammat.* § 66. n. 4. V.], praesens illa verbi forma indicat id, quod fieri solet, ut 1. Ep. IV: 4. [Cf. WINER. l. l. § 41. n. 2. *c.* V.] *Γίνεσθαι* vero vel accipi potest consueta *fiendi* significatione, vel, quod malim, idem censendum est atque *εἶναι*, quomodo et alibi apud scriptores cum Graecos, tum sacros N. T. occurrere, exemplis docuit SCHLEUSNERUS n. 18. qui nec nostrum neglexisse videtur locum. Itaque totum illud enunciatum *πᾶσα προφ. γραφ. ἰδίας ἐπιλ. οὐ γίνεται* hanc habebit sententiam: *nulla vaticinatio in V. T.*

codice scripta propria vaticinantium auctoritate explanari aut declarari solet. Quae quidem sententia, ut cum consueta vocum ἐπίλυσις ἴδιος significatione convenit, ita etiam consentanea est Petrinae ratiocinationi. Primum enim hoc ipsum facit, ut ad illas vaticinationes diligenter sit attendendum sect. 19. Deinde etiam hoc ipsum magis perspicuum fit ex eo, quod non sponte sua Vates olim res futuras praesignificaverint, sed divino acti Spiritu eas elocuti fuerint, sect. 21. Eaque de loco nostro sententia non aliena est a mente et dicendi ratione Judaeorum Graece scribentium, ut PHILONIS loco admodum simili docuit BOSIUS, et pluribus PHILONIS, JOSEPHI aliorumque Judaeorum dictis probavit WETSTENIUS. Hanc igitur interpretationem, a Scholiaste codicis *Coislin.* a WETSTENIO laud. prolatam, quodammodo etiam a JAC. CAPELLO, JO. CAMERONE et HERM. WITSIO, ll. antea laudd. probatam, prae caeteris a BOSIO et BENGELIO commendatam, egregie vero firmatam a KNAPPIO, imprimis instituta comparatione cum altero loco *Petrino* 1. Ep. I: 10—12, equidem reliquis praeferendam existimo. Proxime his interpretibus accedunt, qui PETRI mentem sic enunciant: *nullius vaticinii interpretatio dari potuit ab auctoribus*, quomodo DOEDERLEINIUS, *Inst. Theol. Christ.* § 30. not. 2. et GEORG. HENR. LANG, *zur beförd. des nützl. gebr. des Tell. Wörterb.* III. 289 *sq.*, vel *ipsi Prophetae ignorarunt verum sensum oraculorum a se editorum*, quomodo SCHLEUSNERUS in Lex. ἐπίλυσις, [vel quod BRET-

SCHNEIDERUS in *Lex.* ad illam vocem dedit: *vaticinia scripturae ab ipsis Prophetis recte explicari non potuerunt; ipsi totum sensum verborum non perspexerunt.* V.] Nec longe ab his abest AUGUSTI.

Accedit praeterea huic τῆς ἐπιλύσεως ἰδίας interpretationi aliqua commendatio, quando eam conferas cum caeteris minus probabilibus. Ac *primum* quidem nonnulli τὸ ἴδιον ita restringunt ad ipsam ἐπίλυσιν, ut eo genus quoddam interpretationis indicetur. Sic ἴδια ἐπίλ. NORT. KNATCHBULLO *Animadvv. in ll. N. T.* ed. III. Oxon. 1677, p. 187 est *propria*, h. e. *literalis interpretatio*, opposito *typico* et *mystico:* ut adeo dicat PETRUS, prophetias plerasque non proprie esse interpretandas. [Atque ita fere FRITZSCHIUS ad Marc. IV. 34. p. 143, sq. scribens: »Obiter observo, me saepe multumque miratum esse, »quod l. 2 Petr. I: 19, 20. — tantopere exercere po»tuerit interpretes. Quovis paene pignore contendam, »veram hanc esse, quae cuivis se facile offerat, enar»rationem: *et firmiora argumenta Vatum habemus »oracula, quibus recto animum advertitis - - - »hoc prae ceteris tenentes, omnia V. T. oracula »non esse propriae interpretationis* (*eigentlicher* »Auslegung, cui opponatur impropria et figurata). »Hoc pacto PETRUS indicaverit, prophetas non pede»stri simplicique, sed ligata grandique oratione »usos esse" V]. Aliis, quos memorat MARCKIUS, p. 765 ἴδια ἐπίλ. visa est *interpretatio peculiaris*, vel uni alicui singulari viro, vel paucioribus quibusdam. Sed

utrumque fieri contra linguae usum et contextam orationem nemo non intelligit. [Provocat quidem FRITZSCHIUS l. l. tum ad s. 21, qua apte hoc rei argumentum afferri dicit, quod Prophetae a divino acti Spiritu cecinerint, tum ad PLATONEM *de republ.* II: p. 366. E., ubi ἴδιοι λόγοι opponuntur τῇ ποιήσει. Sed ἴδιοι λόγοι apud PLATONEM, nisi fallor, significant *orationes privatas*:[1] quod ut statuamus suadet locus ex eodem de *republ.* I. p. 363, E. et p. 364, A., ubi non modo εἶδος λόγων — ἰδίᾳ τε λεγόμενον καὶ ὑπὸ ποιητῶν, verum etiam δημοσίᾳ τε καὶ ἰδίᾳ sibi invicem opponuntur. Et quod ad orationis contextum attinet, quomodo sect. 21 huic interpretationi favere dici possit, equidem non video. V.] *Secundo:* alii τὸ ἴδιον referunt ad προφητ. γραφῆς ut sententia sit: *prophetia suae interpretationis non est*, sive *se ipsa non interpretatur, sed ex eventu est interpretanda.* Hanc sententiam praeivit SAM. WERENFELSIUS in *Diss. de prophetiae ἰδίᾳ ἐπιλύσει*, ins. *Opuscc.* edd. L. B. 1772, Vol. I. p. 238—252. Secuti sunt JO. ALPH. TURRETTINUS in *tract. de s. script. interpretandae methodo*, C. II. *Opp.* ed. Leov. 1775, Vol. II. p. 13 *sq.* ADR. A CATTENBURGH in *Spicil. Theol. Christ.* Amst. 1726. p. 70. GRIESBACHIUS, MORUS, ROSENMULLER., ECKERMANNUS, et παρερμηνευτὴς Germanus, cuius somnia nuperrime apposuit editor *Horrei Christ. novi*

---

(1) Ita et CALVIN., D. l. vertit *Privatae Interpretationis* (*vel proprii motus*). V.

(*N. Christel. Mag.*) Vol. I. 1820, p. 103—107, [nec non BRETSCHNEIDERUS, qui in Lex. ad v. ἴδιος, n. 1. b. ἰδίας ἐπιλ. οὐ γίνεται h. m. interpretatur: *non explicandum est secundum sensum proprium, sed ex eventu* V.] Verum quamvis per linguae rationes ferri possit ista interpretatio, conciliari tamen nequit cum ratiocinatione *Petrina*. Legat, qui velit, prolixam MARCKII confutationem, iteratae *Dissertationis* laud. editioni subiectam p. 771—787. Singularis porro est JAC. GUSSETII opinio in *Comment. linguae Ebraicae* Amst. 1702, fol. p. 702, ubi ἴδιον ita accipit, ut prophetia dicatur habere expositionem, *quae non ipsam solam illustret*, sed communem lucem afferat in alias aliquas, ita ut explicatione sui mutuam sibi solutionem foenerentur. Verum id et a dicendi consuetudine et a ratiocinatione *Petrina* abhorrere docuerunt WOLFIUS et HOFFMANNUS. Conferri etiam merentur, quae de GUSSETII libro, multa quidem eruditione referto, sed paradoxo, et in quo elaborando 40 annos desudavit vir cl., monita sunt a JOH. ALPH. TURRETTINO in *Tract.* modo laud. p. I. C. V, VI. *Opp.* Vol. II. p. 61—69. GUSSETII interpretationi vicina est, quam proposuit ERN. RUDOLPH. FRANCKIUS in *Diatr.* Germ. de loco nostro, inserta HENKII, *Neues Mag. für Religionsphilos. Exeg. u. Kirchengesch.* Vol. I. 1798, p. 191—206, ubi PETRI verbis ὅτι πᾶσα προφ. γραφ. ἰδίας ἐπιλ. οὐ γίνεται hanc substituit sententiam: *nulla vaticinatio in V. T. libris scripta habet propriam, singula-*

rem, privamque sibi significationem et interpretationem; sed cunctae indicant Jesu apparitionem et doctrinam. Quod quantopere ab Apostoli et verbis et consilio aberret, quisque facile videt. — *Tertio:* Alii ἴδιον ad *legentes* et *interpretantes* referunt. In quo tamen magnum est discrimen, inter Romanae ecclesiae addictos et ab ea alienos interpretes. Illi enim ἰδίαν ἐπίλυσιν volunt esse *privatam*, h. e. *privatorum hominum interpretationem*, oppositam *publicae*, h. e. *ecclesiae*, sive eorum, qui ecclesiae praesunt, nominatim Pontificis Rom. et Conciliorum: quod quomodo et cum verbi ἴδιος [apud ss. scriptores V.] significatione et cum PETRI ratiocinatione componant, ipsi videant. Ac satis contra eos disputatum est a CAMERONE, TURRETTINO, WERENFELSIO multisque aliis. Nostri igitur Theologi, qui ἰδίαν ἐπίλ. ad lectores et interpretes Prophetarum, vel universe etiam ss. librorum referunt, ἰδίαν dicunt *arbitrariam*, quae fit, *ingenio humano, ad hominum lubitum*, alienam a mente divina, a Spiritus s. consilio et a ss. librorum argumento. Hanc sententiam singulari cura commendarunt BALT. BEBELIUS in *Diss. de Hermeneutica vera et falsa ad* 2 Petr. I: 20, 21. Argentor. 1676. HIRZELIUS, MAIEVIUS et POTTIUS ll. ll., eamque amplexi sunt LIMBORCHIUS, MARCKIUS ejusque commentator DE MOOR, WOLFIUS, HOFFMANNUS, LOESNERUS, KÜHNIUS et PETRUS ABRESCHIUS. Nec negari potest, vocem ἴδιος hanc ferre interpretationem, dummodo de legentibus aut interpretantibus

sermo sit: quando vero nulla legentium aut interpretantium fit mentio, ἴδια ἐπίλ. ad eos referri non nisi contorte potest. At in tota contexta oratione nihil deprehenditur a PETRO dictum de falsa aut perversa interpretatione: nec quae sect. 21 subiunguntur, ut bene monitum est a KNAPPIO, cum superioribus rite cohaerent, si ἰδίαν ἐπίλ. de arbitraria interpretatione accipias. Denique sic nihil omnino de τῇ προφητ. γραφ. dictum foret, quod non aeque de omnibus libris sit dicendum: etenim nullius libri interpretatio pro lubitu legentium est instituenda, id quod recte animadvertit ZACHARIAE. — Caeterum ex iis, qui nobiscum in eo faciunt, quod ἰδίαν ἐπίλυσιν ad ipsos Vates referant, WETSTENIUS a simplicitate interpretandi longius aberrat, post γίνεται supplere iubens repetitum προφητεία, ut haec existat sententia: *nullum vaticinium est vaticinium interpretationis scripti sui*: est προφητεία αἰνίγματος, sed non ἐπιλύσεως. Quam si admittas interpretationem admodum duram, nihil omnino *Petrino* inerit dicto ad commendandam Vatum doctrinam, atque adeo aptum scribentis consilio.

Quae addit PETRUS sect. 21 magis etiam probant, certe luculentius docent, quae dixerat Apostolus de Prophetis, non proprio marte ea interpretantibus, quae de rebus futuris scripto consignarunt. Προφητεία eadem est, quae fuit sect. 19 προφητικὸς λόγος. Ἠνέχθη aor. 1. pass.

ab *ἐνέχω* a Lexicographis referri solet ad verbum anomalum *φέρω*. Cf. VALCKENAERII ann. a SCHEIDIO ed. in *Etymol. linguae Gr.* p. 1057; PETRUS sectt. 17, 18 vocem de coelo auditam dixit *φωνὴν ἐνεχθεῖσαν*. Dicitur autem oraculum divinum *proferri*, *edi*, quomodo Gr. *προφέρεσθαι* apud PHILONEM, loco a LOESNERO laud. Nulla igitur est causa, quare cum PATRIC. JUNIO a WETSTENIO laud. pro *ἠνέχθη* substituamus *ἐνηχήθη*, ab *ἐνηχεῖν*, proprie *insonare*, hinc *docere*. *Θέλημα ἀνθρώπου* est *hominis voluntas*, *arbitrium*, *lubitus*, quemadmodum 1 Petr. IV: 2, 3 et passim, non *potestas*, *vis*, *efficacitas*, ut visum est ERNESTIO in *Neueste Theol. Biblioth.* II. p. 517. Cf. MEYERI lib. l. p. 14, [et BRETSCHNEID. in v. V.]. *Ποτὲ* vulgatus vertit *aliquando*. ERASMUS, [CALVIN. V.] BEZA et PISCATOR, quos secuti sunt interpretes *Belgae*, tradiderunt per *quondam*, *olim*, quomodo frequenter in N. T. occurrit, apud PETRUM quoque 1 Ep. II: 10. III: 5, 19. CARPZOVIUS [et BRETSCHNEID. in v. V.] *unquam*, quomodo paulo ante affuit sect. 10, ut et 1 Cor. IX: 7. Eph. V: 29. Hebr. I: 5, 13, ut adeo *οὐ ποτὲ* sit *numquam*. [Postremum mihi magis placet, quia id, quod PETRUS affirmat, nihil commune habet cum *tempore*, quo vaticinationes factae sint, sed generatim omne spectat vaticinium, qua tale. V.] Negat igitur PETRUS, Prophetarum vaticinationes olim [vel potius *umquam* V.] humano arbitratu, lubitu humano fuisse editas. [Bene et ad verbum, me quidem iudice, vertit PALMIUS

noster: *want niet door den wil eens menschen is ooit eene profetie uitgebragt.* V.] Contra vero Apostolus Prophetas, in iis enunciandis, Spiritu s. dicit actos. *Θεοῦ ἄνθρωπος* h. l. et 1 Tim. VI: 11. 2 Tim. III: 17 ad Hebr. אִישׁ־אֱלֹהִים Jos. XIV: 6. Jud. XIII: 6 1 Sam. II: 27. IX: 6. 1 Reg. XIII: 1. XVII: 18, 24. 2 Reg. IV—VIII passim. 2 Chron. VIII: 14. Esr. III: 2. Nehem. XII: 24, 36. Ps. XC: 1 est appellatio virorum, qui *Dei* erant *legati* ac *ministri.* [Cf. omnino locus e PHILONE a BRETSCHNEIDERO in *Lex.* ad v. *ἄνθρωπος* all., ubi *θεοῦ δὲ ἄνθρωποι ἱερεῖς καὶ προφῆται* dicuntur. V]. Alii *viros divinos* vertunt: in his etiam JOH. HENR. V. D. PALM, in *Negende Zestal Leerr.* p. 145 sq,: [in interpret. Bibl. vernacula dedit: *heilige menschen Gods.* V]. Pro eo, quod in vulg. ed. legitur *οἱ ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι* in aliis Codd. scriptum est, vel *οἱ Θεοῦ ἄνθρωποι*, vel *ἀπὸ Θεοῦ ἄνθρωποι*, vel *ἀπὸ Θεοῦ ἅγιοι ἄνθρωποι*, vel *ἅγιοι τοῦ Θεοῦ ἄνθρωποι*, vel *οἱ ἅγιοι ὑπὸ Θεοῦ ἄνθρωποι* vel simpliciter *ἄνθρωποι.* Sed nihil in lect. vulg. mutandum arbitrantur Critici, nisi quod *οἱ* eliminandum censeant BENGEL. WETST. HARWOODUS, GRIESB., MATTHAEI, POTTIUS, KNAPPIUS, [SCHOLZ. V. (1)]: quod etiam omissum fuit in edd. *Complut. Plantina* et *Genev.* Eamque omissionem postulat absentia articuli ante *Θεοῦ*, docente KLUI-

(1) LACHM. tamen edidit: *ἅγιοι τοῦ θεοῦ ἄνθρωποι*; TISCHENDORF. *ἀπὸ θεοῦ ἄνθρωποι.* V.

TIO in *Vindd. art.* ὁ, ἡ, τὸ, P. I. p. 652 *sq.* Belgice igitur vertas: *heilige Godsmannen.* — Hi igitur Vates elocuti dicuntur oracula divina, *ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι* h. e. *a Spiritu s. agitati*, s. ut BEZA vertit *acti*, Vulg. *inspirati.* *Φέρεσθαι* quomodo dicti fuerint, qui a Deo agitabantur ad dicendum et agendum, in eoque regebantur, exemplis e scriptoribus Gr. et Hebraeo-Graecis all. abunde docuerunt WETSTEN., MEYERUS, p. 14—17. POTTIUS, KNAPPIUS et HUFNAGEL. Quae cum ita sint, Vates, qui divino Spiritu agitati ac ducti, sua oracula fuere elocuti, minime censendi sunt proprio ea marte interpretati. Sic enim sect. 21 cum sect. 20, interposito *γάρ*, cohaerere videtur.

Hoc igitur dicto *Petrino* manifestum inest testimonium pro vaticinationum in Vet. Test. codice scriptarum divina origine et auctoritate. Etenim docet Apostolus:

1. Veteris Testamenti libris inesse vaticinationes de rebus futuris, nominatim de CHRISTO adventuro ad beandos cultores suos et puniendos adversantes.

2. Eas non esse editas lubitu humano, sed Deo iubente et moderante.

3. Earum interpretationem non ex Vatum ingenio, sed a divino Spiritu proficisci.

4. Earum ope Israelitas, in rerum futurarum ignorantia versantes, fuisse edoctos.

5. Christianis, post rerum praesignificatarum eventum viventibus, luculentiorem earum notitiam contigisse.

6. Vel sic tamen eos recte et laudabiliter agere, attendendo ad veterem illam Vatum doctrinam.

Caeterum hunc locum nullo modo favere Romanae ecclesiae, librorum ss. interpretandorum ius laicis, quos dicunt, deneganti, perspicuum est ex iis, quae de τῇ ἰδίᾳ ἐπιλύσει diximus.

LIBRI VETERIS TESTAMENTI PRO DIVINIS HABENDI,

ET

SS. LIBRORUM LECTIO OMNIBUS COMMENDANDA.

JOH. V: 39.

CHRISTUS in eo est, ut diffidentiam et pervicaciam exprobret Judaeis, testimonium non admittentibus, quod Deus de ipso, Filio suo, dederat, sect. 31—38[a]. Cuius criminis causam in eo esse dicit s. 38[b], quod ipsi, legato divino, fidem negarent. Itaque urget eos, sect. 39, ut diligenter scrutentur MOSIS veterumque Vatum scripta de ipso testantia, quandoquidem his inesse vitam aeternam credebant.

Ai γραφαὶ sunt *libri ss. Veteris Test.*, quemadmodum MATTH. XXI: 42. XXII: 29. XXVI: 54. MARC. XII: 24. XIV: 49. LUC. XXIV: 27, 32, [45. V.] Act. XVII: 2, 11. XVIII: (24. V.] 28. [Rom. XV: 4. V.] 1 Cor. XV: 3, 4. Nec nisi unico 2 PETR. III: 16 loco *αἱ γραφαὶ* universe *scripta sacra* indicare videntur. Longe igitur a vero abest THOM. BRUNO, qui in *Diss. de Therapeutis Philonis adv.* HENR. VALESIUM, quam PAULUS

COLOMESIUS subiecit CLEMENTIS *Rom. duabus ad Cor. epp.* a se edd. Lond. 1687, p. 194, τὰς γραφὰς de *scriptis Judaeorum* veterum *allegoricis* accipiendas esse contendit, monente WOLFIO ad h. l.

Ἐρευνᾷν est *indagare*, *investigare*, *inquirere*, *scrutari*, quomodo occurrit C. VII: 52 et 1 Petr. I: 11; hinc etiam per metonymian *cognoscere*, *perspicere*, Rom. VIII: 27. 1 Cor II: 10. Apoc. II: 23. Cf. de verbi etymo LENNEPIUS in *Etymol.* ad h. v. et VALCKENAER. in *Schol. ad N. T.* Vol. II. p. 127 *sq.* Graecis quidem dicitur de venatoribus, vestigia ferarum investigantibus, et de metallorum fossoribus, qui profundiores terrae cavernas explorant, ut auri venas tandem inveniant: unde multi interpretes, CHRYSOSTOMUM secuti, verbum dixerunt emphaticum, indicans *studiosam* et *laboriosam pervestigationem*; hanc vero emphasin frustra quaeri, et ἐρευνᾷν de qualicumque *investigatione*, etiam *facili* ac *parata*, adhiberi, docuerunt conductis locis PHILONIS et JOSEPHI LOESNERUS, POLYBII RAPHELIUS, JOSEPHI KREBSIUS. Cf. ERNESTI *Inst. interpr. N. T.* P. I. S. II. C. V. § 7 et P. II. C. V. § 23. Quod quidem augendae significationis studium magis etiam ineptum est habendum propterea, quod CHRISTUS Hebraice est locutus: unde colligere licet, eum usum fuisse Hebr. verbo, quod Gr. interpretes per ἐρευνᾷν et ἐξερευνᾷν reddere solent, sive חִפֵּשׂ Gen. XLIV: 12. 1 Reg. XX: 6. 2 Reg. X: 24. Prov. XX: 27, et quo usus etiam est interpres huius loci in N. T.

versione Hebraea, Lond. 1817, sive חָקַר Jud. XVIII: 2 2 Sam. X: 3, nisi malis Hebr. דָּרַשׁ, pro quo οἱ ό habent ἀναζητεῖν Job. III: 4, בִּקֵּשׁ, quod similiter vertunt per ζητεῖν, ἀναζητεῖν, ἐκζητεῖν, ἐπιζητεῖν.

Sed de quo maxime quaeritur est, quo modo illud ἐρευνᾶτε sit sumendum, utrum ὁριστικῶς s. indicandi modo, an προστακτικῶς s. imperandi modo. In Graeco enim textu ambiguitas est, cuiusmodi et alibi in N. T. occurrit, ut in πιστεύετε JOH XIV: 1, in ἔχετε MATTH. XXVII: 65, in καταγγέλλετε 1 Cor. XI: 26. Utraque interpretatio defensores nacta est praeclaros.

Et antiquissimi quidem interpretes *imperandi* significatione nostrum ἐρευνᾶτε accipiunt, ut adeo CYRILLUS *Alex.*, qui a. CHRISTI 444 diem suum obiit, in *Comm. in Joh. Opp.* ed. AUBERTI, t. IV. p. 260, quamvis aliam interpretandi viam ineat, fateatur tamen, superiorem illam esse tritam, multisque visam facilem ac planam. Ac certe eam amplexi sunt interpres *Syrus*, et. ut videtur, *Latinus*, de quo cf. JOH. BOISII *veteris interpretis cum* BEZA *aliisque recentioribus collatio*, Lond. 1655. Porro ante CYRILLUM imperandi notione τὸ ἐρευνᾶτε sumsit ex interpretibus Graecis ORIGENES in *Philocalia* C. I. ed. SPENCERI, Cantabr. 1677, p. 15, item C. V. qui locus e tom. V. *Commentariorum in Joh.* est servatus, p. 28, et in *Opp.* a RUAEO edd. Vol. IV. p. 97. Adde locum e tom. VI horum *Commentariorum*, ibid. p. 121, ut et RUFINI interpre-

tationem *Commentariorum Origen. in ep. ad Rom.* L. VII. ibid. p. 616. Similiter ATHANASIUS in *disceptatione contra eos, qui in sua fide acquiescendum esse praecipiunt*, *Opp.* ed. Colon. 1686, t. II. p. 295. GREGORIUS *Nyss. Hom. I. in Ecclesiasten*, *Opp.* ed. MORELLI, t. I. p. 374; imprimis JO. CHRYSOSTOMUS, in *Hom.* XL. (XXXIX) *in Joann.* § 3. *Opp.* ed. MONTF. t. VIII. p. 241, item *Hom.* XXIV et XXXVII *in Gen. Opp.* t. IV. p. 216 et 372, denique *Hom.* VI, *in divitem et Lazarum*, *Opp.* t. I. p. 785. CHRYSOSTOMUM seriore aetate secuti sunt in scholiis suis THEOPHYLACTUS et EYTHYMIUS *Zigaben.* E latinis vero TERTULLIANUS *de praescript. haereticorum*, C. VIII. ed. SEMLER. vol. II. p. 11, et AUGUSTINUS, *Serm.* CXXIX ad h. l. § 4, *Opp.* ed. *Benedict.* t. V. col. 442, et in *Enarratione in Ps.* CVIII. § 23, *Opp.* t. IV. col. 919. coll. *Ep.* 199. (80) § 42. *Opp.* t. II. col. 566. Vidd. BOISII l. l. et SUICERI *Thes. Eccl.* in v.

Ex interpretibus vero, post renatas literas nominis celebritatem nactis, ἐρευνᾶτε pro imperativo habuerunt ERASM., LUTH., CALV., STRIGELIUS, GROTIUS, HAMMOND., SEB. SCHMIDIUS in *Coll. bibl. posteriore*, DEYLINGIUS *Obss. ss.* P. I. p. 223—227, V. 215. WOLF., WETST., BAUMGART., BOYSEN. *Erläuter. des grundtextes N. T.* p. 47, DOEDERL. *Instit. Theol. Chr.* § 42, Obs. 2. ZACHARIAE *Bibl. Theol.* I. 128—132. HUFNAGEL. *Handb. d. Bibl. Theol.* I. 113—121 et PAULUS: [quibus add. in-

terpretes *Belgae*, VAN HAMELSVELD ad l. OLSHAUSENUS. V.]

Atque ea interpretatio mihi quoque videtur alteri praeferenda, maxime duabus de causis. Quarum una est in collocatione pronominis ὑμεῖς, coniuncti non cum ἐρευνᾶτε, sed cum δοκεῖτε. Quae collocatio docet, in eo esse aliquam vim ad dicentis mentem exprimendam. Quae vero vis haud perspicitur, si utrumque verbum indicandi modo accipias sic: *investigatis libros ss., quia VOS putatis in iis vitam habere aeternam.* Hinc enim existit sententia haec: *investigatis libros ss. propterea quod vos ipsi tam magnifice de iis sentitis.* Cui quidem dicto nihil ad CHRISTI dicentis mentem exprimendam inest singulare, quod non similiter fuisset enunciatum, suppresso pronomine ὑμεῖς. Qui enim investigabant ss. libros, ad id inducti persuasione de auctoritate eorum et salubritate, hos profecto non *aliorum*, sed *sua ipsorum* persuasione ad id induci oportuit. Unde intelligitur, valde illud ὑμεῖς frigere, adiunctum indicativo δοκεῖτε, si praemissum ἐρευνᾶτε eodem indicandi modo sumatur. Itaque illud ὑμεῖς vel omnino omittendum, vel ante ἐρευνᾶτε ponendum fuisset, si quid singulare eo esset indicandum. Quo facto sic dicturus fuisset JESUS: *VOS investigatis ss. libros, quia putatis in iis vitam habere aeternam.* Unde exstitura fuisset sententia commodior et ad dicentis consilium accommodatior: *VOS IPSI investigatis ss. libros, quia tantam ab eorum in-*

stitutione speratis salutem. At vero illud ipsum ὑμεῖς, positum ante δοκεῖτε apprime convenit, si praemissum ἐρευνᾶτε imperandi modo sumas sic: *investigate ss. libros, propterea quod vos putatis* caett. Unde haec oritur sententia: *investigate libros ss., quandoquidem* IPSI VOBIS *persuadetis* caett. — Accedit altera causa, quae me impedit, quominus ἐρευνᾶτε pro indicandi modo habendum putem. Scilicet quae inde existit sententia Judaeis laudem tribuit studii et curae sacros investigandi libros. Cuiusmodi quidem laus iis a CHRISTO nullo merito tribui potuisse videtur. Etenim plurimi eorum e doctorum veterum sententiis pendebant, neglecto iusto ss. librorum studio. Qua de causa CHRISTUS eos saepe reprehendit. Cf. MATTH. V: 43. XII: 3—8. XV: 1-6, 16. XIX: 3—9. XXI: 16. XXII: 29. XXIII: 16—23. LUC. XIII: 14—16. — His duobus argumentis a nonnullis, veluti SCHMIDIO et DEYLINGIO, item editoribus *rerum veterum et novarum Theol.* (*Unschuldige Nachrichten von alten. u. neuen Theol. Sachen*, a. 1703) p. 583, additum fuit *tertium*, ex eo ductum, quod nuspiam in N. T. secunda persona plur. indicativi in orationis initio ponatur, nisi forte ubi interrogatio fiat, semper vero praemittatur aut pronomen, aut quaedam particula. Verum hoc nimis universe dictum esse docuit RAPHELIUS, allatis exemplis e MATTH. XXII: 29. JAC. IV: 2, 3. Fatendum tamen est, in JOH. Euang. legem illam constanter esse servatam: id quod docent exempla imperativorum

C. XIV: 1—11. XV: 20, et indicativorum C. VIII: 15, 40, 41. XIII: 13. Quocirca hoc argumentum non omnino repudiandum puto. [Cff. tamen loca JOH. VII: 34. XIV: 28, a LÜCKIO allata, quibus addi potest C. VI: 26. V.] Denique et *quartum* additur argumentum, quo imprimis ZACHARIAE usus est, ductum ex orationis serie, cui imperandi notio in verbo ἐρευνᾶτε melius conveniat, quam indicandi forma. CHRISTUS enim id imprimis agit, ut testimonium Dei Patris sui in V. T. libris, quos Judaei pro divinis habebant, obvium, velut maximum legationis suae coelestis argumentum, convincendorum Judaeorum causa exponat: quo vero cum consilio videatur pugnare, si quid a CHRISTO de eorum in indagandis his libris studio laudabili esset commemoratum. Ego vero huius argumenti vim mihi nondum perspectam esse ingenue fateor. [Cf. tamen VAN HAMELSVELD ad l. V.]

Sed audiendi etiam sunt, qui ἐρευνᾶτε pro *indicativo* habent. In ea enim sententia fuit e veteribus CYRILLUS, l. l. Cui BENGELIUS adiungit ATHANASIUM in Commentat. ad MATTH. XXI: 2. *Opp.* I. 989 et NONNUM in *Paraphr.* huius loci *metrica:* at, opinor, frustra. Sed post renatas literas maiori numero hanc amplexi sunt sententiam BEZA, CHEMNITIUS, PISCATOR, ERASM. SCHMIDIUS, HACKSPANIUS, VITRINGA *de Archisynag.*, p. 196 et *de Synag. vet.* p. 671. CLERICUS, HOMBERGKIUS, RAPHELIUS, BEAUSOBRIUS, JOACH. LANGIUS, LAMPIUS, HEUMANNUS,

KREBSIUS, BENGELIUS, MOSHEMIUS, SEMLERUS, ERNESTI *Neueste Theol. Bibl.* II. 127. MICHAELIS, ROSENMULLERUS, MORUS, KLINKENBERGIUS, SCHLEUSNERUS, VAN VLOTEN, VAN HERWERDEN, SAM. GOTTL. LANGE, ECKERMANNUS, KUINOELIUS, TITTMANNUS, [THOLUCKIUS, LÜCKIUS, V. D. PALM. V.]

Qui igitur eam tuentur sententiam, his et alii quidem aliis, utuntur argumentis. *Primum* ducitur ex eo, quod passim secunda persona plur. indicativi modi in hac contexta oratione occurrat, ut ἀπεστάλκατε s. 33, ἠθελήσατε s. 35, ἀκηκόατε s. 37, ἔχετε et πιστεύετε s. 38, δοκεῖτε s. 39, θέλετε, s. 40. Verum hoc nude spectatum nihili est. Quidni enim orator aut scriptor, quoties res aut postulat, aut fert, alium atque alium verborum modum adhibeat, copula non coniunctum? Vicinum est huius exemplum in imperativo μὴ δοκεῖτε s. 45, qui medium tenat locum inter indicativos ἔχετε s. 42, λαμβάνετε et λήψεσθε s. 43, δύνασθε et ζητεῖτε s. 44, ἠλπίκατε s. 45, ἐπιστεύετε s. 46, πιστεύετε et πιστεύσετε s. 47. Sed *secundo* loco addunt, CHRISTUM totum esse in redarguendis et reprehendendis Judaeis, atque adeo commemorare, quid illi fecerint ac faciant, non praecipere, quid ab iis faciendum sit. Sed utrumque parum recte dicitur. Nam CHRISTUM non totum esse in redarguendo docent sectt. 33—35. Et qui reprehendit, quidni et admonitionem immisceat, quomodo et sectt. 28 et 45 factum est? Addunt *tertio*, verba mox subsequentia, ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον

ἔχειν recusare imperativum, qui praecedat; his enim verbis contineri rationem, quae impulerit Judaeos ad qualemcunque ss. librorum pervestigationem, non vero causam, qua ad id incitari eos oportuerit; negant enim, τῷ δοκεῖτε ullam inesse emphasin, sibique persuadent, CHRISTUM, si ad seriam ac diligentem ss. librorum lectionem adhortari voluisset, dicturum fuisse: ὅτι ἐν αὐταῖς ἐστὶ ζωὴ αἰώνιος. Verum potuit omnino CHRISTUS illud δοκεῖτε commode adhibere in hanc sententiam: »agite, »pervestigate ss. libros, quandoquidem vobis ipsis »de summa eorum praestantia et salubritate per»suasum est; illae enim ipsae testantur de me." *Quarto* etiam putant, indicativum postulari eo, quod mox subsequitur s. 40: καὶ οὐ θέλετε ἐλθεῖν πρός με, ἵνα ζωὴν ἔχητε, cum, si ἐρευνᾶτε imperandi modo esset accipiendum, CHRISTUS eadem forma dicturus fuisset δεῦθε πρός με. Sed huius rei nulla erat necessitas. Apte enim haec ita cohaerent: »vos quidem ipsi aeternam in ss. libris »vitam haberi putatis, et sana eae ipsae sunt, »quae de me testantur; nec tamen vel sic ad me »venire vultis, ut vitam adipiscamini; sed contu»macia vestra ipsi aeterna vos felicitate privatis." *Denique* addunt *quinto*, non opus fuisse CHRISTI mandato, cum ei disputandum esset, non cum Judaeorum plebe, sed cum doctis legisque peritis, magnam studii partem in ss. libris interpretandis consumentibus. Sed quicquid etiam benignius statuas de isto doctorum Judaeorum studio, constat

tamen ex locis paulo ante laudd., hos negligenter in eo versatos fuisse, suasque *παραδόσεις* ss. librorum effatis praetulisse, quapropter etiam CHRISTUS negat, eos fidem MOSI habere, sectt. 46, 47. Nec potuissent Judaei Conservatorem a Vatibus promissum repudiare, si diligenter ac sincere perscrutandis ss. libris operam dedissent. Quapropter summo eos iure excitare potuit CHRISTUS imperandi forma: *ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς*.

In caeteris parum est, quod illustratione indigeat. *Δοκεῖν putare, existimare, sibi persuadere, statuere,* dicitur quoque de sententia vera ac certa, ut LUC. XVII: 9. 1 Cor. VII: 40: [neque ulla inest huic verbo reprehensio; quod THOLUCKIUS putat. Vid. LÜCKIUS ad l. V.]. *Ζωὴ αἰώνιος* sine art. vertendum est, vel *eeuwig leven*, vel *een eeuwig leven*, non *het eeuwige leven*, docente KLUITIO in *Vindd. art. ὁ, ἡ, τὸ*, Vol. I. p. 426 – 428, ubi plura huius exempla sunt congesta. Dicitur autem *ζωὴ αἰώνιος* per metonymian pro eo, *quod vitam aeternam confert, ad vitam aeternam prodest, in quo certum est vitae aeternae praesidium et adiumentum*, quemadmodum C. XVII: 3 (¹).

(¹) Conferri potest J. J. METZLAR, *voorstelling van hetgeen bij* JESUS CHRISTUS *het eeuwige leven beteekent* in Diario: *Waarheid in liefde*, 1839, p. II. p. 289—317. Sed inprimis leg. J. E. R. KAEUFFER *de biblica ζωῆς αἰωνίου notione.* Dresd. 1838, et quae de hac

Huic igitur CHRISTI dicto certum inest argumentum, quo probemus, cum libros Veteris Testamenti pro divinis esse habendos, tum lectionem ss. librorum omnibus esse commendandam.

De priori nullus dubitandi locus relictus est, ne iis quidem, qui in interpretatione *τοῦ ἐρευνᾶτε* a nobis dissentiunt. Etenim CHRISTUS dicit, libros Veteris Test. de ipso testari; ad hoc de se testimonium remittit Judaeos, qui Dei nec vocem audiverant, nec speciem viderant, s. 37; sed certum tamen habebant testimonium de ipso his in libris exhibitum. Verum ad eiusmodi testimonium nullo modo provocare aut potuit, aut voluit Conservator noster, nisi id a Deo profectum fuerit. Etenim paulo ante negaverat sect. 34, se humano uti testimonio, quippe qui testimonium haberet humano maius, sectt. 32—36. Praeterea CHRISTUS largitur Judaeis, quod credebant, vitae aeternae praesidium et adiumentum sibi datum his in libris. Quod profecto largiri doctorem divinitus missum non oportuit, si in re tanti ad salutem suam momenti errarent.

Posterius aeque perspicuum erit iis, qui *ἐρευνᾶτε* *imperandi* modo accipiendum esse nobiscum credunt. Neque id negatur a multis, qui illud *indicandi* modo dictum putant: etenim sibi persuadent, hoc investigandorum librorum ss. studium a CHRISTO

disputatione scripsit C. F. A. FRITZSCHE in *Allg. Lit. Zeit.* 1839, Jan. n. 3, p. 20 sqq. nec non HOLSTER, in V. WILLES *Bijdr.* 1844, III: 2. p. 283—305. V.

laudari ac probari, propterea quod in eo certum esset veri in fidei et religionis causa cognoscendi adiumentum; ac reprehendi propterea Judaeos, quod CHRISTO fidem negarent, quamvis ad id divino horum testimonio librorum admoniti. Quodsi vero CHRISTUS Judaeis Veteris Test. legendi auctor fuerit, sive iubendo, sive laudando, Christianis profecto commendandum est id ipsum studium legendorum et intelligendorum librorum, quos recte pro divinis habent, quibus merito credunt vitae aeternae praesidium et adiumentum sibi divinitus esse datum (1).

---

(1) Quod posteriore loco ex interpretato CHRISTI dicto effici vult cl. Scriptor, id non facile omnes concedent. Obiici certe potest, disputatum hic esse a CHRISTO non cum Judaeorum plebe, sed cum doctis legisque peritis, (Vidd. sectt. 10, 15, 16, 18, 33 et 42), ut adeo his tantummodo librorum ss. pervestigatio ab illo commendari videatur. Itaque ad comprobandum placitum de ss. librorum lectione *omnibus* commendanda equidem malim provocare ad alia librorum ss. dicta. Sed quod ipsa res et ratio suadent, id profecto non longa indiget probatione. Posset etiam fortasse hic quoque locus vindicari attendendo ad rationem, quare CHRISTUS Judaeos adhortetur, ut libros ss. perscrutentur; nam si doctis legisque peritis hanc ob causam pervestigandi essent hi libri, quoniam veram aeternae vitae obtinendae viam indicarent, quidni eandem ob causam illi libri ab omnibus legendi essent? — Caeterum praeclare CALVINUS ad h. l. »docemur," inquit, »hoc loco, »ex Scripturis petendam esse CHRISTI notitiam. Nam qui de CHRISTO »imaginantur quod ipsis libuit, tandem non nisi umbratile spec-»trum eius loco habebunt. Primo igitur tenendum est, non aliunde, »quam ex Scripturis CHRISTUM rite cognosci. Quodsi ita est, sequi-»tur, hoc animo legendas esse Scripturas, ut illic inveniamus »CHRISTUM. Quisquis ab hoc scopo deflectet, utcunque discendo se

»fatiget tota vita, nunquam ad scientiam veritatis perveniet. — »*Scriptura* vero Vetus Testamentum intelligi satis notum est. Ne- »que enim in Evangelio primum manifestari coepit CHRISTUS, sed »qui a Lege et Prophetis testimonium habebat, palam se in »Evangelio exhibuit." V.

AUCTORITAS ET UTILITAS LIBRORUM VETERIS TESTAMENTI.

2 TIM. III: 15—17.

PAULLUS TIMOTHEUM suum monet et hortatur, ut perseveret in ea fidei et morum ratione, quam inde a pueritia didicerat e ss. Veteris Test. libris. Etenim *τὰ ἱερὰ γράμματα* indicant hos libros universe, quorum lectioni TIMOTHEUS a pueris inde fuerat assuefactus. Neque est, quod cogitatione adiungamus aliquem librum aut epistolam Novi Testamenti. Puerilis enim TIMOTHEI aetas in id tempus incidit, quo nondum editi erant hi libri, aut scriptae hae epistolae. Illos igitur Vet. Codicis libros PAULLUS dicit posse *σοφίσαι* TIMOTHEUM *εἰς σωτηρίαν*, h. e. *salutari instruere sapientia*, *διὰ πίστεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* h. e. *per fidem* CHRISTO JESU habitam. Quod ut recte intelligatur, spectanda in TIMOTHEO est persona doctoris et antistitis in societate Christiana: id quod e Sect. 17 perspicuum fiet. Huic igitur opus erat *salutari sapientia*, ad bene fungendum munere sibi demandato. Sed ante omnia oportebat eum fidem habere JESU CHRISTO, Conservatori ac Domino, doctrinam

ab eo acceptam denunciare, et eius ad mentem coetum sibi commendatum gubernare. Quo cum TIMOTHEUS esset animo, poterant ei Veteris Test. libri multis prodesse modis, ad *sapientiam salutarem* consequendam augendamque.

Quod ut uberius doceat Apostolus addit Sect. 16: *πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν κ. τ. λ.*

Sed de eo *καὶ* quaeritur primum a Criticis. Quamvis enim non nisi unus cod. *Barb.* laudetur, hanc omittens copulam, (Cf. MICHAEL. *Isag.* I: 570) omittunt tamen eam versiones *Syra*, *Arabs*, cum edita ab ERPENIO, tum etiam in *Polyglottis* exhibita, item *Lat. vulg.* E Patribus vero Gr. CLEMENS *Alex.*, ORIGENES alicubi, quamvis alibi addat, THEOD. *Mopsuest.*, teste FACUNDO *pro defensione trium capitulorum* L. III. C. VI, et JOH. DAMASC. E Latinis denique TERTULLIANUS, AMBROSIASTER, PELAGIUS, SEDULIUS, CASSIODORUS, ANSELMUS, Auctor libelli *de duplici martyrio* ap. CYPR. et Auctor libri *de* 12 *mansionibus* ap. AMBROSIUM. MILLIUS addit *Scholiast.* tit. *Hieron.* mihi ignotum. Quapropter MILLIUS *Proll.* § 493 hanc voculam textui insertam esse putat, ad tollendam ambiguitatem, ut intelligamus, non modo *πᾶσαν γραφὴν θεόπνευστον* esse utilem ad docendum caett., sed etiam disiunctim *πᾶσαν γραφὴν* esse divinitus inspiratam, eandemque porro utilem ad doctrinam caett. In eadem versatur sententia SEMLERUS in *Abhandl. von freier Unters. des Canon.* Hal. 1772, Vol. II. p. 83–93.

Et audacior *N. T. Graeci*, quod *Londini* prodiit a. 1729, editor, (Cf. MICHAEL. *Isag.* § 106, n. 13), notante WOLFIO in *Cur.* ad h. l. nostrum *καὶ* e textu eliminavit. Quodsi vero ad iustas Criticae artis leges rem diiudicemus, *καὶ* loco suo movendum non est: quapropter etiam recentiores editores BENGEL., WETST., GRIESB., HARWOOD., MATTHAEI, KNAPPIUS, HEINRICHS., TITTMANNUS, [SCHOLZ., LACHM. et TISCHENDORF. V.] illud intactum reliquerunt. Cf. MICHAEL. *Orient. u. Exeg. Bibl.* II: 80 sq. et LAUR. MEYER, *Comment. de inspiratione s. s.* Ultrai. 1784, p. 10.

Maior est dissensus de iusta verborum interpretatione, imprimis vero de constituendo huius enunciati subiecto, q. d. et praedicato. Quaeritur enim, utrum *θεόπνευστος* ad orationis subiectum ita pertineat, ut *πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος* praedicetur *ὠφέλιμος πρὸς διδασκ.* an vero *θεόπνευστος* sit referendum ad orationis, q. d. praedicatum, ut adeo *πᾶσα γραφὴ* hoc nomine laudetur, quod sit *et θεόπνευστος et* vero etiam *ὠφέλιμος πρὸς διδασκ.* Prius si eligas, copula *καὶ* vertenda est per *etiam*, ut sit: *omnis γραφὴ θεόπνευστος est etiam utilis ad doctrinam.* Sin posterius, haec erit sententia: *omnis γραφὴ* est *θεόπνευστος et utilis ad doctrinam.* Priorem construendorum verborum rationem praeferunt, qui *καὶ* vel olim non legerunt, vel nunc retinendum esse negant. His vero et alii accedunt, qui copulam admittunt, cum e veteribus THEODORETUS et laudati a THEOPHYLACTO, tum

e recentioribus LUTHER., ERASM, GROTIUS, PAUL. ERN. JABLONSKI in *Diss. de θεοπνευστίᾳ scriptorum ss. Novi praecipue Test., in rebus quas narrant historicis*, primum ed. a 1738, § 5, repet. a TE WATERO in *Opusco.* edd. L. B. t. IV. p. 431. DOEDERL. *Inst. Theol. Christ.* § 39. Obs. 3. HUFNAGEL. *Handb. der Bibl. Theol.* I. 6. AMMON. *Entw. einer Bibl. Theol.* p. I. p. 32. HEINRICHS. ad h. l. HERM. MUNTINGHE *Pars Theol. Christ. theoret.* Harderov. 1801. § 81. not. b. (ed. II. § 79) et alii [e. c., nam omnes enumerare nec refert et longum est, REINHARD. *Vorless. über die Dogmat.* ed. 5. § 21. p. 63. BRETSCHNEID. *Handb. der Dogmat.* ed. 4. § 19. p. 174 V.]: e quibus, quod bene notandum ad iudicium de Patribus regundum, nonnulli quoque illud *καὶ* in vertendo et interpretando negligunt. Posteriorem vero construendi rationem secuti sunt e Vett. CHRYSOSTOMUS, et e recentioribus plurimi Theologi, cum Pontificii, [in his nuperrime H. KLEE *Kathol. Dogmat.* ed. 2. t. I. p. 258, n. 3. V.], tum Protestantes, in his [CALVIN.; ut videtur V.]. BEZA, CASTELLIO, PISCAT. *Belgae*: eamque sententiam de industria vindicarunt JO. BENED. CARPZOVIUS in *Disp. de Script. s. θεοπνευστίᾳ ad* 2 Tim. III: 16. Lips. 1697, quae est XXVII in *Disputt.* eius *Acad.* iunctim edd. ibid. 1699, p. 1306—1310. WOLF. in *Cur.* ad h. l. MEYER. in *Disp.* l. ZACHARIAE in *Bibl. Theol.* I: 18 et nuper JO. ANT. LOTZE in *Monogramm. Theol. theoret.* Amst. 1817, § 54, n. 1. [Add.

MOLENAAR *over de ingeving der H. Schrift* in Opp. Soc. Hag. 1819, p. 8 *sqq.* MATTHIES *Erklärung der Pastoralbriefe* ad l. all. V.]. Alii, ut LESSIUS et STORRIUS, ll. deinceps laudd., rem in medio relinquunt: quod et olim a me factum est in Disp., quam edi curavit Societas Hag. pro defend. relig. Christ. a. 1789, p. 203.

Nunc vero, re saepius pensitata, assentior MUNTINGHIO, ex articuli absentia argumentum ducenti pro eorum interpretatione, qui vocem θεόπνευστος ad orationis subiectum referunt. Etenim πᾶσα γραφὴ sine art. significat indefinite *omne scriptum*, *omnes libros*, vel *omnia libri loca.* Quodsi igitur θεόπνευστος ad praedicatum referas, sententia inde existit haec: *omne scriptum est θεόπνευστον*: quod profecto *et* a vero, *et* a PAULLI mente est alienum. Scio, Novi Test. scriptores aliquando articulum non nimis curasse. Sed idem scio, eos multo fuisse diligentiores in addendo ac praetermittendo, quam plerique putant. In eaque sententia praeiverunt, praeter KLUYTIUM, qui in *Vindd.* suis saepius laudd. hanc causam ex professo tuitus est, Viri praeclari CAR. SEGAAR in *Obss. Philol. et Theol. in Eu. Lucae, Capp. XI priora*, p. 72 sq. [et p. 90 (1) V.]. PETR. ABRESCH in *ann. ad Hebr.* p. 7, 27. JER. MARCKLANDUS ab eo laud. et

(1) In exempl., quo ego utor, sua ipse manu cl. SEGAAR, p. 73 margini adscripsit: »sed p. 90 ex articulo non addito argumentum peto." V.

LUD. CASP. VALCKENAER, in *Schol. ad N. T. ll.* Vol. II. p. 32 *sq*. Quod autem LOTZIUS l. l. dicit, alienum non esse ab usu scriptorum ss., codicem Veteris Foederis, omisso articulo, dicere *γραφὴν*, nondum satis probatum vidi. Certe additur passim articulus, ubi de libris V. T., vel quadam eorum parte sermo est. Sic *αἱ γραφαὶ* dicuntur hi libri universe MATTH. XXI: 42. XXII: 29. XXVI: 54, 56. MARC. XII: 24. XIV: 49. JOH. V: 39. Act. XVII: 2, 11. XVIII: 24, 28. Rom. XV: 4. 1 Cor. XV: 3, 4, et singulae eius partes LUC. XXIV: 27, 32, 45, ut et universe scripta virorum *θεοπνεύστων*, 2 PETR. III: 16. Semel occurrunt *γραφαὶ ἅγιαι* sine art. Rom. I: 2, quod tuto vertas in *Heilige Schriften* et *γραφαὶ προφητικαὶ* C. XVI: 26, [ap. GRIESB. XIV: 26. V. (1)], quod similiter vertas in *Profetische Schriften*: quem utrumque locum neglexit KLUYTIUS. Similiter *ἡ γραφὴ* dicitur universe de sacro V. T. codice JOH. II: 22. X: 35. XVII: 12. XIX: 28. XX: 9. Act. VIII: 32. Rom. IV: 3. Gal. III: 22, et de singulari loco MARC. XII: 10. XV: 28. LUC. IV: 21. JOH. VII: 38, 42. XIII: 18. XIX: 24, 36. Act. I: 16. VIII: 35. Rom. IX: 17. X: 11. XI: 2. Gal. III: 8. IV: 30. 1 Tim. V: 18. JAC. II: 8, 23. IV: 5. 1 PETR.

(1) Cf. tamen FRITZSCHIUS ad Rom. I: 2, t. 1. p. 7, ubi: »*γραφαὶ ἅγιαι*," inquit, »Articulo non adiecto declarare possunt »*libros s. V. T.* Satis enim de quibus libris h. l. agatur, Adjec»tivo *ἁγίαις* indicatur. Sic Rom. 14, (16) 26 *γραφαὶ προφητικαὶ* »sunt *die prophetischen Bücher*." V.

II: 6. Occurrit quidem 2 PETR. I: 20 πᾶσα προφητεία γραφῆς; verum illud accipi posse pro πᾶσα προφητεία γεγραμμένη, notavimus ad illum locum. Opponit LOTZIUS praeter hunc locum Petrinum etiam Paullinum Rom. XIV: 27, qui vero non exstat. Suspicari licet vitium typothetarum, legendumque esse Rom. XVI: 26. Hunc autem locum LOTZIUS iterum affert, ut doceat, vocem γραφή, ubi adiunctum habet adiectivum, articulum non exigere: sed neque ille locus Paullinus quicquam probat, ut paulo ante monuimus, neque ex addito nomine adiectivo pendet articuli usus. Quod enim LOTZIUS locum JOH. XIX: 37 addit, nihil valet propterea quod ibi ἑτέρα γραφὴ non est *de andere Schrift*, sed *eene andere Schriftplaats*. Cum igitur tam constans et perpetua sit lex, qua γραφή, codicem V. T. notans, praefixum habeat articulum, equidem h. l. indefinite indicari puto *scriptum* s. librum, atque adeo idem, quod paulo ante dictum fuit γράμματα. Quod cum universe dicatur, mox curatius definitur, adiecto θεόπνευστος, ut adeo πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος sit *alle* vel *elke van God ingegevene Schrift*, quemadmodum πᾶν δένδρον ἀγαθὸν est *elke goede boom* MATTH. VII: 17; vel, quod eodem redit: *alle van God ingegevene Schriften*, quemadmodum πᾶσα μαλακία *alle kwalen*, MATTH. IX: 35, πᾶς τόπος *alle plaatsen*, LUC. IV: 37. Respicit autem PAULLUS ad ipsa illa ἱερὰ γράμματα, quorum paulo ante facta fuerat mentio.

Vox θεόπνευστος nova est, nec, quoad equidem sciam, ante PAULLUM a quopiam adhibita. CARPZOVIUS quidem in Diss. laud. affert PHOCYLIDIS versum 123:

Τῆς δὲ θεοπνεύστου σοφίης λόγος ἐστὶν ἄριστος·

sed totum hoc ποίημα νουθετικὸν ab homine Christiano esse confictum, vidit iam JOS. SCALIGER, et hodie agnoscunt quicunque in hoc genere aliquid vident. Cf. THEOPH. CHRISTOPH. HARLES, *Introd. in hist. linguae Gr.* § 18. Scribit quidem WESS. ALB. VAN HENGEL in *Diss.* vern. *over den invloed van de bijzondere karakters en persoonlijke denkwijze der Evangg. en Apostelen op derzelver schriften*, in *Opp. Soc. Teyler.* Vol. XXVII. Harl. 1815. p. 87, PAULLUM, atque ante eum PHILONEM aliosque Judaeos hanc vocem petiisse a Graecis, qui eam de sacerdotibus suis oracula edentibus usurparint; sed pace Viri cl. de eo mihi dubitare liceat. Quicquid sit, potest ea vox e Gr. linguae usu active et passive accipi. Active si accipiatur, significat id, *quod Deum spirat*, i. e. divinam prodit originem, vel divinam mentem refert: ut πυρίπνευστοι οἰστοὶ sunt *tela ignem spirantia;* cuiusmodi activa significatio in nonnullis cum voce θεὸς compositis locum habet, ut in θεοδόκος *qui Deum capit*, θεοκάπηλος *qui res divinas cauponatur*, θεοκόρος *qui Deo ministrat*, θεοκτόνος, *qui Deum interficit*, θεολόγος *qui de Deo disserit*, θεοτόκος *Deipara.* Ita igitur JO. AUG. ERNESTI in addit. ad BENI. HEDERICI *Lex. Gr.* Lips. 1767 in voce vertit:

Deum spirans, *mentem divinam redolens aut referens* (1). Sed si passive sumatur, *θεόπνευστος* erit *a Deo inspiratus*, quomodo *θεόγνωστος*, *θεόγραφος*, *θεοδίδακτος*, *θεοδόσιος*, *θεόθυτος*, *θεόκλητος*, *θεόκτιστος* est *a Deo cognitus*, *scriptus*, *edoctus*, *datus*, *immolatus*, *vocatus*, *procreatus*, plura ne afferam, quae dabunt *Lexica* et SUICERI *Thes. Eccles.* Hanc significationem tanquam unicam spectarunt cuncti fere interpretes cum veteres tum recentiores, et recte quoque alteri praetulisse videntur GOTTFR. LESSIUS in *Progr. quo locum* 2 *Tim.* 14—17 *exposuit*, Goett. 1788, item HEINRICHS. ad h. l. et SAM. FR. NATH. MORUS in *Comm. in suam Theol. Christ. epit.*, quem edidit CAR. AUG. HEMPELIUS Hal. 1797, t. I. p. 112—114. Rem in medio relinquit GOTTL. CHRIST. STORR in *Doctr. Christ. Parte theoret.* Stuttg. 1793, p. 65 *sq.*

Nec dubium mihi est, quin vulgata huius vocis interpretatio unice sit vera. Etenim cum *nova* vox facta sit a Scriptore, natione Judaeo, Hebraea dicendi forma frequenter uso, ac Veteris Test. libros laudante, quid facilius est cogitatu, quam eam analogam esse iis, quibus assueti erant Judaei, in laudandis libris suis sacris? Huic igitur *γραφὴ θεόπνευστος* est liber *γεγραμμένος ἐν πνεύματι Θεοῦ* כְּתוּב בְּרוּחַ יְהוָה, quomodo et vetus interpres Syrus accepit; sive *liber*, in quo est נְאֻם יְהוָה *dictum*, *pp.*

(1) Ita et JOH. SCHULTHESS in *Theol. Nachr.* 1826, p. 498 *sq.*, qui multa paradoxa ad h. l. affert p. 496—510.

inspiratum Jehovae. Atque id ipsum est, quod PETRUS enunciavit 2 Ep. I: 21, ubi viros sanctos, Dei ministros, olim vaticinatos dicit, *φερομένους ὑπὸ πνεύματος ἁγίου.* Neque ab eo diversum est, quod ipse PAULLUS de legatis JESU CHRISTI atque adeo de se ipso docet, 1 Cor. II: 12, 13: *ἐλάβομεν τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ* et *λαλοῦμεν ἐν διδακτοῖς πνεύματος (ἁγίου)* (¹) *λόγοις.* Quodcunque autem Deo iubente, favente, adiuvante, a piis Dei ministris fit, dicitur in Novo aeque ac in Vet. Test. fieri בְּרוּחַ אֱלֹהִים *ἐν πνεύματι Θεοῦ.* Sic CHRISTUS dicitur aegrotos, a maligno daemone vexatos, sanasse *ἐν πνεύματι Θεοῦ*, MATTH. XII: 28. Et quum sibi a Deo docendi facultatem legatique divini provinciam datam esse dicit, *πνεῦμα*, inquit, *Κυρίου ἐπ' ἐμέ* LUC. IV: 18, verbis ex Jes. LXI: 1 sumtis. Similiter Apostolis suis: »non vos estis," inquit, *»οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν* MATTH. X: 20." Haec igitur analoga sunt iis, quae PAULLUS significare voluit. Huic *rerum* analogiae accedit analogia *linguae.* PAULLUS enim vocem adhibuit simili ratione compositam *θεοδίδακτος.* Scilicet qui *τοῖς ὁ* dicuntur *διδακτοὶ Θεοῦ* Jes. LIV: 13, ille dixit *θεοδιδάκτους* 1 Thess. IV: 9, h. e. *a Deo edoctos.* PAULLO igitur vir *θεόπνευστος* est *ἔμπνευστος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, φερόμενος ὑπὸ πνεύματος ἁγίου·*

(¹) Hoc *ἁγίου* GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHENDORF. e textu eliminarunt. V.

et γραφὴ θεόπνευστος]: ei est γεγραμμένον ἐν πνεύματι Θεοῦ, *liber Deo iubente, adiuvante, moderante scriptus.* Latinus interpres *a Deo inspiratum* dixit: unde in scholis Theologorum communi usu trita sunt vocabula θεοπνευστία et *inspiratio.* ERASMUS in *paraphr.* dixit γραφὴν, *quae non humano ingenio, sed Spiritus divini afflatu prodita est.* Caeterum Graecorum et Latinorum dicendi formulas, Paullinae quodammodo similes, huc conferre nonnihil iuvat. Huiusmodi sunt SOCRATIS ap. PLAT. in *Jone*, poetas dicentis ἐνθέους, et οὐ τεχνῇ λεγόντας, ἀλλὰ θείᾳ δύναμει, neque adeo praeclara poemata ἀνθρώπινα esse οὐδὲ ἀνθρώπων, ἀλλὰ θεῖα καὶ θεῶν, poetas nihil esse, nisi ἑρμηνεῖς τῶν θεῶν, [p. 534 C—E. ed. Ast. t. IX: p. 332. V.] CICERONIS *de nat. Deor.* L. II. [C. 66. V.] *neminem virum magnum sine aliquo afflatu divino umquam fuisse*, et *de Divinat.* [L. I. C. 18. V.]: *oracula instinctu divino afflatuque fundi*, item — — *Poetam neminem sine inflammatione animi et sine quodam afflatu quasi furoris esse posse. Pro Archia*, c. 8: *Poeta-quasi divino quodam spiritu inflatur.* Vatis apud LIVIUM *Hist.* L. V. c. 15 dicentis, *quicunque cecinerit divino spiritu instructus, ea se nec, ut indicta sint, revocare posse.* VIRGILII *Aen.* VI: 11, 12:

magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates, aperitque futura.

Ad quam sententiam accommodate JUL. CAES. SCALIGER, *Poet.* L. I. C. II poetas dixit θεόπνευστους.

Ipse denique PAULLUS EPIMENIDEM, *Cretensium* poetam, προφητὴν dixit Tit. I: 12, accommodate ad Graecorum dicendi rationem. Sed quod Graeci et Romani suis poetis, prophetis et sacerdotibus immerito tribuebant, id Vatibus Hebraeorum vere tribui confidenter dicimus. Sed id nunc non agimus. Ad loci Paullini interpretationem revertamur.

Cum igitur πᾶσα γραφὴ θεόπν. subiectum constituat orationis, dicaturque indefinite de omnibus libris divinis, contexta tamen oratio docet, id ipsum de πᾶσᾳ illa γραφῇ dictum referri a PAULLO ad τὰ ἱερὰ γράμματα, quibus TIMOTHEUS inde a pueris erat eruditus sect. 15. Nec video, quare hoc indefinite dictum ad *prophetarum* libros restringendum dicamus cum GROTIO, HESSELINKIO *Uitlegk. Woordenb. des N. T. v. ingeven* p. 377 et cl. VAN HENGEL diss. l. p. 88, aut ad *didacticam* horum librorum partem, oppositam historicae, quod placuit AMMONIO l. l. p. 33. Cf. JABLONSKI *Disp.* l. § 5. *Opuscc.* t. IV. p. 431 *sq.* Itaque PAULLUS sic de πᾶσᾳ γραφῇ θεοπν. indefinite loquitur, ut praedicata etiam conveniant Novi Foed. libris, quamvis hos ab eo indicatos esse nondum concesserim MEYERO *Comm.* l. p. 7—10 et aliis, quos laudarunt CARPZOVIUS p. 1323 *sq.* et WOLFIUS in *Cur.* ad h. l. Omnium vero minime credam, quod vult LESSIUS *Progr.* l. p. 6, 7, non nisi PAULLI et reliquorum *Apostolorum scripta* esse intelligenda. Quam sententiam ut commendet, sic argumentatur: Aposto-

lus Christianam doctrinam ex Veteris Foed. scriptis nullibi haurire solet; nullibi doctorem Christianum hac in re ad illa ablegat; multo magis etiam antiquiora haec revelationis divinae documenta non nisi initia religionis, atque institutionem, puerilis aetatis tenuitati adaptatam, continere saepius monet; sublimiorem autem religionis cognitionem a Servatore nostro unice esse addiscendam; hanc autem sublimiorem ac perfectiorem CHRISTI doctrinam non nisi ex Apostolorum institutione scriptisque esse cognoscendam; praeterea hoc in loco ad institutionem a semet ipso datam TIMOTHEO potissimum provocat; Veteris autem Foederis scripta quandam tantum introductionem ad religionem Christianam sect. 15 vocat. Haec LESSIUS ad tuendam suam sententiam attulit. Quae tamen minime me movent, ut vulgarem interpretationem deserendam putem. PAULLUS enim Veteris Test. libros non laudat, tanquam doctrinae Christianae fontem, sive unicum, sive praecipuum; sed eorum usum commendat TIMOTHEO, doctrinae Christianae interpreti, propter multiplicem utilitatem, ex eorum usu prudenti nominatim ad docendos et convincendos errantes, imprimis Judaeos, percipiendam.

Quadruplicem enim utilitatem PAULLUS libris *θεοπνεύστοις* tribuit, quippe *ὠφελιμοῖς πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν* et *πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ*. Est autem *διδασκαλία* h. l. omnis *institutio*, ut sect. 10 et 1 Tim. V: 17,

quamquam alibi in epistolis PAULLI ad TIMOTHEUM et TITUM ἡ διδασκαλία nominatim dicitur de *institutione doctrinae Christianae*, ut 1 Tim. IV: 13. Tit. II: 7, atque hinc per metonymiam de ipsa hac *doctrina* 1 Tim. I: 10. IV: 6, 16. VI: 1, 3. Tit. I: 9. II: 1, 10, et in nostra epistola C. IV: 3. Huic iungitur ἔλεγχος pp. *probatio*, *persuasio*, quae fit adhibitis certis argumentis. Verbum autem ἐλέγχειν cum in his epistolis saepius adhibeatur de *refutandis* errantibus et *convincendis* peccantibus C. IV: 2. Tit. I: 9, 13, ut et de *reprehendendo* 1 Tim. V: 20. Tit. II: 15, ἔλεγχος autem h. l. distinguatur cum a διδασκαλίᾳ, tum ab ἐπανόρθωσει, accipiendum videtur de *redargutione* et *convictione* errantium. Neque adeo mihi placet HEINRICHSII sententia, qui διδασκαλίαν et ἔλεγχον per hendiad. accipi posse putat pro διδασκαλίαν ἐλέγχουσαν. Ἐπανόρθωσις pp. *correctio incurvati*, hinc omnis *restitutio in integrum*, ad animum et mores translatum, est *correctio erroris*, vel *vitae*. Neque alibi in N. T. aut in versionibus V. T. Graecis occurrit, sed adhibetur in 1 Esr. VIII: 54 et 1 Macc. XIV: 34. PHILO *Alex. de agricultura* ἐπανόρθωσιν ἤθους et βίου, POLYBIUS *Hist.* L. I. C. 35 ἐπανόρθωσιν τοῦ τῶν ἀνθρώπων βίου dixit. Hinc interpretes alii ad *vitae emendationem*, alii ad *errorum correctionem* referunt. Equidem prius malim, utpote usitatius, et melius congruens in hac vocum serie. Παιδεία pp. *institutio* et *disciplina puerilis*, quomodo occurrit Eph. VI: 4, mox dicitur de omni

8

alia disciplina, quomodo saepius adhibetur a τοῖς ό, ut Ps. II: 7. XLIX: 17. In N. T. alibi hac significatione non occurrit. Sed in hac ipsa epistola παιδεύειν C. II: 25 est *docere*, et ἀπαίδευτος ibid. s. 23 est *non docens*, *inutilis ad docendum*. Describitur autem haec παιδεία ita, ut sit ἡ ἐν δικαιοσύνῃ, qua homines ad *probitatem pietatemque* informentur: etenim δικαιοσύνη ad Hebr. צְדָקָה saepius ita usurpatur, ut Eph. IV: 24. 1 Tim. VI: 11. Zachariae *veritatis* notionem h. l. in δικαιοσύνῃ quaerit, utpote contextae orationi et scribentis consilio aptius, ut ipsi videtur, congruentem. Sed ea significatio aliena est a dictione Novi Test., et Paullus, ut in aliis epistolis passim, ita etiam in nostra C. II: 18, voce ἀληθεία usus est. Itaque Paullus πᾶσαν γραφὴν θεόπνευστον dicit utilem ad *docendos* imperitos, ad *redarguendos* errantes, ad *corrigendos* peccantes, et ad *informandos pietatis disciplina* quoscunque nondum exercitatos.

Timotheum igitur oportebat libros V. T. sacros ita adhibere in docendo, redarguendo, corrigendo et informando, ut quicunque ipsius curae essent commissi, hanc inde utilitatem percipere possent. Quod si et ipse et quicunque alius Euangelii interpres et coetus Christiani moderator strenue ageret, futurum erat id, quod Paullus sect. 17 addit: ἵνα (ea enim coniunctio ἐκβατικῶς h. l. sumenda est), ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. Ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρω-

πος est *homo Deo consecratus*, s. *Deo ministrans*, dicendi formula ad Hebr. אִישׁ אֱלֹהִים, quo PAULLUS 1 Tim. VI: 11, TIMOTHEUM nominatim appellat. PETRUS in 2 ep. I: 21, *ἁγίους Θεοῦ ἀνθρώπους* dixit. Est igitur appellatio non hominis cuiusque pii Deumque colentis, nec, quod vult HEINRICHSIUS, eius, *qui libenter versatur in legendis libris divinis*, eum potissimum in finem, ut eorum dogmata et praecepta aliis tradat, sed *ministri divini* in hominibus religionis praecepta docendis. Cff. de eo dicta ad l. 2 Petr. I: 19–21. Hunc igitur oportet esse *ἄρτιον*, omnino *idoneum* et *paratum* ad id praestandum, quod praestare eum oportet. Recte igitur *ἄρτιος*, quae vox non nisi h. l. in libris ss. occurrit, exponitur per *τέλειος*, et accommodate ad Tit. II: 7 per *ὑγιής*, in *Glossario in ss. Novi Test. libros*, quod e Ms. edidit JO. ALBERTI, L. B. 1735, p. 163. Hinc etiam in paucis Codd. est *τέλειος*, et in Lat. interpretatione *perfectus*. Quod autem hoc uno vocabulo dixerat, mox explanat PAULLUS, addito *πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος*. PAULLO *πᾶν ἔργον ἀγαθὸν* alibi est *quodcunque bene factum*. Quod si nominatim adscribitur Dei ministro, cogitandum est de *omnibus muneris*, ipsi divinitus demandati, *partibus*. Cum igitur ipsum illud antistitis munus C. IV: 5 dicatur *ἔργον εὐαγγελιστοῦ*, et 1 ep. III: 1 *ἔργον καλὸν*, h. l. *omnes* huius *muneris partes* indicantur, quemadmodum in 2 ep. II: 21. Verbum *ἐξαρτίζειν*, ductum ab eo ipso *ἄρτιος*, quod modo praecessit, significat

perficere, *ad finem perducere*, *consummare*: unde de *peractis diebus* adhibuit LUCAS Act. XXI: 5. Alibi enim in N. T. non occurrit. Hinc participium ἐξηρτισμένος, non nisi nostro loco occurrens, est *consummatus*, *omnino idoneus*, *omnibus instructus facultatibus* ad id, quod muneris ratio postulat. Sed cum verba ἀπαρτίζειν et καταρτίζειν frequentiora fuerint, quam nostrum ἐξαρτίζειν, librarii nonnulli dederunt, vel ἀπηρτισμένος, vel κατηρτισμένος, alii etiam ἐξηρτημένος [ἐξηρτιμένος V] et ἐξηρτυμένος. Cf. [GRIESB. et V.] MATTHAEI in *ann.* ad I et II N. T. edit. Qui igitur h. l. dicitur πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος, idem est, qui C. II: 21 dicitur εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἡτοιμασμένος, et Tit. III: 1 πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἕτοιμος; denique is opponitur ei, qui Tit. I: 16 dicitur πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἀδόκιμος.

Quodsi igitur iusta sit nostra dicti Paullini interpretatio, habebimus in eo argumentum, quo probemus auctoritatem et utilitatem, libris V. T. θεοπνεύστοις ab Judaeis et Christianis tributam. Primum enim PAULLUS sumit, eos esse θεοπνεύστους, atque adeo a viris θεοπνεύστοις scriptos. Huiusmodi vero libris *divina auctoritas* tribuenda est hactenus, ut agnoscamus, quodcunque in iis narretur, verum esse, quod commendetur, utile, quod iubeatur, licitum, quod prohibeatur, illicitum, quod praesignificetur, certo esse futurum. Quod cum

agnoscimus, simul tamen profitemur, auctoritatem in iubendo et prohibendo, in rebus a Christiana religione alienis, esse restringendam ad eos, quibus nondum Euangelii lex data erat. Deinde vero *vim Christianis salutarem* his tribuit libris sect. 15, et quadruplicem laudat *utilitatem*, ex iusto eorum usu percipiendam, ad docendos imperitos, ad redarguendos errantes, ad corrigendos peccantes et ad informandos pietatis disciplina quoscunque nondum exercitatos. Si igitur, adhibitis hunc in finem his libris, TIMOTHEUM, egregium illum PAULLI discipulum et imitatorem, consummatam in munere suo administrando facultatem consequi oportuerit, similis profecto horum usus librorum nostra aetate non parum proderit, ad perficiendos doctrinae divinae interpretes, coetusque Christiani antistites.

Quamvis igitur hic locus Paullinus proxime V. T. libros laudet, nihil tamen impedit, quominus, iusta adhibita ratiocinatione, eandem, qnin et maiorem tribuamus laudem N. T. libris. Etenim Apostolus indefinite πᾶσαν γραφὴν θεόπνευστον, extollit. Quodsi igitur aliunde satis constet, de quo nobis nulla est dubitandi causa, libros Apostolorum et Euangelistarum non minus quam V. T. libros pro θεοπνεύστοις esse habendos, illis etiam idem atque his honor erit tribuendus. Quin et tanto maioris aestimandi erunt hi libri, quanto magis sunt accommodati ad religionis Christianae indolem, veteri Mosea praestantiorem.

Caeterum ex h. l. accuratiorem τῆς θεοπνευστίας descriptionem erui posse nondum credo. Interim conf. ZACHARIAE l. l. I: 23—27 et singularem diatriben DIDERICI MOLENAAR, ed. in Opp. Soc. Hag. a. 1819.

PRIMA DEI NOTIO.

ACT. XIV: 15-17. XVII: 24-28.

Prima ac simplicissima Dei notio in eo cernitur, quod cogitemus *omnium rerum procreatorem et gubernatorem.*

Hanc notionem PAULLUS informavit, quando plurium deorum cultores, primum *Lystrenses*, deinde *Athenienses* unum docebat Deum.

Cum enim *Lystrenses*, in admirationem rapti mirifica sanatione hominis claudi, BARNABAM pro JOVE haberent, PAULLUM pro MERCURIO, hisque deastris sacrificare vellent, Apostolus Act. XIV: 15—17: *Viri*, inquit, *cur ista facitis? Nos quoque sumus homines, iisdem, quibus vos, affectionibus obnoxii, salutarem nuncium ferentes, ut vos convertamus ab his vanis ad Deum illum viventem, qui fecit coelum et terram et mare et quaecunque in iis sunt, qui praeteritis temporibus gentes omnes suis ipsarum viis incedere sivit, quamquam sui documentum edere non intermisit, benefaciendo de coelo vobis pluvias et tempora frugifera dando, large cibos laetitiamque vestris animis tribuendo.* Quibus in verbis non nisi

pauca notanda sunt. Verbum ἐπιστρέφειν, quando ad animum transfertur, sumitur mox transitiva, mox reciproca significatione. Posterius quando locum habet, ἐπιστρέφειν est *se convertere*, *resipiscere*, ut Act. III: 19. IX: 35. XI: 21. [XV: 19. XXVI: 20. V.] ut idem sit ac ἐπιστρέφεσθαι media significatione Gal. IV: 9. 1 Petr. II: 25. 2 Petr. II: 21, 22. Atque ita solet fere verbum h. l. ab interpretibus accipi. Sed priore significatione ἐπιστρέφειν est *convertere alterum*, *facere ut alter recipiscat*, quomodo occurrit de Deo dictum Act. III: 26 ([1]), et de hominibus Luc. I: 16, [17 V.] Act. XXVI: 18. Atque ita malim etiam verbum accipere hoc loco. Quod si fiat, antegressum εὐαγγελίζεσθαι nativa significatione *salutarem nuncium deferendi* sumi poterit: neque erit, quod tenuiorem ei tribuamus *denunciandi* significationem, [vel *cohortandi* cum KUINOELIO, qua posteriore certe significatione nusquam in N. T. occurrit. V.] In adiunctis ἀπὸ τούτων τῶν ματαίων interpretandis sequor eos, quibus et KUINOELIUS nuper accessit, qui τὰ μάταια dicta putant de *vana idolorum superstitione et cultu*, ex usu interpretum Alex. 1 Reg. XVI: 2, [13. WETTIUS tamen intelligendum esse monet θεῶν, laudans Jerem. VIII: 19; neque est negandum, tum ibi, tum alibi (Vid. inpr. Amos. II: 4) τὰ μάταια de *idolis* usurpari; sed, quod KUINOELIUS recte observat, »ipsum pronomen τούτων »docet, Paulum loqui de conatu Lystrensium sa-

([1]) Hoc l. habetur ἀποστρέφειν. V.

»crificium offerendi Apostolis, nec deorum statuas »attulerant." Pro τὸν Θεὸν τὸν ζῶντα nonnulli Codd. iique praestantissimi habent Θεὸν ζῶντα; quam lectionem dant LACHM. et TISCHENDORF., GRIESB. receptae supparem aut aequalem, imo forsitan praeferendam existimat. Est autem ζῶν s. ὁ ζῶν, tum in Vet. tum in Novi Test. libris constans *veri Dei* epitheton, quo falsorum deorum simulacris vita destitutis opponitur. Vidd. loca a BRETSCHN. in *Lex.* ad v., ubi tamen pro Deut. IV: 6 legendum est V: 26, et WETTIO ad l. laudata, quibus alia etiam addi possunt, ubi vel ὁ Θεὸς ὁ ζῶν occurrit e. c. Matth. XVI: 16. XXVI: 63. 1 Tim. VI: 17, vel Θεὸς ζῶν scriptum legitur, ut Hebr. III: 12. IX: 14. X: 31. XII: 22. Apoc. VII: 2. V.] Πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν sect. 16 per metaphoram dicitur de iis, qui *pro lubitu suo vivunt;* eleganter h. l. dicitur de hominibus *a Deo aberrantibus*, nunc vero a suis, in quibus errabant, viis ad Deum reducendis. Dicendi formula οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν difficulter ad verbum Latine exprimi potest. *Vulg.* interpres vertit: *non sine testimonio semetipsum reliquit.* BEZA et PISCATOR: *non passus est se expertem* (esse) *testimonii.* CASTELL. *non se reliquit non testatum.* MORUS: *non passus est se esse sine documentis* SCHLEUSN. *multa voluit extare sui documenta.* HEINRICHS. *non prorsus nulla sui documenta extare voluit.* KUINOEL. *haud obscura de se testimonia dedit.* — Pro ἡμῖν et ἡμῶν legendum est ὑμῖν et ὑμῶν, quod *et* rei ratio postulat, *et* aliae suadent rationes criticae. In ulti-

mis ἐμπίπλων τροφῆς καί εὐφροσύνης τὰς καρδίας ὑμῶν non urgendum est, quod *cor* dici possit *impleri laetitia*, non *cibis*; etenim αἱ καρδίαι ὑμῶν vel pro nuda periphrasi τοῦ ὑμᾶς habendum est, vel ad posterius tantum referendum.

Similiter PAULLUS, in *Areopago*, Deum Atheniensibus ignotum denunciaturus, Act. XVII: 24—28: *Deus*, inquit, *qui fecit mundum et quaecunque in eo sunt, cum sit coeli terraeque dominus, non in templis manufactis habitat, neque hominum manibus ei ministerium praestatur, tanquam ullius rei egenti, quippe qui ipse cunctis det vitam et halitum et omnia, ex unoque sanguine*, [servandum enim est αἵματος, quod LACHM. et TISCHENDORF. e textu reiecerunt. V.] *procreavit universum genus humanum, ut totam inhabitet tellurem, definitis temporibus statutis positisque eorum habitandi terminis, ut investigarent Dominum* (vel *Deum*: variant enim Codd. in lectione Κύριον et Θεὸν) *an forte palpando eum invenirent, quamquam non longe abest ab unoquoque nostrum; per eum enim* [s. potius *in eo*; cf. WETTIUS, et quos laudat CALV. ad l et WINER., *Gramm.* § 52, p. 371 n. ed. 4. V.] *vivimus, nos movemur et sumus*. Quibus in verbis parum est, quod non satis ab interpretibus, nominatim KUINOELIO [et WETTIO V.] sit occupatum. Θεραπεύεται sect. 25 verti solet per *colitur*; neque inepte, si divinae naturae ratio habeatur: malim tamen h. l. consuetam *ministrandi* in θεραπεύειν no-

tionem servare [cum WETTIO V.], quandoquidem negat PAULLUS, Deum, tanquam alicuius rei egentem *θεραπεύεσθαι* ab hominibus. *Ποιεῖν* s. 26 recentiores nonnulli vertunt *instituere*, ut haec sit sententia: »Deus instituit, ut ex uno sanguine universum ge»nus humanum totam inhabitaret tellurem." [Ita et WETTIUS, provocans ad Matth. V: 32. Marc. VII: 37, ubi *ποιεῖν* cum acc. et infinit. habetur, et quem laudat SCHOTTUS. V.] Obstat tamen illud *ἐξ ἑνὸς αἵματος*, quod vix huic verborum seriei convenit; itaque malim consuetam *faciendi*, h. e. *condendi, procreandi* notionem retinere, quam in proxime progresso *ποιήσας*, et in eodem quidem argumento, habuimus. Denique rationes criticae suadent, ut in textum recipiamus voc. *προστεταγμένους*, [quod GRIESB. LACHM. et TISCHENDORF. receperunt, V.] pro vulg. *προτεταγμένους*, *antea statuta*, vel *praestituta tempora*.

Ex utroque illo exemplo satis constat, quomodo PAULLUS Dei notionem informaverit. Etenim ante omnia ab iis, qui unum verum Deum ignorabant, spectari voluit summam eius vim et benignitatem, qua res omnes, nominatim hominum genus procreaverit, sustentet et gubernet, omninoque curam paternam habeat pro eorum salute. Deinde etiam docuit, Deum his potentiae et benignitatis documentis sese unicuique homini quodammodo cognoscendum praebere. Quae quidem PAULLI institutio

valde est memorabilis, propterea quod non alia nobis in Novi Testamenti codice occurrant exempla, e quibus discamus rationem et modum, quo CHRISTI legati versati fuerint in erudiendis hominibus, veri Dei notitia destitutis.

NECESSITAS COGNOSCENDI DEUM.

HEBR. XI: 6. ROM. I: 19, 20. C. II: 14, 15.

Paullus, vel quicunque scripserit epistolam ad Hebraeos, inde a C. X: 35 commendat fidem, Deo iusto ac veraci habendam. Cuius quidem fidei indolem universe describit C. XI: 1, praestantiam vero in reliqua huius capitis parte laudat exemplo illustrium virorum, quorum pietas in V. T. libris et aliis monumentis historicis, Israëlitis ad imitandum fuit proposita. Itaque primum utitur abeli exemplo, sect. 4, deinde henochi s. 5, quem constat e V. T. libris, antequam in coelestes sedes fuerit evectus, *εὐηρεστηκέναι τῷ Θεῷ placuisse Deo.* Ut autem doceat, henochum non sine fide Deo placere potuisse, addit s. 6: *atqui sine fide fieri non potest, ut* Deo quispiam *placeat:* [ita enim vertendum est, non cum aliis: *sine fide autem non potuit* (henochus) *placere.* Vid. bleek, *der brief an die Hebräer* caett et wett. ad l.V.] *qui enim ad Deum accedit, hunc credere oportet, eum esse et praemium largiri eum quaerentibus.* In *εὐαρεστῆσαι* cogitatione supplendum esse *τῷ Θεῷ*, facile intelli-

gitur ex antegressis. *Εὐαρεστεῖν* autem non nisi h. l. et C. XIII: 16 occurrit, quemadmodum *εὐαρέστως* est *ἀπ. λεγ.* C. XII: 28. Sed *εὐάρεστος*, quod C. XIII: 21 occurrit, satis est frequens in epistolis Paullinis. Est autem formula *εὐαρεστεῖν τῷ Θεῷ* sumta e vers. Alex. Gen. V: 22, ubi הִתְהַלֵּךְ אֶת־הָאֱלֹהִים *ambulare cum Deo* HENOCHUS dicitur. Qua dicendi formula non universe indicatur *vita ad Dei voluntatem composita;* sed singularis illa consuetudo, qua fruebantur pii Dei ministri, divinae mentis interpretes. Itaque illud *εὐαρεστεῖν τῷ Θεῷ* minus est definitum. Cum autem neget PAULLUS, sine fide Deo placere quempiam posse ([1]), addit rationem hanc: *πιστεῦσαι γὰρ δεῖ τὸν προσερχόμενον τῷ Θεῷ*, *κ. τ. λ.* *Προσέρχεσθαι τῷ Θεῷ*, prouti h. l., ita et C. VII: 25 et C. X: 22 dicuntur, qui *Deum adeunt precibus* et *gratiarum actionibus*, atque adeo universe *cultu* Deo placente. Unde etiam iidem C. IV: 16 dicuntur *προσέρχεσθαι τῷ θρόνῳ τῆς χάριτος*, et C. X: 1 simpliciter *προσερχόμενοι*. Nec differt formula *ἐγγίζειν τῷ Θεῷ* C. VII: 19. Jac. IV: 8. Matth. XV: 8. [Haudquaquam igitur idem valet, quod *εὐαρεστεῖν τῷ Θεῷ*, quae KUINOELII sententia est; [neque vertendum est cum aliis: *qui ad Deum venire vult*. Vid. BLEEK, l. l. et WETT. ad l. V.] Formulae ductae sunt ex veteri Israel. religione, qua qui supplices solenni ritu Deum adorabant,

---

([1]) De v. *ἀδύνατον* significatione et vi conf. ABRESCH *Paraph. e Annott. in Ep. ad Hebr.* Spec. III. p. 379. V.

sacrificia et dona ferebant ad locum Deo publice colendo destinatum, ubi sacerdotes, imprimis ἀρχιερεὺς, pro sacrificantibus intercedebat apud Deum. Quicunque igitur Deum gratiarum actionibus et precibus adire et colere, eoque ipso illi placere vult, hunc oportet antea credere, *et* Deum vere existere, *et* vero etiam hunc non negligere cultores suos, sed pietatis praemium largiri τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτόν. Ἐκζητεῖν τὸν Θεὸν ad Hebr. דָּרַשׁ אֶת־אֱלֹהִים est *implorare Dei opem, operam dare favori eius et auxilio consequendo.* Cf. Act. XV: 17. Rom. III: 11. Ps. XIV: 2. XXIV: 6.

Itaque hoc dicto docemur, nullam esse posse religionem sine fide, qua credas, *et* Deum esse, *et* eum pietatis praemia nondum experta aut praesentia (cf. sect. 3) largiturum esse ipsum colentibus.

Paullus Rom. I. 17, 18 laudat doctrinam Euangelii hoc nomine, quod quibuscunque hominibus viam monstret ad consequendam immunitatem poenarum, quas cuncti sua impietate meruerunt: quippe qui, quamvis Dei notitia non destituti, eum tamen iusta veneratione non fuerint prosecuti. Quod autem de Dei notitia dicit, de eo sic disserit, ut primum s. 19 doceat, Deum sui cognoscendi copiam fecisse hominibus, deinde s. 20 addat, hanc notitiam comparari ab iis potuisse, contemplando res a Deo procreatas.

Incipit Apostolus s. 19ª his verbis: διότι τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς, sed, antequam

sententiam inchoatam absolvat, per parenthesin addit, s. 19^{b}, 20: *ὁ γὰρ Θεὸς—ἀναπολογήτους*. Jam resumit orationem, per parenthesin abruptam, adhibito ipso illo *διότι*, sed submutata verborum constructione, *διότι γνόντες τὸν Θεὸν, οὐχ ὡς Θεὸν*, sic enim pergit, *ἐδόξασαν ἢ εὐχαρίστησαν, ἀλλ' ἐματαιώθησαν*, atque sic decurrit protasis, s. 21—23. Subiicitur apodosis s. 24: *διὸ καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς κ. τ. λ.* Unde consequitur, vertendum esse *διότι* s. 19 et 21 per *quoniam*, *διὸ* autem s. 24 per *iccirco*, *propterea*, quod in diutius protracta apodosi repetitur per *διὰ τοῦτο*, s. 26 (1). Atque haec de contexta oratione ad praesens institutum sufficiunt. Ad loci argumentum per se spectandum transeamus.

Deum sui cognoscendi copiam hominibus fecisse sic effatur Apostolus sect. 19, ut dicat, *primum* eos Dei cognoscendi facultate gaudere, *deinde* hanc illis facultatem ab ipso tributam esse Deo.

Prius sic enunciat: *τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς*. Quaeritur, quid sit *τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ*. Plerique vertunt, vel cum Vulg. *cognitum Dei (cognoscibile Dei)* vel cum BEZA, *quod de Deo cognosci potest, (quod Dei cognosci potest* CASTELLIO). Sed LIMBORCHIUS et BEAUSOBRIUS: *quicquid de Deo cognosci*

---

(1) Simplicior tamen mihi videtur FRITZSCHII (in Ep. ad Rom. ad l. t. I. p. 57 sq.) aliorumque ratio, qui et novam a *διότι* sententiam ordiuntur, *et* h. v. *nam* valere statuunt. — Male certe LACHM. et TISCHENDORF. post *κατεχόντων* s. 18 virgulam posuerunt. V.

debet. VENEMA in *annot. ad paraphr.* STEPH. DE BRAIS, de eo intelligit, *quod facile de Deo cognoscitur*, ut adeo τὸ γνωστὸν *prima* illa in Deo *nota* significet, quae sponte et certo cognosci et ab unoquoque animum advertente, diiudicari possint. ERNESTI in *Opuscc. Theol.* p. 230, 231 putat, τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ per periphrasin dictum esse pro ipso *Deo*, sumtumque ex Gen. II: 9, ubi arbor, quae MOSI dicitur עֵץ הַדַּעַת טוֹב וָרָע, ab interpretibus Alex. dicitur ξύλον τοῦ εἰδέναι γνωστὸν καλοῦ καὶ πονηροῦ. Quo quidem exemplo doceri posse putat ERNESTI, Graecos ἑβραΐζοντας vocabulum γνωστὸν abundanter adhibuisse, quando antecedat vel sequatur *cognoscendi* verbum. Equidem vero id non ausim efficere ex hoc unico exemplo, cuius simile neque apud interpretes Gr., neque in alio quopiam scriptore Hebraeo-Graeco, neque etiam in N. T. deprehensum fuit. Praeterea, quod sagaciter odoratus est KOPPIUS, ista τῶν ὁ lectio in Gen. l. l. vestigium prodit duplicis interpretationis, qua Graeci formulam Moseam expresserunt: scil. una haec fuit, ξύλον τοῦ εἰδέναι καλὸν καὶ πονηρὸν, ab ipsis Alex. profecta, quae etiam redit s. 17, altera haec, ξυλὸν γνωστὸν καλοῦ καὶ πονηροῦ, profecta, s. ab AQUILA, ut coniicit SCHLEUSN. in *Opuscc. Critt. ad verss. Gr. V. T. pertinentibus*, Lips. 1812, p. 80, s. ab alio interprete Gr. (1). Huiusmodi duplex interpretatio

(1) Cf. tamen FRITZSCHIUS ad l. qui KOPPII coniecturam oppugnat. V.

uno in loco coniuncta non est infrequens in versione Alex. Satis antiquam hanc esse duarum lectionum consociationem docent locus THEOPH. *Antioch.* L. II. *ad Autol.* § 30 ed. WOLF. p. 162 et Codd. vers. Lat. e Graeco factae, quos memorat AUGUSTIN. *Locut.* VI *de Gen.* T. III. Opp. ed. *Bened.* col. 243, et contulit SABATIERIUS in *ann.* ad *veterem vers. Italam* ad h. l. Neque est, quare quis de grammatica bonitate formulae *ξύλον γνωστὸν καλοῦ καὶ πονηροῦ* dubitet, cum vel sexcies eam, omisso *τοῦ εἰδέναι*, adhibuerit CHRYSOST. Hom XVI. *ad Gen.* Opp. ed. MONTF. T. IV. p. 129—132, qui alibi tamen addit *τοῦ εἰδέναι Hom.* XIII. p. 104, et *τοῦ γινώσκειν*, Hom. XIV. p. 110. Ut adeo non opus sit in ORIGENE L. IV *contra* CELSUM p. 189. ed. SPENCERI, ubi eadem habetur forma, aut *εἰδέναι* textui inserere, aut *γνωστὸν* immutare in *γνωστικόν*, quod visum est VENEMAE. Posses etiam ad PHILONEM provocare, qui *Legum Allegor.* L. I. ed. MANG. I. p. 59 locum Gen. II: 17, sic dedit *τοῦ εἰδέναι γνωστὸν καλοῦ καὶ πονηροῦ*, nisi merito hic PHILONIS locus interpolatus fuerit visus HORNEMANNO, in *Spec. Exercitatt. Critt. in vers.* LXX *interpretum ex* PHILONE, Goett. 1773, p. 58, 59. Haec igitur est causa, quare equidem non ausim accedere ERNESTIO, e loco Gen. in vers. Alex. expresso colligenti, *τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ*, ex usu scriptorum *ἑβραϊζόντων*, idem esse atque *ὁ Θεός*. Malim *τὸ γνωστὸν* accipere pro *ἡ γνῶσις*, quomodo iam interpretati sunt CHRYSOST., THEODORETUS et *Scho-*

liastes, cuius annotationem edidit MATTHAEI. Amat certe PAULLUS hanc dicendi formam: unde *τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ* dicitur C. II: 4, pro *ἡ χρηστότης τοῦ Θεοῦ*, quod et modo praecesserat; alia ne commemorem a KOPPIO iam allata. Atque eo etiam ducunt, quae leguntur sect. 21, ubi abrupta per interiecta illa: *ὁ γὰρ Θεὸς—ἀναπολογήτους*, oratio resumitur sic: *διότι γνόντες τὸν Θεὸν, κ. τ. λ.* [Reiecit quidem hanc v. *γνωστὸν* significationem WINERUS *Gramm.* § 34, p. 210, statuens eo indicari vel *quod de Deo notum est*, vel *quod de Deo nosci potest;* monet vero FRITZSCHIUS ad l. non quidem Graecorum usum loquendi, sed sententiarum continuitatem huic interpretationi adversari. Cf. et THOLUCK. *Komment.* 1842, ad l. V.]. Haec igitur Dei cognitio, hoc *γνωστὸν τοῦ Θεοῦ* PAULLUS *φανερόν ἐστιν*, inquit, *ἐν αὐτοῖς*. Quae verba multi quidem, [in his CALVIN., FRITZSCH., THOLUCK. V.] intelligunt de *interna manifestatione*, quae sit animis hominum indita et congenita; sed contra usum dicendi in libris N. T.: quem si consulamus, sententia erit haec: *manifestum est apud* vel *inter illos*. Sic 1 Cor. XI: 19, *ἵνα δόκιμοι φανεροὶ γένωνται ἐν ὑμῖν* est, *ut probi conspicui fiant inter vos*. Similiter 1 Tim. IV: 15, *ἵνα σοῦ ἡ προκοπὴ φανερὰ ᾖ ἐν πᾶσιν* est: *ut profectus tuus manifestus sit inter omnes*. Posset tamen etiam *ἐν αὐτοῖς* sic accipi, ut *ἐν*, ad Hebr. ב positum, redundet, ac *φανερὸν ἐν αὐτοῖς* simpliciter significet: *manifestum est iis*, quomodo 1 Cor. XIV: 11, *ἐν ἐμοὶ βάρβαρος* est

mihi barbarus ([1]), et 2 Cor. IV: 3 *ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις* est *pereuntibus:* [quae est CHRYSOSTOMI sententia: nam δεῖξον, inquit, ὅτι ἡ γνῶσις ἡ περὶ τοῦ Θεοῦ δήλη ἦν αὐτοῖς. V.]. Caeterum inest formulae *φανερὸν εἶναι* notio *publicandi*, *palam faciendi*, quae institutioni internae, q. d. minus convenit: [nam quae opponuntur a FRITZSCHIO et WETTIO non difficulter refutantur. V.]. Quomodocunque sumas, docet Apostolus, homines gaudere Dei notitia, [vel, quod malo propter seqq., posse illos ad Dei notitiam pervenire. V.].

Addit Apostolus sect. 19*b* hanc iis datam esse facultatem a Deo: *ὁ γὰρ Θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε.* Sed pro *ὁ γὰρ Θεὸς* testes duarum recensionum antiquissimarum habent *ὁ Θεὸς γὰρ*, quod et praeferunt BENGEL., HARW., GRIESB., KOPPIUS, MORUS, TITTMANNUS, [LACHM., TISCHENDORF., FRITZSCH. alii. V.]. Vulgatum tuentur MATTHAEI et KNAPPIUS. *Φανεροῦν* verbum est, aeque ac nomen inde factum *φανέρωσις*, a Graecis vel numquam, vel raro admodum adhibitum, frequens tamen in N. T., ex etymologiae lege significans *φανερὸν ποιεῖν*, *manifestum*, *notum facere*, *patefacere*. Cff. quae accurate de h. v. disputavit JO. VAN VOORST in *Annot. in loca sel. N. T.* Spec. I. p. 12—26, qui nec nostrum neglexit locum.

Sed hanc facultatem quomodo Deus largitus sit,

([1]) Cff. tamen de h. l. WINERUS, *Gramm.* § 51. p. 369 et FRITZSCHIUS, qui *ἐν ἐμοὶ* valere *meo iudicio* putant. V.

s. quomodo homines, Dei beneficio, ad eam naturae divinae notitiam perveniant, docet PAULLUS s. 20. *Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ*, inquit, *ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους.* In his quae sint *ἀόρατα τοῦ Θεοῦ*, *quae de Deo proprie oculis cerni non possunt*, mox interpretatur P. per *ἀΐδιον αὐτοῦ δύναμιν καὶ θειότητα*: [quod, cum ab aliis, tum a PETRO MARTYRE monitum, frustra negat FRITZSCH., contendens, neminem umquam *τε* in epexegesi posuisse, ut *nempe* declararet; nam recte provocat WETTIUS ad Rom. I: 12, 16, quibus addi possunt II. 9. III. 9. Act. I: 13. XIII: 1. V.]. *Δύναμις* est, vel quae proprie dicitur, *vis* et *potestas* divina, quomodo MATTH. XXII: 29. 2 Cor. VI: 7. XIII: 4, ut adeo laudetur Dei summa vis et potentia in rebus omnibus procreandis, conservandis ac gubernandis conspicua; vel, quod aliis placet, ampliore significatione, ad Hebr. עֹז omnis divinae naturae *virtus* ac *maiestas*, quomodo MATTH. XXVI: 6. *Θειότης*, *ἀπ. λεγ.*, idem est ac *θεότης*, quae duo frustra discerni vult ELSNERUS: [Vid. tamen FRITZSCHIUS ad l. V.], neque unam *benignitatem* divinam significat, quod visum est MUSCULO, LAUNAEO et VENEMAE; sed id ipsum, quod Graecis *τὸ θεῖον* Act. XVII: 29 et *ἡ θεία φύσις* 2 Petr. I: 4, ut adeo recte in *Scholiis* a MATTHAEIO edd. exprimatur per *μεγαλειότης*. Rem si spectes, PAULLO *ἡ δύναμις καὶ θειότης αὐτοῦ* idem erit quod PETRO, l. l. s. 3 *ἡ θεία δύναμις αὐτοῦ*. Utraque

dicitur ἀΐδιος *aeterna:* quae vox, quamquam in ep. Jud. s. 6 sumitur de eo, *quod finem non habet*, h. tamen l. de eo dicitur, *cuius neque initium nec finis cogitari potest*, ut adeo PHAVORINUS recte interpretatus sit: ὁ ἀεὶ ὤν, ὁ μηδέποτε ἀρξάμενος, μηδὲ λήγων. Haec igitur divinae naturae propria, quae oculis cerni non possunt, τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, h. e. *e rebus factis mente intellecta*, s. *animadversa perspiciuntur*. Τὰ ποιήματα KOPPIO videntur esse opera quaevis divina, non tantum ea, quae in producenda hac rerum natura; verum etiam quae in rebus, vita, fatisque hominum gentiumque gubernandis versantur; non exclusis imprimis etiam iis, quae humani generis causa per JESUM et Apostolos divinitus patrata sunt. Cui tamen sententiae obest orationis argumentum et series. Nec conveniunt, quae PAULLUS alibi *Lystrenses*, Act. XIV, et *Athenienses* C. XVII docuit de Deo e rebus procreatis cognoscendo. Praeterea mihi obest vox ποίημα, quod praeterquam h. l. non nisi Eph. II: 10 occurrit, et de *re procreata, condita* dicitur. Denique ut *res* a Deo *conditas* cogitemus, suadent praemissa ἀπὸ κτίσεως κόσμου, quae bene exposuit BEZA, *a mundo inde creato*, ut sint ἰσοδυναμοῦντα cum ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως, Marc. X: 6. XIII: 19. 2 Petr. III: 4, et ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, Matth. XIII: 35. XXV: 34. Luc. XI: 50. Hebr. IV: 3. IX: 26. Apoc. XIII: 8. XVII: 8. — Ultima εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους aliis proxime cohaerere videntur cum ultimis sect. 19 ver-

bis: ὁ γὰρ θεὸς α. ἐφ. ut adeo intermedia parenthesi includantur. Quod si eligas, εἰς τὸ εἶναι indicare poterit Dei in patefaciendo consilium, in eo positum, *ut homines nullam habeant excusationis causam*. Alii vero huius sententiae conclusionem cum proxime antecedentibus copulant. Quod si fiat, εἰς τὸ εἶναι rei effectum indicabit: *ut adeo sint inexcusabiles*. [Posterius, et recte quidem, me iudice, CHRYSOST. aliique iam significarunt, et contendunt FRITZSCH., THOLUCK., WETT. V.]

Ab hac interpretatione longissime discedit παρερμηνεῖα, a SOCINO excogitata, et a CONR. VORSTIO probata. Scilicet uterque sibi persuasit, ἀΐδιον θεοῦ δύναμιν καὶ θειότητα esse duas praecipuas Euangelii partes, divina *promissa* ac *praecepta*, quae cum essent ἀόρατα ἀπὸ κτίσεως κόσμου, *occulta inde a mundi procreatione*, nunc νοούμενα, *oculis exposita* dicuntur per ποιήματα, h. e. admirabilia CHRISTI et Apostolorum facta, s. *miracula*, Euangelii propagandi causa patrata. Cuius vero interpretationis nullum est in verbis et dicendi usu librorum ss. fundamentum: cum nec θειότης aut δύναμις de *promissis praeceptisque* euangelicis, nec ποιήματα de *miraculis* unquam dicantur. Cf. ELSNERI *Obs.* ad h. l. Quocirca etiam CRELLIUS et SCHLIGTINGIUS, uterque SOCINI familiae addictus, hanc παρερμηνείαν perspexerunt, locumque e nostra sententia sunt interpretati. Cf. LIMBORCH. ad h. l.

Caeterum cum nostro loco comparari meretur ATHENAGORAE in *legat. pro Christianis* locus C. V.

(al. VI), ubi e lectione, quam MARANUS praefert, de EURIPIDE: τὸν δὲ inquit, ἀπὸ τῶν ἔργων ὄψει τὸν ἄδηλον, νόων, τὰ φαινόμενα ἑώρα αἴθερος, γῆς, h. e. »hunc autem invisibilem ex operibus inquirens »ea percipiebat, quae manifesta sunt in aethere et »terra." Cff. et PHOTII *Scholia* a MATTHAEIO ad h. l. Paull. edd. p. 164. Graecorum dicta similia attulit GATAKERUS in *ann.* ad M. ANTON. L. VII. C. 47. p. 223. Prae caeteris notandus est ARISTOTELIS locus *de mundo* C. VI. inter alia laud. a KOPPIO. [Adde CICER. *Tusc. Quaestt.* I: 29: *Deum agnoscis ex operibus eius* al. V.]

Ex hoc igitur dicto Paullino efficimus: 1. Deum hominibus sui cognoscendi copiam fecisse; 2. iis etiam, qui nondum gaudeant luculentiore patefactione, qua olim gavisi fuere Israelitae; 3. eos igitur contemplando res sensibus obiectas, posse pervenire ad persuasionem de Deo procreatore; 4. nominatim ad cognoscendam aeternam vim ac maiestatem divinam; 5. atque adeo hominibus idola colentibus nullum esse excusationis locum. Cf. ZACHAR. *Bibl. Theol.* I: 177—184, et KOPPIUS ad h. l.

PAULLUS Rom. II docet, universum genus humanum poenis divinis esse dignum, quandoquidem omnes legem, s. animis inscriptam, s. etiam singulari patefactione traditam violarunt. *Quicunque enim*, inquit s. 12, *sine lege*, singulari modo patefacta, *peccarunt*, *sine lege quoque peribunt*, a

Deo damnati: *et quicunque legem habentes* (ἐν νόμῳ. Cf. III: 19, idem quod ἔννομοι, 2 Cor. IX: 21) *peccarunt*, prouti ab Israelitis factum est, *per legem damnabuntur*. Quae his subiicit PAULLUS sect. 13—15, parenthesin faciunt, quam plerique etiam interpretes et editores agnoverunt. Contra quidem dicit KOPPIUS, [uti et FRITZSCH., RÜCKERT., THOLUCK., WETT. et WINER. § 64, 2. p. 488 sq. V.] non nisi unam sect. 13 parenthesi includendam arbitratus: sed, ut equidem opinor, frustra; etenim quae sect. 16 habentur, arcte cohaerent cum sect. 12, nec possunt commode cum proxime antegressis coniungi. Itaque PAULLUS primum, quod s. 12 dixerat de interitu eorum, qui legem, singulari modo patefactam, peccando violarunt, sic demonstrat sect. 13: *non enim qui legem*, sibi in conventibus ss. praelectam, *audiunt*, atque adeo profitentur fidem et obedientiam legi divinae praestandam, propterea *a Deo inculpati habentur; sed* ex his duntaxat *impune dimittentur*, *qui legi obtemperant*. Deinde vero Apostolus sectt. 14, 15 demonstrat, quod s. 12 dixerat de interitu eorum, qui sine lege, singulari modo patefacta, peccarunt. Ne enim videatur iustitiae divinae contrarium, quod qui lege sint destituti tamen damnentur, docet PAULLUS, hos ipsos etiam legis divinae notitia non omnino esse destitutos.

Primum igitur docet PAULLUS, gentes, lege scripta destitutas, sibi ipsas esse pro lege sect. 14.

Deinde hoc interpretatur et addita ratione confirmat sect. 15.

Prius illud sic effert: *ὅταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῇ*, [LACHM. et TISCHENDORF. dant *ποιῶσιν*; sed rec. l. videtur retinenda. Vid. FRITZSCH. ad l. V.] *οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες ἑαυτοῖς εἰσι νόμος*. Opponit igitur Judaeorum nationi *ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα*, *gentes, quae legem* singulari modo patefactam *non habent*. Itaque hae subiectum q. d. orationis constituunt. Eo etiam nonnulli interpretes, ut BENGELIUS et SEMLERUS, referunt vocem *φύσει*, ut adeo gentes dicantur *φύσει legem non habentes*, h. e. *natura*, nascendi sorte, *lege distitutae*. Verum ea dicendi ratio prorsus est aliena a PAULLI stilo, eique obest tota oratio contexta, imprimis id, quod subiicit Apostolus sect. 15. Etenim eo ipso, quod gentes, legis Moseae expertes, *φύσει* faciunt *τὰ τοῦ νόμου*, comprobat, legis praeceptum inscriptum esse earum *animis*. Ac porro earum *συνείδησιν* laudat, qua *sibi ipsae* sint pro lege. Ubi autem iterum laudat *gentes lege expertes*, simpliciter dicit: *οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες*, non addito *φύσει*. [Imo absurdam prorsus ista interpretatio fundit sententiam: quod recte docet FRITZSCH. ad l. V.]. Quae quidem omnia mihi persuadent, illud *φύσει* non ad antecedentia, subiectum orationis constituentia, sed ad subsequentia, s. ad praedicata eius, esse referendum. [Cf. et RÜCKERT. ed. 2. ad l. V.].

Itaque hae gentes dicuntur *φύσει τὰ τοῦ νόμου*

ποιεῖν. Quaeritur, quae sint *τὰ τοῦ νόμου*. JAC. CAPPELLUS, SAM. BOCHARTUS ac nonnulli alii, a WOLFIO in *Cur. Philol.* ad h. l. laudd., interpretantur de iis, quae *lex facere solet iubendo, convincendo, terrendo, damnando*. Quod si sumas, gentes dicuntur sibi ipsae imperare, se ipsae convincere, a vitiis absterrere et peccantes se ipsae damnare. Sed alia ne afferam a WOLFIO contra hanc interpretationem monita, aliam oratio contexta postulare videtur sententiam, qua *τὰ τοῦ νόμου* sint *ea, quae lex poscat et iubeat*. Mox enim ipse P. interpretatur per *τὸ ἔργον τοῦ νόμου*. Itaque *τὰ τοῦ νόμου ποιεῖν* id ipsum est, quod s. 26 dicitur *τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου φυλάσσειν*, et s. 25 *νόμον πράσσειν*, et Gal. V: 3, *τὸν νόμον ποιεῖν*, h. e. *facere, quae lex iubet et postulat*, s. ut CASTELLIO vertit, *facere legitima*. Id autem facere dicuntur *φύσει, natura duce*, sine ulteriore voluntatis divinae patefactione, non edoctae lege solenniter promulgata. [CHRYSOST. *φύσει δὲ ὅταν εἴποι, τοῖς ἐκ φύσεως λέγει λογισμοῖς*. V.].

Cum igitur gentes istae praestent natura duce, quae lex divina iubeat, *οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες ἑαυτοῖς εἰσι νόμος* h. e. *sibi ipsae sunt pro lege*, animus eorum ea ipsa facere docet ac iubet, quae Judaeos lex, singulari modo tradita.

In posteriore huius loci parte sect. 15 partim quod modo dixerat Apostolus interpretatur, partim etiam addita ratione confirmat.

Interpretatur, quod de gentibus, quae *sibi ip-*

sae pro lege sint, dixerat, sic: *οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν*, h. e. *quippe quae palam ostendant praeceptum legis suis inscriptum animis*. Quemadmodum s. 14 in *οὗτοι*, ita hic in *οἵτινες*, quod est generis masc., non convenientis cum neutro genere in *ἔθνη*, cogitatione supplendum est *ἄνθρωποι*, qui singuli *τὰ ἔθνη* constituunt: quomodo etiam Matth. XXVIII: 19 *πάντα τὰ ἔθνη* sequitur *αὐτούς*. Cf. GLASSII *Philol. s.* L. I. Tract. II. Can. XVI. *Τὸ ἔργον τοῦ νόμου* nolim cum EL. PALAIRETO in *Obs. ad N. T.* interpretari per periphrasin pro *ipsa lege*, [quod fieri posse recte negavit WINER. § 67, p. 556. V.] nec cum ERASMO per *rem*, vel *substantiam legis*. Videtur enim esse *opus*, s. *factum, quod lex exigit*. Ita PAULLUS saepius in h. ep. dixit *ἔργα νόμου* C. III: 20, 28. IX: 32, ut et in Gal. II: 16. III: 2, 5, 10. [Cf. inpr. FRITZSCH., qui fuse hoc probavit, et WETT. V.] Quod quidem *ἔργον τοῦ νόμου* dicitur *γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις* hactenus, ut *praeceptum, mandatum animis* sit *inscriptum*. Alibi enim ipsa *lex* animis *inscripta* dicitur: scilicet per metonymiam id ipsum, cuius *frequens cogitatio* et *certa persuasio* animis inhaeret et praesens est, dicitur *cordibus inscriptum*, eleganti metaphora. Neque enim illud *γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις* restringendum esse ad simplicem *scientiam*, quomodo CLERICUS exposuit in *ann.* ad h. l. et in *Art. Crit.* P. II. S. I. C. IV. § 10; sed simul etiam indicare *certam persuasionem*, col-

ligi potest e simili dicendi formula, quam PAULLUS alibi adhibuit. Etenim Hebr. VIII: 10 duxit ex Jerem. XXXI: 33, quod Deus dicitur *διδοὺς νόμους εἰς τὴν διάνοιαν*, et *ἐπὶ καρδίας ἐπιγράψας*, quo futurum sit, ut non tantum homines *sciant* legem, sed iis etiam inhaereat *persuasio* de legis bonitate et obediendi necessitate. Similiter huic formulae plus inesse, quam nudam *scientiam* docet locus 2 Cor. III: 2, 3, ubi *Corinthii* dicuntur epistola commendatitia *ἐγγεγραμμένη ἐν ταῖς καρδίαις*, et *ἐν πλαξὶ καρδίας σαρκίναις·* [ex quo loco recte efficias, P. alludere ad *tabulas lapideas*, quibus lex Mosea insculpta fuerit. V.]. Conferri merentur locus CLEMENTIS *Rom.* in ep. ad Cor. C. II. *τὰ προστάγματα τοῦ Κυρίου ἐπὶ τὰ πλάτη τῆς καρδίας ὑμῶν ἐγέγραπτο*, et PHILONIS, quem comparavit LOESNERUS in *Obs.* ad h. l.

Denique Apostolus, quod paulo antea dixerat, addita ratione confirmat sic: *συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων, ἢ καὶ ἀπολογουμένων.* In quibus cum hominum conscientia dicatur *συμμαρτυρεῖν*, CASTELLIO, GROT., ERNEST. in *Bibl. Th. nova*, Vol. X. p. 631, et *Inst. int. N. T.* P. I. S. II. C. V. § 8. KOPPIUS, SCHLEUSN. [THOLUCK. V.] hoc verbum pro simplici *μαρτυρεῖν* positum esse putant. Quandoquidem vero praepos. *σὺν* cum in aliis verbis, (cf. JO. V. VOORST in *Animadv. de usu verborum cum praepositionibus compos. in N. T.* Spec. I. Lugd. Bat. 1818, p. 62—64) tum in nostro *συμμαρτυρεῖν*

alibi C. VIII: 16. IX: 1, vim suam addit, malo etiam nostrum locum ita accipere, ut sit *una testari*. Lex enim, quid faciendum sit docet, *cum* eaque lege *testatur* hominum conscientia. [Ita et FRITZSCH. et WETT., quod attinet ad v. συμμαρτυρεῖν significationem: qui tamen, existimantes, Apostolum, quod dixerat s. 14, duplici ratione s. 15 probare, alterâ ex gentium *vita*, alterà ex illarum *conscientia* ducta, τὸ σὺν in v. συμμαρτυρεῖν ad *honestam gentilium vitam* referendum esse censent. Sed v. quae THOLUCK. contra illos disputavit. V.]. Quomodo autem *simul testetur* hominum conscientia, sic exponit P., ut dicat, eorum *cogitationes*, λογισμοὺς, eos κατηγορεῖν *accusare*, quoties scilicet legem cognitam violent, vel etiam, quamvis minus frequenter, ἀπολογεῖν, *defendere*, *excusare*, quoties legi pareant. Atque haec satis sunt facilia. Sed quomodo illud μεταξὺ ἀλλήλων sit accipiendum ambigitur. Consuetam praepositionis μεταξὺ significationem plerique retinendam putant, ut adeo cogitationes dicantur *inter se invicem* (quomodo expressit interpres *vulg.*) vel *sese mutuo* (ut habet BEZA) accusare et defendere. Eandem τοῦ μεταξὺ vim agnoscunt CASTELLIO, vertens: *utrorumque*, h. e. male ac bene agentium, *cogitationes*, et STORRIUS in *Doctr. Christ. Part. theoret.* p. 85 *inter se solae*, h. e. nemine extrinsecus in hunc sensum compellente. Sed longe aliam ingressus est viam KOPPIUS, μεταξὺ adverbii loco habens, ut sit *postea*, *aliquando*, quomodo apud Graecos adhiberi docent

exempla allata a KYPKIO in *ann.* ad Act. XIII: 42. KREBSIO in *notis* ad *Decreta Rom. pro Judaeis*, p. 223—225 et in *Obss. Flav.* p. 220, et SCHLEUSN. in *Lex.* v. μεταξὺ n. 3. Porro KOPPIUS ἀλλήλων sumtum putat pro ἑαυτῶν, et μεταξὺ, apposito commate, seiunctum ab ἀλλήλων refert ad ea, quae sequuntur sect. 16, ἐν ἡμέρᾳ, ὅτε κρινεῖ ὁ Θεὸς τὰ κρυπτὰ τ. ἀ., unde existat haec sententia: *olim, extremo iudicii die, — cogitata eorum et sensus honesti et inhonesti futuri sunt norma, ad quam vel praemiis, vel poenis a Deo sint afficiendi.* Quae vero interpretatio mihi durior videtur, nec cum linguae rationibus conveniens. *Primum* enim recte iam animadvertit STORRIUS, desiderari usum loquendi, qui patitur quidem, ἑαυτῶν dici pro ἀλλήλων, non vero vicissim ἀλλήλων pro ἑαυτῶν significatu proprio usurpari. *Deinde* μεταξὺ in N. T. non nisi semel Act. XIII: 42 pro μετέπειτα vel καθεξῆς sumitur: contra frequens est usus praepositionis, sequente gignendi casu, per *inter* vertendae, Matth. XXIII: 35. Luc XI: 51. XVI: 26. Act. XII: 6, imprimis vero propter sententiae vicinitatem notanda sunt loca Matth. XVIII: 15, et Act. XV: 9, laudd. ab AMMONIO in Observv., quas KOPPII annotationibus subiecit, item a SCHLEUSNERO, qui nostrum neglexit locum. *Porro* etiam μεταξὺ nimis longe est remotum ab his ἐν ἡμέρᾳ κ. τ. λ., quam ut tam arcte sint connectenda. Quemadmodum vero KOPPIUS cum nostra sect. copulat subsequentem, negata parenthesi, ita etiam CAST., quam ut

commendet rationem, pro praesentibus substituit futura: *id quod testabitur eorum conscientia, et utrorumque cogitationes eos vel accusabunt, vel defendent, quo die iudicabit Deus* caett. Sed PAULLUM loqui non de eo, quod olim futurum sit, sed de rebus praesentibus, universa docet contexta oratio: [quod frustra, me quidem iudice, negat FRITZSCH. qui, reiecta parenthesi, ultima s. 15 verba cum s. 16 iungenda putat, atque adeo participia temporis praes. *συμμαρτυρούσης*, *κατηγορούντων* et *ἀπολογουμένων de re certo futura* explicanda esse existimat. V.]. Caeterum ad hanc loci partem conferri merentur, quae e PHILONE notarunt CARPZOVIUS in *Stricturis Theoll. et Critt. ad ep. ad Rom.* Helmst. 1758, p. 51 et LOESNERUS in *Obss.* ad h. l.

Loci nostri interpretationi non est, quod prolixam subiiciam admonitionem, contra SOCINI et VORSTII, ll. supra ll., *παρερμηνείαν*, [commissam iam olim ab AMBROSIO et AUGUSTINO, refer. MARTYRE ad l. V.] qua universam orationem Paullinam acceptam velint de gentibus, Euangelii luce collustratis, quae, etsi legem talem, qualem Israelitae, scriptam non acceperint, tamen per Euangelii nuncium, notitiam legis, h. e. fidei et obedientiae, animis infixam teneant, cuius ope faciant, quae Euangelii lex iubeat. Nihil enim aut a verbis Paullinis, aut a contexta oratione, aut a consilio scribentis magis alienum fingi potest. Cf. LIMBORCH. *Comm.* ad h. l.

Quae cum ita sint, sequitur huic loco inesse testimonium de notione Dei et religionis, hominum animis cum ipsa ratione et communi sensu boni ac mali insita et congenita: h. e. ea, ad quam ipsâ naturà nostrâ et inditis animi viribus et facultatibus, rebusque circumiectis, in quibus Deus huius telluris incolas collocavit, sponte ducimur. Quod si enim homines, singulari patefactione, s. ore, s. scripto propagata, destituti, sola ratione admoniti, faciant, quae lex scripta Israelitas iubebat; quod si eorum animus, cogitatorum factorumque suorum conscius, vel praemio, vel poena dignos ipsos pronunciet, consequitur, eos legis, atque adeo etiam legislatoris, h. e. Dei et religionis notitiam habere, dummodo naturae convenienter vivant, neque ipsum humanitatis sensum perdant et extinguant, atque adeo feri et inhumani fiant.

DEUS NON NISI UNUS

JOH. XVII: 3.

Christus, ultima vitae mortalis nocte, Deum, praesentibus undecim Apostolis, precatur: *illustra Filium tuum*, h. e. fac, ut homines agnoscant, me tuum esse Filium, a te missum; cui tu opus beandorum hominum demandasti, *ut et Filius tuus te illustret*, h. e. faciat, ut homines te agnoscant ac venerentur, eoque ipso beentur. Quod quo iure et qua de causa precetur, in discipulorum ipsum audientium gratiam sic indicat: *siquidem ei potestatem dedisti in omnes homines, ut quibuscunque sibi datis*, h. e. in disciplinam et curam traditis, *vitam det aeternam*. Quibus haec addit: *αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωή, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστὸν*, h. e. *eo vita acquiritur aeterna*, *quod te agnoscant, qui unus es vere Deus*, *et Jesum Christum a te missum*. Etenim in hanc sententiam illud *ἔστιν* hîc sumendum est, quemadmodum alibi C. XII: 50, et 1 Joh. V: 4. [Cf. inpr. v. HERWERDEN ad l. t. V. p. 427—9. Male igitur WETT. et THOLUCK:

in hoc est, vel *cernitur vita aeterna* caett. V.]. *Γινώσκειν* ad Hebr. יָדַע non tantum est *cognoscere*, sed et *agnoscere*, et per consequens *venerari*. [Cf. I: 10, al. V.]. *Ἀληθινὸς* Deus aliquando dicitur propter *veracitatem* C. VII: 28, quae etiam significatio nonnullis placuit huius loci interpretibus, *τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν* ita accipientibus, ut dicatur Deus *summe verax*, quemadmodum *ὁ μόνος σόφος eximie sapiens* Rom. XVI: 27, [ap. GRIESB. XIV: 27. V.] 1 Tim. I: 17 ([1]). Jud 25 ([1]). [Copiose hanc interpretationem probare conatus est V. HERWERDEN. V.]. Attamen frequentior est usus vocabuli *ἀληθὴς*, quo *verax* quis dicitur, ut C. III: 33. V: 31, 32. VII: 18. VIII: 13, 14, 26. X: 41. XXI: 24. 1 Ep. II: 8. Contra vero *ἀληθινὸς* dici solet, *qui vere is est*, *qui dicitur*, opposite ficto, ut C. I: 9. IV: 23, [37. V.] VI: 32. XV: 1, [XIX: 35. V.]. 1 Ep. II: 8. Itaque et h. l. malim vertere *unum vere Deum*, qui opponatur diis fictitiis. Quae interpretatio etiam maxime convenit, tum rei ipsi, tum JESU dicentis consilio, tum denique loco parallelo 1 Joh. V: 20. Cf. C. W. STRONCK, Spec. *de doctrina et dictione Joh. Ap. ad doctrinam et dictionem Jesu magistri exacte composita*. Traj. Bat. 1797, p. 21—23. [Ita et CHRYSOST.: *μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν οὐκ ὄντων Θεῶν φησι. καὶ γὰρ εἰς τὰ ἔθνη αὐτοὺς*

([1]) His ll. *σοφῷ* a GRIESB., LACHM. et TISCHEND. e textu reiicitur. V.

(Apostolos) πέμπειν ἔμελλεν, nec non CALV., qui *sensus est*, inquit, *solum te agnoscant pro vero Deo.* Est igitur locus classicus, quo spectantur *tum* gentes, idola colentes, *tum* Judaei, JESUM *Messiam* esse negantes. V.].

1 COR. VIII: 4—6. GAL. III: 20,

ET NONNULLA ALIA.

PAULLUS in ingressu disputationis de usu τῶν εἰδωλοθύτων 1 Cor. VIII: 4 6: *Scimus*, inquit, *idolum nihil esse in mundo*; (οὐδὲν εἶναι *non vere existere*, vel *nihil esse*, scil. honore et existimatione nostra dignum:) [ita et CHRYSOST., CALV. all. ERASM. vero, RÜCK., WETT. all. *nullum esse idolum in mundo.* V.] *et nullum esse alium* ([1]) *Deum, nisi unum. Etiamsi enim sint, qui dicantur dii, s. in coelo, s. in terra, quemadmodum sunt dii multi multique domini* (ab hominibus profanis ita dicti et habiti:) [cf. inpr. OLSHAUS. et WETT. ad l. V.] *nobis tamen* (Christianis) *unus est Deus, Pater,* ἐξ οὗ, *quo volente sunt omnia, et nos* εἰς αὐτὸν, *ad ipsius arbitrium* (ut ei placeamus, colendo eum eique obediendo,) [male CALV. all. pro ἐν αὐτῷ dic-

---

([1]) ἕτερος in multis codd. om., e textu reiectum est a LACHM. et TISCHENDORF. V.

tum putant, ita ut Ap. dicere voluerit, »nos in »Deo subsistere, sicuti ab eo semel creati sumus." Cf. RÜCK. ad l. V.] *et unus Dominus*, JESUS CHRISTUS, δι' οὗ, *quo effectore* (ut Rom. XI: 36, ubi ἐξ οὗ et δι' οὗ coniunguntur, imprimis Hebr. I: 2) *sunt omnia*, *et per quem nos* facti sumus, scil. ad venerandum unum illum Deum.

Locus difficilis Gal. III: 20 sic nobis videtur interpretandus: *sequester enim non unius est* legis, s. foederis, et promissi (cf. s. 17, 18, 19) atque adeo praeter CHRISTUM (ib. 17) est etiam MOSES sequester; *at Deus unus est*, semperque adeo idem, sibi semper constans. Quanta autem sit opinionum diversitas in h. l. interpretando, praeterquam ex innumera fere disputationum serie, [quas recenset WETT. V. (1)], cognoscere licet e WEIGANDI libello, hoc ipso anno 1821. *Erfordiae* ed., quo ἑνὸς *in nobilissimo Pauli ad Gal.* III: 20 *effato*, *haud Genitivo*, *sed Nominativo casu esse positum*,

---

(1) Add. LE ROY, *Proeve ter opheldering van Gal. III:* 19c, 20, *in verband met het geheele redebeleid van Paulus*, *in N. Chr. Mag.* I: 4, p. 401 sqq. J. F. R. GURLITT, *Noch ein wort über Gal.* III: 20, in *Theol. Stud. u. Krit.* 1837, p. IV. p. 805 *sqq.* et 1843, p. II. p. 715 *sqq.* E. H. K. REINHARDT, *Noch ein wort über Gal.* III: 20 ibid. 1842, p. IV. p. 990 *sqq.* et G. VAN GERREVINK, *Proeve tot verklaring van Gal.* III: 20, in *Godgel. Bijdr.* 1844, p. IV. p. 514 *sqq.*, qui MOSEN tamquam *personam mediam* (μεσίτην) inter ABRAHAMUM et CHRISTUM significatum existimat. Sed huic interpretationi *et* ipsa v. μεσίτης significatio, *et* sect. 19, qua alio certe sensu adhibetur, repugnare videntur: V.

examinatis aliorum CCXXXXIII *interpretum explicationibus docere studuit*, nec tamen omnes enumeravit, aut singulas etiam satis accurate exposuit; omnium vero minime persuasurus est legentibus, ἑνὸς h. l. esse adiectivum, quo significetur μεσίτης *annuus*. [Aliam proposuit cl. HERINGA sententiam in *Quaestt. de locis Novi Testamenti difficilioribus* eodem a. 1821, nempe hanc: *ille autem sequester* MOSES *non unius est*, aut promissionis, aut legis, sed utriusque: *Deus autem unus est*, a quo et promissio et lex fuere datae." Utrique tamen sententiae *et* ipsius effati indoles, *et* quae PAULLUS *tum* de lege, *tum* de promissione monet, obstare videntur. Itaque mihi quidem magis arridet WETTII interpretatio. V].

Apostolus Christianos, ad quos data est epistola, quae dicitur *ad Ephes*. C. IV: 6, commonet ad concordiam, hanc addens rationem, quod omnibus *unus* idemque sit *Deus et Pater omnium super omnes, et per omnes* agens *et in omnibus*, h. e. omnibus Spiritu suo vitam facultatesque largiens. Cf. Sect. 7. [CALV. priora: ἐπὶ πάντων et διὰ πάντων tam neutro, quam mascul. genere accipi posse existimat. RÜCK. dubitat; sed ita, ut neutrum praeferendum esse putet. Contrarium vero e contexta oratione recte probat WETT. V.].

PAULLUS, TIMOTHEUM et Christianos, quibus praepositus fuit hic antistes 1 Tim. II: 5 docet, omnium hominum salutem precibus esse implorandam

a Deo, omnibus benigno, *quandoquidem unus* est *Deus*, *unus quoque Dei hominumque sequester*, *homo* CHRISTUS JESUS, qui humanam naturam et conditionem hominum causa sibi sumserat. [Recte CALV.: »CHRYSOSTOMUS" inquit, »et post eum alii sic accipiunt: non esse plures deos, sicuti idololatrae comminiscuntur. Sed aliud fuisse Pauli consilium arbitror: ut hic sit tacita comparatio unius Dei cum toto mundo diversisque nationibus, ex qua nascitur mutuus respectus." V.]. In eadem porro epistola C. VI: 15, 16, ille unus Deus dicitur *μόνος δυνάστης*, *ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, καὶ κύριος τῶν κυριευόντων*, h. e. non tantum *supremus Rex et Dominus*; sed is quoque Rex ac Dominus, cui subsunt reges ac domini, [cf. CALV. ad l. V.] *ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν*, cum caeteri omnes, etiam potentissimi humani generis communi subsint mortalitati, regnum relicturi successoribus.

Adiungi his etiam potest locus Jac. II: 19: *credis, unum esse Deum: recte facis.*

DEUS SPIRITUS.

JOH. IV: 24.

CHRISTUS in collocutione cum Samaritide laudans verum Dei colendi modum, qui fit *animo, spiritu*, πνεύματι, nec tantum ritibus et caeremoniis, habituque precantium et sacrificantium externo, πνεῦμα, inquit, ὁ Θεός. In quibus notanda est ellipsis verbi subst. ἐστι, satis frequens in N. T., imprimis in CHRISTI oratione Hebraea, s. Aramaea, quam ellipsin aliquando interpretes Euangelistae supplevisse videntur. Cf. GLASSII *Philol. s.* L. I. Tract. III. Can. LIV. Quod autem LIMBORCH. *Theol. Christ.* L. II. C. IV. § 3 et HESSELINK. in *Woordenb. des N. T.* supplere malint ζητεῖ, ut sententia sit: *Deus quaerit Spiritum*, cl. s. 23, id nimis est durum et insolens, nec convenit subsequentibus: et, hoc si voluisset CHRISTUS, JOHANNES scripturus fuisset: τὸ πνεῦμα ὁ Θεός. [Cf. v. HERWERD. ad l. V.] Praemittitur autem in hoc enunciato praedicatum, q. d.; subsequitur orationis subiectum, ut C. I: 1. Et solet CHRISTUS interdum, statim a sententiae initio, collocare id, quod praedicatur, et in quo singularis est vis et gravitas,

ut C. XV: 13. Itaque acquiescimus in vulgari huius loci interpretatione, vertimusque CHRISTI dictum: *Deus est Spiritus*. Scilicet in eo erat Conservator noster, ut Samaritidem doceret, quae sit vera Deoque grata adoratio, quae fiat *ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ*, [h. e. *πνευματικῶς καὶ ἀληθῶς* Vid. WIN. *Gramm.* § 55, 1. d. p. 400 et § 58, 1. p. 434. V.] atque adeo *animo sincero*, [s. potius *mente et veritate*, i. e. *eo modo quo fieri par est*. Vid. FRITZSCH. *Excurs.* IV *de figurae ἓν διὰ δυοῖν natura et rationibus*, adi. eius *Comment. in Ev. Matth.* p. 857. V.] non specie tantum externa, quomodo fieri tum solere ut plurimum ab Judaeis pariter ac Samaritanis scimus: porro etiam docebat CHRISTUS, instare tempus, quo, non singulari quodam loco, s. *Hierosolymis*, prouti Judaei e legis divinae praescripto instituebant, s. in monte *Garizim*, quomodo placebat Samaritanis, Deo exhibendus foret cultus; sed quo veri Dei cultores ipsum essent adoraturi, quocunque etiam alio loco, dummodo id fiat animo sincero. Hoc igitur confirmat Dominus noster eo, quod Deus sit *πνεῦμα*, propterea *ἐν πνεύματι* colendus. Quo quidem enunciato non docere videtur CHRISTUS id, quod Philosophi docent, divinam naturam esse *simplicissimam*, ab omni concretione liberam: ad hanc rationem philosopham equidem non ausim CHRISTI cum Samaritide disserentis verba accipere. Malim autem hoc effatum interpretari accommodate ad popularem, temporum maxime eorum, intelli-

gentiam. Scilicet רוּחַ *πνεῦμα* dicebatur hominis pars nobilior, non subiecta oculis, qua vivit homo, cogitat, sentit, vult, et sine qua corpus est iners ac mortuum. Cf. 1 Thess. V: 23. Jac. II: 26 et Luc. XXIV: 37—40. Hinc naturae intelligentes tali, quali nos instructi sumus, corpore non vestiti, dicuntur *πνεύματα*, Hebr. I: 14. Accommodate ad hanc cogitandi dicendique rationem, Deus *πνεῦμα* dictus, natura sua cogitandus is est, qui vivat, intelligat, velit, agat, corporis mole minime sit impeditus, nihilque habeat vitii et conditionis imperfectae, quae corpori adhaerere soleat. [Cf. TITTM. ad l. V.]. Quod quam apte JESU dicentis consilio conveniat, facile intelligitur. Etenim, si Deus corpore esset indutus, fortassis delectari posset corporeo cultu, externisque ritibus, sacrificiis, suffitu, lavationibus: iam vero nihil omnino ipsi placet, quod non fiat *ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ*. Et, si corpus haberet Deus, aptior esset ipsum colendi locus is, quo esset corpore praesens: iam vero quocunque loco, dummodo animo fiat et sincere, Deus *πνεῦμα* coli potest. [Praeclare CHRYSOST. *ὅταν δὲ εἴπῃ· πνεῦμα ὁ Θεὸς, οὐδὲν ἄλλο δηλοῖ, ἢ τὸ ἀσώματον. δεῖ τοίνυν τοῦ ἀσωμάτου, καὶ τὴν λατρείαν (αὐτοῦ) τοιαύτην εἶναι, καὶ διὰ τοῦ ἐν ἡμῖν ἀσωμάτου προσφέρεσθαι· τουτέστιν, διὰ τῆς ψυχῆς, καὶ τῆς τοῦ νοῦ καθαρότητος. διό φησι· καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν, ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν.* V.]. Conferri merentur MORUS in *Epit. Theol. Christ.* P. I. C. I. § 7, imprimis in *Diss.*

de Deo Spiritu, ad popularem intelligentiam accommodate describendo, in *Diss.* eius *Theoll. et Philoll.* Vol. I. p. 323 *sqq.* ZACHAR. *Bibl. Theol.* I. 225—232, EW. KIST, *Leerr. over Gods deugden*, Vol. I. Orat. I. [et v. CÖLLN. *Bibl. Theol.* ed. a D. SCHULZ. T. II. p. 54. V.].

INFINITA DEI PERFECTIO.

MATTH. V: 48. 1 TIM. VI: 16.

CHRISTUS in oratione montana Matth. V: 43—48 sectatores suos iubet, humanos esse, benignos et misericordes, non tantum erga amicos et socios, sed etiam erga inimicos et adversantes. Quam difficilem officiorum partem ut eorum animis inculcet, Dei, Patris coelestis, exemplum iis proponit, qui bene vult et favet non tantum piis cultoribus, sed et impiis, profanis ac malignis hominibus. In eo igitur Dei filios Patri coelesti similes esse iubet: ἔσεσθε, inquit sect. 48, *οὖν ὑμεῖς τέλειοι, ὥσπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς τέλειός ἐστι.* Itaque h. l. CHRISTUS Deum dicit *τέλειον*, h. e. *perfectum*, cui nihil ad divinam naturam pertinens desit: quemadmodum homines dicuntur *τέλειοι*, qui suo modo et, quoad id patitur humana imbecillitas, sunt *perfecti*. Scio, hanc

naturae divinae *perfectionem*, s. ut rectius dicamus, *consummationem*, h. l. nominatim referri ad benignitatem et beneficentiam; verumtamen propterea voci τέλειος non attribuenda est significatio *summe benigni*. [Male igitur CALV. perfectionem Dei hîc vocari contendit, primum gratuitam meramque liberalitatem, quae spe lucri non ducitur: deinde singularem bonitatem, quae cum hominum malitia et ingratitudine certat. Cf. et WETT. V.]. Scilicet indicat ea vox simpliciter eum, *cui nihil ad consummationem deest*: quod si igitur sermo est, vel de sanctitate, vel de scientia, vel de benignitate, vel de constantia, vel de quacunque alia, quae in Deo cogitari possit, virtute, Deus quidem τέλειος nuncupatur, ratione habita singularis huius virtutis; attamen voci τέλειος propterea non adhaeret notio summae, aut sanctitatis, aut scientiae, aut benignitatis, aut constantiae. Neque est, quod quis [cum CALV. et WETT. V.] nobis opponat locum parallelum Luc. VI: 36, γίνεσθε οὖν οἰκτίρμονες, καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν οἰκτίρμων ἐστὶ, atque inde cogat, τέλειος apud MATTH. idem esse atque apud LUCAM οἰκτίρμων. Etenim alia oratio a MATTH. memoratur, alia a LUCA: utraque magnâ quidem parte in simili versatur causa, nec tamen aut sententia, aut verbis altera alteri similis est habenda. [Quid? quod FRITZSCH. totam hac sect. concludi in magistros iudaicos disputationem vs. 20—47 existimat, atque adeo sic vertit: *estote igitur* (i. e. declinatis Pharisaeorum legisque doctorum

vitiis, quorum exempla quaedam posita sunt v. 21 sq., omnibus) *integri, ut pater vester coelestis sine vitiis est.* »Nam," inquit, »praeterquam quod »multo aptius quae singulatim hucusque dicta erant »in summam JESUS contraxerit, quam alios amandi »officium *denuo* (cf. v. 45) ad promiscuam Dei »beneficentiam provocando commendaverit, verba »ipsa tam universa sunt, ut nemo, nisi opinione »praepeditus, illum inde sensum elicere possit." V.]. Quemadmodum autem in τέλειος est universa notio, ita etiam in vocibus ὕψιστος et οὐράνιος. Nam ὕψιστος quando Deus dicitur ad Hebr. עֶלְיוֹן, dicitur *supremus, summus*, cui nemo par est aut secundus, Luc. I: 32, 35, 76. VI: 35. Act. VII: 48. Hebr. VII: 1; quamquam origo appellationis ex eo ducenda est, quod Deus cogitetur in altissimo loco, s. coelo, habitans, unde etiam dicitur ἐν ὑψίστοις, Matth. XXI: 9. Luc. II: 14. XIX: 38 et ἐν ὑψηλοῖς Hebr. I: 3. Atque eadem de causa dicitur οὐράνιος Matth. VI: 14, 26, 32. XV: 13. ἐπουράνιος C. XVIII: 35, ὁ ἐξ οὐρανοῦ Luc. XI: 13. ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς Matth. V: 16, 45, 48. VI: 1, 9. et al. saepius. Quo tamen referenda non sunt loca, in quibus οὐρανὸς per metonymiam dicitur quidem pro *Deo*, verum non significat *Deum*, quemadmodum nonnulla loca perperam tradidit SCHLEUSN. in Lex. v. οὐρανὸς n. 6. Cf. HERM. ROYAARDS, in Diatr. vern. *over den waren aart van Jesus Kon.* p. 8. n. *u*. [Ὁ οὐράνιος, quod pro ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς in nonnullis codd. verss. et ap. PP. nonnullos le-

gitur, interpretamentum redolere FRITZSCH. monet. Attamen illud receperunt LACHM. et TISCHENDORF. V].

PAULLUS 1 Tim. VI: 11—15 TIMOTHEUM monet et hortatur ad constantiam et fortitudinem, in profitendo CHRISTO, quem summo studio venerari nos oporteat, quandoquidem Deus eum nobis exhibiturus est Conservatorem, Dominum ac Judicem. Quod dum cogitat Apostolus, laudibus extollit Dei maiestatem ac potestatem summam. Etenim Deus ab eo primum sect. 15 dicitur *ὁ μακάριος καὶ μόνος δυνάστης*, cui igitur nihil ad summam beatitatem desit, qui sibi sufficiat, qui e nemine pendeat, cui cum nemine consilium sit ineundum, qui, quicquid velit, iubeat et agat: deinde ibid. *ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, καὶ κύριος τῶν κυριευόντων*, cui adeo domini et reges, qui solent aliis imperare, sint subiecti: *ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν*, (haec enim malim superioribus adiungere, quamquam per divisionem textus in versus ab iis divulsa); qui adeo aeternum regnet, cum domini regesque ex humano genere post paucos annos aut dies morte sedes relinquant vacuas. Porro dicitur s. 16 *φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον, ὃν εἶδεν οὐδεὶς ἀνθρώπων, οὐδὲ ἰδεῖν δύναται·* in quibus denuo alludi putem ad reges, maxime orientales, quos qui in aula habitantes splendidissima adire et coram intueri possunt, censentur valde felices et honorati; Dei autem aula dicitur ipsa lux, ipse veluti in sole habitans,

cuius splendorem hominum oculi ne ferre quidem possint. Tanta igitur est divinae maiestas naturae, ut nemo eum mortalium aut cogitando assecutus fuerit, aut assequi umquam possit.

DEUS IN FILIO SUO JESU CHRISTO CONSPICUUS.

JOH. XIV: 7—10. COL. I: 15.

Christus, postquam ultimam coenam paschalem una cum Apostolis celebraverat, et, profecto Juda proditore, epulum sacrum in memoriam mortis suae instituerat, undecim fideles amicos egregiis sermonibus admonuit et consolatus est, Joh. XIII: 31—XVI fin. Ut igitur instantem magistri sui abitum in coelum, interveniente morte, facilius ferre possent, promisit iis Conservator, fore ut propediem cum eo iterum coniuncti in domo Dei coelesti habitent, in quam ipse eorum dux esset futurus, C. XIV: 1—6. Quibus auditis, Apostoli, rerum a sensibus remotarum cogitationi nondum assuefacti, opinati videntur, sperandam esse habitationem in splendido palatio, in quo beati Christi amici Deum suis intuituri essent oculis. Quam ut iis spem et opinionem eximat, fidelis eos magister docet, Deum, quoad ille *conspici* possit, ab *iis*

conspici, qui ipsum, utpote Dei filium, intueantur: Deum igitur iam nunc ab iis spectatum cognitumque esse, quippe qui Filium eius spectaverint ac cognoverint. Hanc intelligentiae felicitatem laudat, et pristinae eorum ignorantiae opponit, sect. 7. *Εἰ ἐγνώκειτέ με*, inquit, *καὶ τὸν πατέρα μου ἐγνώκειτε ἄν·* [TISCHEND. *ἂν ᾔδειτε*, om. et seq. *καὶ*, quod LÜCK. quoque reiiciendum putat; sed vid. WETT. V.] *καὶ ἀπ' ἄρτι γινώσκετε* [CHRYSOST. *γνώσεσθε*, diserte; nam addit: *τὸ μὲν μέλλοντος, κ. τ. λ.* V.] *αὐτὸν, καὶ ἑωράκατε αὐτόν.* Quorum sententia verborum haec esse videtur: *si* antea *me cognovissetis, utique* iam pridem *meus quoque Pater vobis fuisset cognitus: sed iam nunc novistis eum estisque eum intuiti.* [TITTM. verba: *γινώσκετε* et *ἑωράκατε* pro *γνώσεσθε καὶ ὁράσεσθε* posita esse putat. Ita et THOLUCK., LÜCK. all. futurum tempus spectari contendunt: sed vid. WETT., WIN. *Gramm.* § 41, p. 249 et v. HERW. V.].

Quod cum non recte intelligat PHILIPPUS, non credit, aut se, aut commilitones suos Deum esse intuitos: quam tamen felicitatem avide expetendam censuit. Itaque magistrum interpellans: *domine*, inquit sect. 8, *ostende nobis Patrem et sufficit nobis*, nihilque amplius expetemus, nec dolebimus. Legerat quippe PHILIPPUS, Ex. XXXIII: 18, MOSEN olim a Deo petiisse: *ostende mihi tuam maiestatem!* eique postulationi hactenus fuisse satisfactum, ut species quaedam divinae naturae symbolica MOSI fuerit proposita. Huic aliquid simile *et* PHILIPPUS

exoptasse, *et* Judaei a Messia praestandum exspectasse videntur. Cf. Joh. V: 37, 38. VI: 45. Certe eiusmodi beneficium expetit a JESU, Dei filio, qui dixerat, neminem ad Patrem suum venire, nisi ipso intercedente, sect. 6, et neminem nosse Patrem, nisi Filium, et cuicunque voluerit Filius Patrem patefacere, Matth. XI: 27.

Sed CHRISTUS leniter increpat, cum aliqua tamen indignatione, PHILIPPI inscitiam sic: *tamdiu inter vos versor, nec me nosti, Philippe?* (Fuerat enim PHILIPPUS e primis CHRISTI sectatoribus. Cf. c. I: 44—46). *Me qui vidit, Patrem vidit. Quomodo igitur* (καὶ) [quae tamen coni. a LACHM. et TISCHEND. e textu reiicitur. V.] *tu dicis: ostende nobis Patrem!* Est igitur hoc Conservatoris nostri dictum in nostra causa classicum: ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα. Sed nonnulli interpretes id ad unam CHRISTI doctrinam referendum autumant, in his etiam MORUS, in *Praelectt.* ad h. l. sic interpretans: *qui meam doctrinam tenet, is tenet etiam doctrinam Patris mei.* Neque ego *doctrinam* CHRISTI, quippe divinam, neglectam velim. Sed in una doctrinae similitudine subsistendum non esse arbitror. Etenim JESUS ipse mox commemorat *cum* doctrinam, *tum* vero etiam facta sua. PHILIPPUS quoque petierat: »da nobis *videndum* Patrem!" Itaque optime cohaeret JESU responsio, quae de *videndo* Deo, in CHRISTO conspicuo, intelligitur. Deinde etiam antea Conservator noster sect. 7 de *cognitione* sui ipsius et Patris, et de *visu* locu-

tus fuerat, non nominatim de *doctrina*. Porro alia sunt loca, quae, cum nostro collata, hanc commendant sententiam. Sic CHRISTUS C. XII: 44, 45: *Ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ*, inquit, *οὐ πιστεύει εἰς ἐμὲ, ἀλλ' εἰς τὸν πέμψαντά με· καὶ ὁ θεωρῶν ἐμὲ, θεωρεῖ τὸν πέμψαντά με.* In quibus discernuntur *credere* dicenti, et *videre* agentem. Adde JOHANNIS effatum C. I: 14: *ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ·* quocum comparandum, quod subiicitur sect. 18: *Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε κ. τ. λ.* Conferri etiam potest ratiocinatio CHRISTI de factis suis, plane similibus Patris sui factis, C. V: 19—30. Legi merentur, quae pro nostra causa disputavit ALB. BRINK, *het afscheid van Jezus van zijne leerll.* Leov. 1803, p. 55—58. Itaque nostri sententia loci huc redit: »in me, dictis factisque meis, conspicuae »sunt virtutes divinae; quicquid divinae naturae »proprium hominum oculis conspici potest, id in »me est conspicuum; quicunque igitur me Filium »viderit, Patrem se vidisse existimet." Caeterum egregie de h. dicto meditatus est JAC. HINLÓPEN, in *Vervolg v. overdenkk.* p. 283 *sqq.*

Miratur PHILIPPUS, necdum assequi videtur CHRISTI mentem. Itaque pergit Conservator noster sect. 10[a]: *Nonne credis*, inquit, *me in Patre, et Patrem in me esse?* h. e. me Patri, Patrem mihi esse coniunctissimum. Id ipsum CHRISTUS Judaeis dixerat, C. X: 38, quo doceret, naturam suam, utpote filii Dei, sect. 36, qui unus sit cum Patre, sect. 30, esse divinam. Itaque his dictis, in hac con-

texta oratione positis, efficitur id, quod modo dixerat JESUS: *qui me vidit, Patrem vidit.* [CALV. haec verba non ad divinam CHRISTI essentiam q. d. refert, sed ad modum revelationis, eaque sic interpretatur: »Pater in CHRISTO esse dicitur, quia »in eo habitat plena divinitas et virtutem suam »exserit. CHRISTUS vicissim dicitur esse in Patre, »quia divina virtute se unum cum illo esse ostendit." Cf. et TITTM. V.]. Caeterum formula *εἶναι ἔν τινι* per se nondum definit, cuiusmodi sit ea coniunctio; nam pii homines quoque dicuntur *in Christo esse*, et ille *in iis esse* dicitur, C. VI: 56. XIV: 20. XVII: 21, 23.

CHRISTUS igitur in mentem revocat PHILIPPO sua, *cum* dicta, *tum* facta, vere divina, in quibus utrisque Patris sapientia, potentia, sanctitas, benignitas sint conspicuae. *Τὰ ῥήματα*, inquit sect. 10^b, *ἃ ἐγὼ λαλῶ* [TISCHEND. *λέγω.* V.] *ὑμῖν, ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ· ὁ δὲ πατὴρ, ὁ* (¹) *ἐν ἐμοὶ μένων, αὐτὸς* (¹) *ποιεῖ τὰ ἔργα.* Quae quidem duo huius enunciati membra sic coniunguntur, ut alterum ex altero sit supplendum, hunc in modum: *verba, quae (s. doctrina, quam) ego vobis loquor, a me ipso non loquor, sed* institutione Patris mei, atque *Pater* ille, *qui mecum*, in hac mea vili conditione, *manet coniunctissimus, ipse facit opera*, ego enim ea a me ipso non facio. Quod de doctrina dicit, antea

(¹) ὁ et αὐτός a TISCHEND. e textu sunt reiecta. V.

quoque professus fuerat, C. VII: 16. Atque de factis similiter locutus fuerat, C. V: 36. X: 37. [Ita et WETT.; atque haec interpretatio sua simplicitate prae LÜCKII aliorumque expositione magnopere se commendat: nisi malis cum V. HERW. post *μένων* colon ponere. V.].

Quod CHRISTUS in oratione ad Apostolos dixit de Patre, qui in Filio suo sit conspicuus, id ipsum etiam PAULLUS Col. I: 15, enunciavit. Scilicet ubi in eo est, ut laudibus extollat Dei Filium, rerum omnium procreatorem ac dominum, Ecclesiae suae conservatorem ac gubernatorem, sect. 13—19, primo fere loco hanc ei laudem tribuit, quod sit *εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου*, *een beeld van God, den onzienlijke.*

Proprie quidem *εἰκὼν* est *imago*, *effigies*, *simulacrum*: qua significatione etiam in N. T. usurpatur, Matth. XXII: 20. Marc. XII: 16. Luc. XX: 24. Cum igitur per metaph. alter alterius dicatur *εἰκὼν*, indicatur *similitudo*, qua alter alterum referat, ut adeo in eo, quasi in simulacro, videas, quis qualisque sit alter, cuius imaginem referat. Cuiusmodi similitudo si filio intercedat cum parente, ille huius *imago* dicitur: et, quo magis similis est filius patri, *cum* corporis forma, facie, vultu, habitu, gestu, voce, *tum* vero maxime ingenio atque animo, eo significantius filius dicitur *εἰκὼν τοῦ πατρός*. Quae cum de humana natura dicantur, transferuntur per *ἀνθρωποποίησιν* ad Deum.

Namque PAULLUS, in hac ipsa contexta oratione, sect. 13, JESUM CHRISTUM dixerat Dei *τὸν υἱὸν τῆς ἀγάπης*, h. e. *τὸν ἀγαπητόν*. Quem cum mox dicat *εἰκόνα τοῦ Θεοῦ*, dicit Filium Patri simillimum, ex quo, tamquam imagine, cognoscas, quis qualisque sit Deus. Atque ita iam CHRYSOSTOMUS, loco, a SUICERO in *Thes. Eccl.* Vol. I. p. 1028 ex OECUMENII *Comm.* in 2 Cor. IV: 4 laud. interpretatus est *τὸν κατὰ πᾶν ἴσον καὶ ὅμοιον*. Vidd. et aliorum expositiones a SUICERO in vocc. *εἰκὼν* et *ἀπαράλλακτος* laudd.

Verum cuiusmodi sit illa similitudo Patrem inter et Filium quodammodo percipitur ex adiecta Dei *τοῦ ἀοράτου* appellatione. Deus enim neque hominum oculis est subiectus, nec conspici potest, quandoquidem est *πνεῦμα* Joh. IV: 24, *ὃν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε* Joh. I: 18, *ὃν εἶδεν οὐδεὶς ἀνθρώπων, οὐδὲ ἰδεῖν δύναται*, 1 Tim. VI: 16. Itaque cogitandum nequaquam est de similitudine *formae*, aut cuiusquam rei corporeae et sensibus subiectae. Cum autem divina natura ab hominibus conspici non possit, Dei Filius, humana indutus natura, sese spectandum praebuit, eoque ipso generi humano sese praestitit *εἰκόνα τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου*. Scilicet ut Dei Filius Patri erat similis, antequam *ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο* Joh. I: 14, ita ab eo inde tempore, quo homines *δόξαν αὐτοῦ, ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς*, coram intuiti sunt, ex omnibus eius dictis factisque ea similitudo cum Patre conspicua

facta est. Et, postquam ad summum honoris potestatisque fastigium fuit evectus Conservator noster, in omnibus suis legibus et institutis, omnique regni divini administratione, sese *εἰκόνα τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου* praestitit. Ad hanc sententiae amplitudinem nos ducere videtur contexta huius loci oratio: neque adeo aut cum veteribus interpretibus, in divinae naturae aequalitate, aut cum nonnullis recentioribus, in simili regni divini administratione, subsistendum esse putem. Omnium minime cum HEINRICHSIO dixerim, *hoc elogio insigniri hominem, de humano genere optime meritum*. [Primam sententiam iam oppugnavit CALV.; nam »scio," inquit, »qualiter veteres exponere »soleant; quia enim certamen habebant cum Aria»nis, aequalitatem Filii cum Patre et *ὁμοουσίαν* »urgent: interea tacent, quod est praecipuum, quo»modo Pater in CHRISTO se nobis cognoscendum »exhibeat. — Ne quid habeamus nisi solidum, no»tandum est, nomen *imaginis* non praedicari de »essentia, sed habere ad nos relationem. Ideo »enim imago Dei CHRISTUS, quia Deum quodam»modo nobis facit visibilem." Addit autem: »Quan»quam inde etiam colligitur *ὁμοουσία*, neque enim »Deum vere CHRISTUS repraesentaret, nisi verbum »esset Dei essentiale: quando hic non agitur de »iis, quae per communicationem in creaturas etiam »competunt: sed agitur de perfecta Dei sapientia, »bonitate, iustitiá et potentia: quibus repraesen»tandis nulla creatura sufficeret. Erit ergo nobis

»in hoc vocabulo validum telum adversus Aria-»nos: sed tamen ab illa relatione, quam dixi, »incipiendum, non insistendum in sola essentia." Itaque recte sic concludit: »Summa est, Deum in »se, hoc est, in nuda sua maiestate, esse invisi-»bilem, nec tantum corporeis oculis, sed humanis »etiam mentibus: revelari autem nobis in solo »CHRISTO, ut eum tanquam in speculo contemple-»mur. Nam in CHRISTO suam iustitiam, bonitatem, »sapientiam, virtutem, se denique totum nobis »exhibet. Cavendum ergo, ne alibi eum quaera-»mus: nam extra CHRISTUM quicquid se Dei nomine »venditabit idolum erit." Cf. et omnino WETT. V.]

Caeterum huic loco similia sunt alibi a PAULLO dicta. Nam iisdem fere verbis, 2 Cor. IV: 4. CHRISTUM laudans: ὅς ἐστιν, inquit, εἰκὼν τοῦ Θεοῦ. Eâdem sententiâ Hebr. I: 3, Dei Filium dicit ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, h. e. interprete ABRESCHIO: *vera pulcraque maiestatis divinae imago, et exemplar naturae divinae plane et perspicue expressum.* [Cf. P. HOFSTEDE DE GROOT, *wat God ons in J. C. openbaart omtrent zijne natuur en gezindheid, volg. de voorstelling van Paulus*, in Diar. *waarh. in liefde*, 1839 p. III. p. 559—590. V.]

DEUS AETERNUS.

HEBR. I: 10—12. 1 TIM. VI: 16. APOC. I: 4. 2 PETR. III: 8 ET ALIIS LOCIS.

Deus *aeternus* simpliciter dicitur αἰώνιος Rom. XVI: (Gr. XIV) 26: eique tribuitur ἀΐδιος δύναμις καὶ θειότης, opposite ad vana et pereuntia idola, Rom. I: 20. Cui affine est, quod dicitur ἄφθαρτος, *corruptionis et interitus expers*, ibid. 23, et 1 Tim. I: 17. Adiungi potest descriptio Dei, qui sit ὁ ζῶν εἰς τοὺς αἰῶνας τ. αἰώνων, Apoc. X: 6. XV: 7, ut et in vulg. ed. C. V: 14. His igitur locis docemur, Deum *semper futurum* esse.

Pulcre admodum id ipsum expressit PAULLUS Hebr. I: 10—12, verbis e Ps. CII: 26—28 sumtis: *tu Domine! ab initio* (κατ' ἀρχὰς id. quod ἐν ἀρχῇ) *terram fundasti, tuaeque manus condiderunt coelos. Haec quidem* [nam αὐτοὶ referendum est non modo ad οἱ οὐρανοὶ, verum etiam ad τὴν γῆν. Vid. KUINOEL. Cf. tamen BLEEK. ad l. V.] *evertentur, Tu autem semper permanes* (διαμένεις vel *permanebis*

διαμενεῖς), [posterius BLEEK. aliique praeferunt: praepos. διά vim verbi auget, quod recte monet idem BLEEK. V.], *omniaque illa*, *sicut vestis* (vetustate deteritur), *consenescent* (atque deficient): *et tanquam vestimentum* (longo usu attritum) *complicabis* [ἑλίξεις, non ἀλλάξεις. Vid. BLEEK. et WETT. V.] (et abiicies) *ea*, *et mutabuntur; tu vero semper idem es*, *nec anni tui deficient*, (h. e. nunquam tua vita desinet). Quibus verbis [*cum* in Psalmo laud. V.] Deus [*tum* in hoc loco Dei Filius V.] pingitur, mundo hoc adspectabili, tanquam vestimento, indutus, quo aliquando abolito tam parum ipse mutetur, quam is, qui pro veste vetusta aliam assumat novam.

Maius quid docet Apostolus 1 Tim. VI: 16, ubi Deus dicitur ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν· ibi enim non talem indicat immortalitatem, qualis est animi humani, aut aliarum naturarum intelligentium, numquam intereuntium; Deus enim *solus* immortalis dicitur. Cogitandus igitur Deus est *necessario aeternus*, qui natura sua non aeternus esse non possit: cum contra omnis naturarum procreatarum vita quae speratur aeterna e Dei arbitrio pendeat. [Cf. CALV. ad l. V.].

Denique Deus Apoc. I: 4. IV: 8 dicitur ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, quo JOHANNES exprimere voluisse videtur vim nominis, vulgo *Jehova* enunciati, Israelitis maxime sacri. Certe indicatur Deus,

qui *et* vere existat, *et* idem sit atque erat olim, idemque perpetuo sit futurus, h. e. Deus *aeternus*, *sibi perpetuo constans*, *semper idem*. [Cf. WINER. *Gramm.* § 10, p. 66. V.].

Deum non humano modo affici temporum vicissitudinibus docet PETRUS, 2 Ep. III: 8, usus Ps. XC: 4, ubi MOSES, carminis auctor, longaevitatem Dei comparans cum vitae nostrae brevitate: *mille*, inquit, *anni in oculis tuis sunt, ut dies hesternus, qui praeteriit, ut vigilia nocturna.* Quo dicto profitetur, Deo mille annos, qui multas hominum aetates complectuntur, veluti unicum esse diem, et eum quidem, qui iam praeteriit, atque adeo multo nobis brevior videtur, quam dies futurus et exspectatus; quin et mille annos Deo esse dicit, veluti trihorium, vel quadrihorium nocturnum, cuius placido somno transacti nullam animo durationem intelligimus. Cf. JO. DAV. MICHAEL. ad LOWTHI l. *de s. poesi Hebr.* p. 313, [et GROT. ad l. V.]. Utitur autem eo Psalmi loco PETRUS, ut doceat, ὅτι μία ἡμέρα παρὰ κυρίῳ (ἐστὶν) ὡς χίλια ἔτη, καὶ χίλια ἔτη (παρὰ κυρίῳ εἰσὶν) ὡς ἡμέρα μία, hactenus, ut exitus promissorum divinorum post multorum saeculorum decursum aeque certo sperari possit, atque hodie, neque adeo promissorum veritati quicquam detrahatur tempore aliquamdiu protracto, quandoquidem Dei vita non annis aut diebus numeretur, neque ille temporis tractu quicquam diu antea promissum obliviscatur.

Cf. ZACH. *Bibl. Theol.* Vol. I. p. 255—259. Paulo tamen aliter DAV. JUL. POTT, in *ann.* ad nostrae ep. edit., Psalmo hanc tribuens sententiam: *mille anni, comparatione cum aeternitate divina facta, ut unus dies comparent;* PETRI autem mentem sic exponens: *Deus summum imperium tenet in tempus, ita ut unum diem ad mille annos extendere, et, versa vice, mille annos ad unum diem revocare possit, adeoque nullis temporis terminis circumscribatur, quominus iudicia sua subito vel tarde exsequatur.* Sed haec interpretatio duplici laborat vitio. Primum enim in *Moseo* carmine negligit verba: *in oculis tuis*, pro iisque substituit: *comparatione cum aeternitate facta.* Deinde et PETRUM de Dei arbitrio in statuendis temporibus dicere id iubet, quod *et* ab ipsius consilio, *et* a Psalmi argumento est alienum.

Ex veteribus Theologis multi sibi persuaserunt, utroque h. loco doceri, nullum apud Deum esse temporum discrimen, nullam successionem, nihil prius aut posterius. In eaque sententia fuit DOEDERL. *Inst. Theol. Christ.* § 80. Obs. 3; at in 5ᵃ ed. a. 1791 recte mentem suam mutavit, probante MUNT. *Theol. Christ.* § 416. [ed. 2. t. II. § 503. V.]. Legi meretur PALMII nostri *Orat. vern. de Ps.* XC., quae est *quinta* in *Hexade nona*, ed. a. 1820 [ed. nov. Vol. VIII. Or. 3. V.]. Caeterum notatu dignus est locus JESU *Siracidis*, nostro haud dissimilis, in Sap. l. apocr. C. XVIII: 1, 9, 10, ubi dicitur

Deus ὁ ζῶν εἰς τὸν αἰῶνα, hominum autem vita longissima, cum ἡμέρᾳ αἰῶνος comparata, dicitur tanquam gutta cum mari, et tanquam calculus cum omni litorum arena comparatus, (ὡς σταγὼν ὕδατος ἀπὸ θαλάσσης καὶ ψῆφος ἄμμου).

DEUS IMMUTABILIS.

JAC. I: 17.

Dei naturam nulli obnoxiam esse mutationi docent ss. N. T. scriptores nonnullis ll. iam laudd. Rom. I: 23. 1 Tim. I: 17. Hebr. I: 10—12 et Apoc. I: 4, de quibus non est, quod denuo dicamus.

Classicus vero hac in causa locus est Jac. I: 17, ubi Apostolus, coll. 4—6. Christianos monet, ut sapientiam, qua iis opus esset ad constanter profitendum CHRISTUM, et ad tolerandas CHRISTI causa iniurias hominum, s. 12—15, confidenter expetant a Deo, Patre benignissimo, omnis veri perfectique beneficii fonte, *ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων*, h. e. *a coelestium luminum conditore*, atque adeo rerum omnium procreatore, et nihil nisi lucem, h. e. remoto tropo, scientiam veram et sapientiam largiente (cf. 2 Cor. IV: 6), *apud quem nulla sit conversio aut mutationis umbra*, (*παραλλαγὴ* et *τροπῆς ἀποσκίασμα* vocabula sunt, ex astronomorum disciplina sumta) [Vid. GROT. ad l. V.], qui adeo ipse numquam lucis splendidissimae aut faciei tenebricosae mutationi sit obnoxius, quomodo obnoxia

sunt nobis apparentia sidera, et qui numquam non largiatur imploratam sapientiae lucem. Itaque docet Apostolus *et* voluntatis divinae *et* vero etiam omnem naturae divinae constantiam, nullo modo mutandam. Legendus de h. l. est POTTIUS, in 3ª. ed. ann. ad h. ep. Goett. 1816, qui varias interpretum sententias recenset. [Cf. et JO. CLARISSE, *de brief van Jacobus* caett. p. 66—68. MUNT. *gesch. d. menschh. n. d. Bijbel*. Vol. IV. ann. 112. p. 88 *sqq*. VIII. ann. 277. p. 98 *sq*. V.].

DEUS SCIENTISSIMUS.

1 COR. II: 10, 11. 1 JOH. III: 20. HEBR. IV: 13 ET ALIIS LOCIS.

Tribuitur Deo scientia, ambitu suo omnia, quae intelligi scirique possint, comprehendens.

Deus dicitur *omnia cognoscere* ac *solus perspicere sua consilia, humanam etiam perspicientiam fugientia*, 1 Cor. II: 10, 11. Scilicet in eo est PAULLUS, ut laudibus extollat Euangelii doctrinam, non ingenio inventam humano, sed divinitus ab Apostolis acceptam ac patefactam. *Ἡμῖν δὲ*, inquit s. 10 [i. e. docente contexta oratione, mihi caeterisque Apostolis. Vid. RÜCKERT. et WETT. V.] *ἀπεκάλυψεν ὁ Θεὸς* (hoc enim ordine, [rec. a GRIESB., SCHOLZ., LACHM., TISCHEND. V.] ut ponamus verba, pro vulg. *ὁ Θεὸς ἀπεκάλυψε* rationes suadent criticae), *διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ*: (quamquam illud *αὐτοῦ* abest a nonnullis codd. et iam olim abfuisse videtur a libris, quibus usi fuerunt interpres *Copta*, CLEM. *Alex.*, BASIL. *m.* et CYR. *Alex.* [unde e textu reiicitur a LACHM. et TISCHEND. V.]. Sed facile omitti potuit incuria librariorum, qui, si quid adiicere voluis-

sent illustrandi causa, addituri fuissent magis consuetum ἁγίου, quod et DIDYMUS in suo legit cod.) *Deus autem nobis* eas res, antea prorsus hominibus ignotas, in quibus sapientia divina luculenter cernitur, coll. 6—9, *patefecit Spiritu suo*. Τὸ γὰρ πνεῦμα πάντα ἐρευνᾷ, καὶ τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ, h. e. *Spiritus enim ille* divinus *omnia perspicit*, *etiam arcana Dei consilia*. Nam verbum ἐρευνᾷν, quod proprie est *scrutari*, *indagare*, *investigare*, ut Joh. V: 39. VII: 52. 1 Petr. I: 11, per metonym. ad Hebr. חָקַר Ps. CXXXIX: 1, significat *perspicere*, *plene accurateque scire*, quomodo et Rom. VIII: 27. Deus dicitur ὁ ἐρευνῶν τὰς καρδίας, [et JESUS CHRISTUS ὁ ἐρευνῶν νεφροὺς καὶ καρδίας Apoc. II: 23. V.]. Hanc verbi sententiam docent quae mox sequuntur, in quibus ἐρευνᾷν permutatur cum ἰδεῖν et γινώσκειν [quod bene iam intellexit CHRYSOST., qui οὐ γὰρ ἀγνοίας, inquit, ἀλλ' ἀκριβοῦς γνώσεως ἐνταῦθα τὸ ἐρευνᾷν ἐνδεικτικόν. V.]. Τὰ βάθη proprie sunt *profunda*, ut βάθος γῆς Matth. XIII: 5. Marc. IV: 5, hinc quaecunque *ab intelligentia humana* sunt *remota*, certe non sine singulari industria pervestigari possunt. Sic Apoc. II: 24, τὰ βαθέα (ita enim legendum videtur pro vulg. τὰ βάθη, quae est forma contracta) τοῦ σατανᾶ sunt *occulta Satanae consilia*. Τὰ βάθη autem τοῦ Θεοῦ sunt *arcana Dei consilia*, *mens Dei arcana*. Cf. VALCKEN. in *Schol.* ad h. l. Haec, de Spiritus divini intelligentia dicta, mox illustrat Apostolus, comparatione facta cum hominum spiritu, s. mente

humana, sect. 11. *Τίς γάρ*, inquit, *οἶδεν ἀνθρώπων τὰ τοῦ ἀνθρώπου, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου τὸ ἐν αὐτῷ;* h. e. *quis enim hominum novit hominis* arcana consilia, *nisi spiritus*, *qui ipsi inest homini?* Abest quidem illud *ἀνθρώπων* ab uno cod. *Alex.* neque expressum est ab ATHANAS. et CYR. *Alex.;* sed facile negligi ea vox potuit, quippe *et* alieno loco posita, *et* abundare visa. GROTIUS ea nihil opus esse censuit: at immerito; facit enim illud *ἀνθρώπων* ad oppositorum rationem rectius intelligendam. [Cf. RÜCKERT, ad l. V.]. Abest etiam ultimum illud *τοῦ ἀνθρώπου* a codd. proxime cognatis *Augiense* et *Boerneriano*, et neglectum semel fuit ab ORIGENE, liberius locum laudante: sed et hoc, propter subsequens *τὸ ἐν αὐτῷ*, facillime omitti potuit, saepius vero ab ipso etiam ORIGENE expressum fuit. Cff. GRIESB. *Symb. Crit.* II: 501. Verum hae lectionis varietates nequaquam sententiam verborum afficiunt. Cuique enim est manifestum, quod interrogando fortius asseverat PAULLUS, animi humani consilia a nemine nisi ab ipso perspici homine: unde consequitur, neminem nisi ipsum hominem haec consilia certo aperire posse. Vix enim dubium esse potest, quin ellipsis in *τὰ τοῦ ἀνθρώπου* supplenda sit e proxime antegressis per *βάθη*. [Cf. tamen RÜCKERT. et WETT. V.]. Docet porro Apostolus, similiter iudicandum esse de *τοῖς τοῦ Θεοῦ*, h. e. arcanis Dei consiliis. *Οὕτω*, inquit, *καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ οὐδεὶς οἶδεν, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ*, h. e. *ita et nemo*

12

novit Dei arcana consilia, *nisi Dei Spiritus*. Nihil ad sententiam interest, utrum vulgatum legas οἶδεν, an ἔγνωκε, quod nonnullorum est Codd. vetustissimorum, et a plerisque PP. Gr., semel etiam ab ORIGENE fuit scriptum: quanquam equidem posterius a PAULLI manu, prius a librariis profectum putem, qui ad hoc proniores erant propter illud οἶδεν, quod modo praecesserat: in eaque sententia video etiam versantes GRIESB. et HARWOODUM; [LACHM. et TISCHEND. non dubitarunt ἔγνωκεν in textum recipere V.]. Τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ h. l. per ἀνθρωποποίησιν dicitur de *ipso Deo*, cuius *vi* et *efficacitate* Apostolis tributa fuit penitior rerum divinarum notitia et intelligentia. Scilicet, quemadmodum Deo, per metaphorae formam, quae ἀνθρωπομορφισμὸς dicitur, tribuuntur, quae corpori humano sunt propria, ut facies, oculi, aures, os, manus, pedes, viscera, caett., eique per ἀνθρωποπαθείαν humanae affectiones adscribuntur, cuiusmodi sunt laetitia, tristitia, ira, poenitentia, caett., ita etiam per ἀνθρωποποίησιν Deo attribuitur *animus*, *mens*, *spiritus*: et *animus* quidem, נֶפֶשׁ, ψυχή, quando de Deo *volente* fit sermo, ut Lev. XXVI: 11, 30. Job. XXIII: 13. Ps. XI: 5. Prov. VI: 16. Jes. I: 14. Jer. V: 9. Ez. XXIII: 18. Matth. XII: 18: (ἰδοὺ, ὁ παῖς μου, ὃν ᾑρέτισα, ὁ ἀγαπητός μου, εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου ex Jes. XLII: 1.) et Hebr. X: 38: (οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ, e vers. Alex. Habac. II: 4); saepenumero autem *Spiritus* et *mens*, רוּחַ, πνεῦμα et νοῦς, quando

de Deo *intelligente* et ingenii animique facultates largiente, mentio iniicitur, ut Gen. XLI: 38. Ex. XXXI: 3. Num. XI: 26, 29. 1 Sam. X: 6. 1 Reg. XXII: 24. 1 Chron. XXVIII: 12. Neh. IX 20, 30. Job. XXXII: 8. XXXIII: 4. Ps. LI: 12, 14. CXXXIX: 7. Jes. XI: 2. XXX: 1. XLIV: 3. XLVIII: 16. Mich. III: 8. Ezech. XXXVI: 27. Zach. XII: 10. Matth. X: 20: (*τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν*), C. XII: 18, (*θήσω τὸ πνεῦμά μου ἐπ᾽ αὐτὸν*, ex Jes. XLII: 1.), Luc. IV: 18 (*πνεῦμα κυρίου ἐπ᾽ ἐμέ*, ex Jes. LXI: 1), Act. II: 17, 18 (*ἐκχεῶ ἀπὸ τοῦ πνεύματός μου ἐπὶ πᾶσαν σάρκα*, ex Joel. II: 28: 29), Rom. VIII: 9, 11, 13, 14, 16, 23, 26, 27, ubi mox dicitur *πνεῦμα Θεοῦ*, mox *πνεῦμα Χριστοῦ*, mox nude *πνεῦμα*; C. XI: 34 et 1 Cor. II: 16, (*τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου*, ex Jes. XL: 13). Atque ita etiam h. l. per *ἀνθρωποποίησιν* dicitur *τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ* arcana Dei consilia et perspicere, et patefacere aliis: ut adeo, remoto tropo, *Deus ipse* dicatur sua nosse et legatis suis aperire consilia. Hanc autem interpretandi rationem ut sequamur, postulat contexta oratio. Etenim quod *primum* est, *τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ* h. l. et sectt. 10, 14 dicitur *τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ*, sect. 12, quae est *vis*, *efficacitas a Deo profecta*. *Deinde* tropum admittendum esse docet disiunctio, qua sibi invicem sect. 12 opponuntur *τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου* et *τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ*· illud enim eam intelligentiae et ingenii *vim* indicat, quae comparatur *humana institutione*, qua

qui pollent loquuntur ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις sect. 13. *Denique* rem absolvit comparatio τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ cum τῷ πνεύματι τοῦ ἀνθρώπου· quemadmodum enim *hominis spiritus* arcana hominis perspiciens, non diversus est ab *ipso homine*, ita et *Dei Spiritus*, arcana divina perspiciens, ab *ipso Deo* diversus non est. Caeterum ex interpretibus h. l. comparari imprimis meretur BOSVELD. [Videntur tamen huic interpretationi non pauca opponi posse: sed haec exponere non est huius loci. Unum hoc monere iuvat, cl. Scriptorem haudquaquam negasse, quod negasse eum e dictis fortasse quis efficiat. Nam in *Comp. Theol. Christ.* m. s., ultimo fere vitae tempore conscripto, laudatis, quae de *Spiritu s.* maxime in N. T. libris dicuntur: »haec igitur," inquit »divina sunt, »quae Spiritui s. tribuuntur. Qui cum saepenumero »distinguatur a Deo Patre et JESU CHRISTO, eodem»que cum iis loco habeatur, ut Matth. XXVIII: 19 »et 2 Cor. XIII: 13, absit, ut eum dicamus *vel* »vim virtutemque cum MACEDONIO- et SOCINI secta, »*vel* Dei angelum cum SANDIO, *vel* ipsam Dei na»turam cum recentioribus." V.]

Deo cognita esse *omnino omnia* docet JOHANNES Ap. 1 Ep. III: 20, ubi Deum γινώσκειν πάντα dicit: quod, licet de *omnibus actionibus humanis* possit intelligi, malim indefinite sumere de *rebus omnino omnibus:* unde tum, flagitante contexta oratione, ducatur hoc, Deum etiam cognoscere actiones no-

stras et animi consilia, quantumvis nobis ipsis ignota, ὅτι μείζων ἐστὶν ὁ Θεὸς τῆς καρδίας ἡμῶν. [cf. inpr. LÜCK. V.]

Res omnes procreatas Deo esse cognitas docet quoque PAULLUS Hebr. IV: 13. Dixerat ibi Apostolus sect. 12, λόγον τοῦ Θεοῦ, h. e. *quicquid Deus dicit*, cl. sect. 2, imprimis, propter contextam orationem, *quicquid iubet ac minitatur*, esse ζῶντα, h. e. *perpetuo manere*, (cf. 1 Petr. I: 23), vel *vim habere*, καὶ ἐνεργῆ, h. e. *efficacissimam*, *et quovis ense bicipiti acutius*, *in ipsum usque animum ac mentem*, *omnemque membrorum compagem ac medullas penetrare*, *omniaque scindere*, *atque etiam cogitata mentis*, *sensa et consilia damnare ac punire*. Mox pergit eadem in re: καὶ οὐκ ἔστι κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ. Κτίσις consueta significatione per metonym. pro κτίσματι *re procreata* dicitur, ut Rom. I: 25. VIII: 19—22, 39. al. Neque enim video, quare communem hanc significationem, [quam BLEEK. quoque recte tuetur. V.] accommodate ad contextam orationem, restringamus cum SCHLEUSN. in *Lex.*, cui κτίσις vel est *homo*, ut Marc. XVI: 15. Col. I: 23, vel sunt *hominum cogitata*, aut cum CARPZOV. in *Exerc. ad* h. *ep. e* PHIL. *Alex.*, cui videtur esse *opus et actio humana*, ut C IX: 11. [quae et GROTII sententia est. Cf. KUIN., qui recte monet, locum Hebr. IX: 11 esse plane ἀπροσδιόνυσον. V.]. Ἀφανὴς *non apparens*, hinc *absconditus*, *ignotus*, vox non nisi h. l. in N.

T. occurrit. [Cff. loca e SUIDA, SIR. et XENOPH. a KUIN. ll. V.] Ἐνώπιον αὐτοῦ est ipsum Hebr. לְפָנָיו, [Vid. BLEEK. ad l. V.] quaedicendi forma, originem si spectes, est tropica, *faciem* tribuens Deo, omnia coram intuenti. Itaque verba prementibus vertendum foret: *et non est res procreata, quae non appareat coram eo*, brevius: *nihil ab eius conspectu est remotum*. Demto tropo erit: *nulla res ei ignota est*. Sed quaeritur de pronomine αὐτοῦ, quorsum sit referendum. Multi trahunt ad τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, sect. 12, sed alii aliter. Nam qui τὸν λόγον cum PP. Eccl., ab ABRESCHIO, in *ann.* ad s. 12 laudd., indicari putant ὑποστατικὸν, h. e. *Dei Filium*, quorum e numero sunt DAN. HEINSIUS, JAC. ALTINGIUS, JOH. ANDR. CRAMERUS, hi JESU CHRISTO, summo Pontifici, *nihil ignotum* dici putant. Sed quae de τῷ λόγῳ divino in hac contexta oratione dicuntur, parum commode de CHRISTO dici possunt: nec quisquam ss. Scriptorum praeter JOHANNEM Dei Filium dixit τὸν λόγον, vel τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. [Cf. BLEEK ad sect. 12. p. 564. V.] CARPZOVIUS l. l. τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ interpretans per *verbum*, s. *legem divinam*, credit, per sublimem metaphoram huic legi tribui oculos, nihil non intuentes, propter summam eius perfectionem, exactam fidei morumque regulam ac lumen insitum. [Ita et THOLÜCK. V.]. Sed metaphorae tam durae exemplum proferri haud poterit, ne e PHILONE quidem *Alex.*, cuius ad exemplum CARPZOV. frustra provocat:

praeterea, admissa istiusmodi metaphora, nihil dictum foret sect. 13, quod nondum modo fuerat dictum sect. 12. Jo. CLERICUS in ann. ad HAMMONDUM *τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ*, prout in paraphrasibus V. T. chaldaicis, dictum putat pro *ipso Deo*. Sed huius periphrasis nullum exstat in N. T. vestigium. Itaque pronomen *αὐτοῦ* nullo modo ad *τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ* referendum videtur. Verum alii illud *αὐτοῦ* arcte iungunt cum eo, quod in fine sectionis sequitur: *πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος* eadem syntaxi, qua C. II: 10 scribit Apostolus: *ἔπρεπε γὰρ αὐτῷ, δι' ὃν τὰ πάντα.* In hanc sententiam interpretati sunt PISCAT., JO. DAV. MICHAEL., SAM. FRID. NATH. MORUS et BONNETUS. ABRESCHIUS quoque hanc rationem facillimam iudicavit. Quodsi vero hoc minus arrideat, [sicuti BLEEKIO durius videtur, V.] referendum certe *αὐτοῦ* erit ad *τοῦ Θεοῦ*, quod praecessit sect. 12, quomodo plerique accipiunt interpretes, in his DINDORFIUS in *annot. ad lectt. Ernestinas*, [KUIN., BLEEK., WETT. V.]

Quod modo negando dixerat Apostolus *οὐκ ἔστι κτίσις ἀ. ἐ. α.*, mox affirmando enunciat: *πάντα δὲ* (¹) *γυμνὰ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος.*

In his denuo quaeritur de eo, *πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος*. Etenim alii interpretantur: *de quo nobis est sermo;* alii vero: *quocum nobis est negotium*, vel *ratio*. Prior interpretatio si praeferatur, de

(¹) De partic. *δὲ* vi conf. BLEEK. ad l. et ad II: 6. p. 237. V.

JESU CHRISTO dicitur esse sermo: si posterior, potest *et* CHRISTUS iudex a Deo constitutus, *et* ipse quoque Deus intelligi. Priorem rationem elegit *Vulg.* interpres, et e recentioribus LUTH., CASTELLIO, GROT., [qui tamen illud ὃν non ad JESUM CHRISTUM, sed ad τὸν λόγον, Euangelium scilicet refert. V.] PISCAT., JAC. PERIZONIUS in *ann.* ad AELIANI *V. H.* L: XII. C. 64. ELSNER., ALBERT., PALAIR., WOLF., BRÜCKER., alii. Neque ego simpliciter negaverim, aliquando praepositionem πρὸς, accusandi casui iunctum, idem significare quod περὶ cum gignendi casu, quo usus est noster C. V: 1. Certe exempla huius usus attulerunt ex AELIANO et POLYAENO PERIZONIUS, e PLUTARCHO ELSNERUS, e *Scholiaste* SOPHOCLIS ALBERTIUS, ex HIPPOCRATE et PLUTARCHO KYPKIUS in *Obs.* ad Luc. XVIII: 1, ex AESCHINE *Socratico* SCHLEUSNERUS: quamquam in his nonnulla frustra adduci docuit JAC. DE RHOER in *Fer. Daventr.* p. 243 sq. et in *notis ad* PORPHYRIUM, de *abstin. ab esu anim.* L. III. c. 22. p. 270. Eadem notione hanc praepositionem in N. T. occurrere multi putant, in his SCHLEUSN. in *Lex.* v. πρὸς, n. 13, nostrum quoque locum in eam sententiam interpretans, cum tamen alibi in v. λόγος, n. 26, contrariam ineat viam. Sed loca, quae ad hanc significationem probandam adhibentur ex ep. nostra, C. I: 7, 8, 13, et Luc. XVIII: 1. XIX: 9. XX: 19. Rom. VIII: 31. X: 21, valde sunt dubia, observante ABRESCHIO in *ann. ad Hebr.* I: 7. Verum quamvis largiaris, posse verba, πρὸς

ὃν ἡμῖν ὁ λόγος verti: *de quo nobis est sermo*, valde tamen haec sententia languet, totumque enunciatum ita acceptum prorsus abundat. Itaque malim in eorum ire sententiam, quibus ὁ λόγος est *res*, *negotium*, item *ratio*, unde haec oritur sententia: *apud quem nobis est negotium*, h. e. *quocum nobis res et ratio est*, s. *quocum nobis calculus est ineundus*, s. *cui a nobis ratio est reddenda.* In hanc sententiam locum acceperunt interpres *Syrus*, CHRYSOST., OECUM., THEOPHYL., et e recentioribus ERASMUS, ARETIUS, [CALV. V.] BEZA, *Belgae*, BENGEL., WETST., DE RHOER ll. ll., MICHAEL. in *not. ad* PEIRCIUM; ERNEST., LOESN., STORRIUS, MORUS, HEINRICHS. DINDORF. alii [e. c. KUIN., BRETSCHNEID., BLEEK., WETT. V.]. Ac profecto λόγος saepe hanc habet sententiam, maxime in formulis λόγον δοῦναι et ἀποδοῦναι, ut in h. ep. C. XIII: 17 et Matth. XII: 36. Luc. XVI: 2. Act. XIX: 40. Rom. XIV: 12. 1 Petr. III: 15. IV: 5. Et ap. DEMOSTH. veteresque Rhetores obvium est simili sententia: λόγος ἔστι μοι πρός σε, docente OLEARIO ap. WOLF. PLUTARCHI, ARISTIDIS, DIONIS CHRYS., LIBANII et STRABONIS loca nostri similia attulit WETSTEN. [Cf. et WINER. *Gramm.* § 53. p. 384. V.]. Hanc igitur si sequamur interpretationem, planum fit, nobis *rationem reddendam* dici, aut JESU CHRISTO, quod ALTINGIO placuit, vel Deo Patri. Sed posterior ratio unice mihi sese commendare potest, quippe conveniens orationi *Paullinae* hac in ep. Quamvis enim alibi Conservator noster a PAULLO dicitur humani generis iudex

a Deo constitutus, Act. XVII: 31. Rom. II: 16. XIV: 10, 12. 2 Cor. V: 10, in nostra tamen ep. Deus dicitur *πάντων κριτὴς* C. XII: 23, a quo metuenda sit poena, ib. 29, quam ille contumacibus est minatus, C. IV: 1, 11, 12.

Huius igitur iudicis *τοῖς ὀφθαλμοῖς πάντα* dicuntur *γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα*. In quibus idem *ἀνθρωπομορφισμὸς* obtinet, Deo *oculos* cuncta intuentes affingens, quem supra ad formulam *ἐνώπιον αὐτοῦ* notavimus. Cf. 1 Petr. III: 12 cum Ps. XXXIV: 16, aliisque ll. multis in v. Cod. Accommodate ad hanc metaphoram *πάντα omnia* (quemadmodum enim in priori membro, ita etiam in posteriori, sententia est indefinita, omnes res procreatas complectens), dicuntur oculis eius *γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα*. *Γυμνὰ* quidem, proprie *nuda*, hinc *aperta*, *manifesta*, quomodo *τοῖς ὁ*, Job. XXVI: 6, *ἐνώπιον* (*τοῦ Θεοῦ*) *ὁ ἅδης* dicitur *γυμνός*. Scriptorum Gr. exempla dederunt ELSNER. in *Obs.* ad h. l. ALBERT. ad *Gloss. Gr.* p. 172. BIELIUS in *Lex.*, CARPZOV. in *Obs.* e PHILON. *Alex.* ad h. l., ABRESCH. [KUIN. Vid. et BLEEK. V.] Quae vero *γυμνά*, eadem dicuntur et *τετραχηλισμένα*, (pro quo in Glossarii Gr. Cod. ab ALBERTIO ed. vitiose legitur *τετραχηλιασμένα*, [et ap. GRIESB. et SCHOLZ. *τετραχιλισμένα* V.]) h. e. *aperta*, ut recte interpretatus est Vulg. interpres Lat. Ex veteribus Glossatoribus Gr. HESYCHIUS, hunc respiciens locum, *τετραχηλισμένα* exposuit per *πεφανερωμένα*; THEOPHYL. per *δῆλα*, *γυμνὰ*, *φανερὰ*; PHAVORIN. *τετραχηλισμένοι* per *φανεροὶ καὶ*

ἀνακεκαλυμμένοι; CYRILLUS τραχηλίζω per φανεροποιῶ. Neque de eo dissentiunt interpretes. Cf. ALBERT. in *Obss.* ad h. l. et in *not.* ad HESYCH. et *Gloss.* laud. At de origine huius significationis variae sunt virorum dd. sententiae. Scilicet a nomine τράχηλος *collum*, vel *cervix* ductum est verbum, non nisi h. l. in N. T. obvium, τραχηλίζειν, *collum afficere* quacunque ratione. Quod verbum cum adhibeatur de luctatoribus, collum adversarii *retro flectentibus*, [Vidd. loca e ss. Gr. quam plurima all. a BLEEKIO. V.] cum vero, quorum colla *resupinata* sunt, *conspectui exponuntur*, τετραχηλισμένα dici potuerunt, quae *manifesta* sunt et *oculis exposita*. Ita opinantur PETR. FABER, *Agonist.* L. I. C. 11, JO. CAMERO in *Myrothecio Euang.* ad h. l., JAC. ALTING. in *Comm.* ad h. l., GISB. CUPERUS in *Obss.* L. I. C. 12., KREBSIUS in *Obss. Flav.* ad h. l. et SCHLEUSN. in *Lex.* Alii tropum ductum putant a maleficis, qui ad supplicia ducebantur, et quorum capita resupinabantur, omnium oculis exponenda. Ita PERIZON. ad AELIAN. l. l. [Cap. 58, V.] ELSN. in *Obss.* ad h. l., JAC. TOLLIUS in *Insign. Itinerarii Ital.* p. 165, ERNEST. in *Inst. interpr. N. T.* P. II. C. X. § 102 et in *lectt.* ad h. l, CARPZOV. l. l., HEINRICHS., ABRESCH., DINDORF., [KUIN., BRETSCHNEID. in *Lex.*, BLEEK., WETT. V.]. Sed in eiusmodi causa difficiliore imprimis audiendi sunt veteres interpretes Graeci. Ac CHRYSOST. quidem, ISIDORUS *Pelus.* L. I. ep. 94, OECUMEN. et THEOPHYL. metaphoram sumtam putant a victimis, quorum collum resupinatur, pellis abs-

trahitur, ut eae *intus inspiciantur*. Cui sententiae subscripserunt BEZA, JAC. CAPPELLUS, GROT, GATAK. *ad* MARC. ANTON. p. 346, JAC. LYDIUS in *Agonisticis* s. C. XVII, et MICHAEL. in not. ad PEIRCII *Comm.* ad h. l. Eique rationi favere linguae analogiam docuit VALCKEN. in *Schol.* ad h. l. Quemadmodum enim a ῥάχις *spina dorsi* est ῥαχίζειν *dissecare spinam* et ab αὐχὴν *cervix* est αὐχενίζειν *secare cervicem*, ita etiam a τράχηλος simili significatione potuit duci nostrum τραχηλίζειν. Sed ex veteribus paulo aliter rem explicuit THEODORETUS, metaphoram ductam putans ab animalibus, quae sacrificata muta iacent, quibus nos a Deo iudicati similes simus, sententiam silentio accipientes. Ex veteribus tandem alii, quorum mentionem facit THEOPHYL. τετραχηλισμένους dictos putant, qui *caput demittunt*, pudore suffusi e male factorum conscientia: eique sententiae e recentioribus accedit WETSTEN. neque ab eo alienus est MICHAELIS. Longe aliam a superioribus ingressus est viam LUD. CAPPELLUS, in *Spicil.* p. 122 suspicans, PAULLUM verbo τραχηλίζειν, facto a τράχηλος tribuisse notionem *sciendi*, ad imitationem Hebr. עָרַף *decollavit, resecuit*, hinc *accurrate novit* et *perspexit*. Hanc rationem illustrarunt ac probarunt ALB. SCHULTENSIUS in *Clav. Dial.* p. 273 sq., VALCKEN. l. l., LENNEPIUS et SCHEIDIUS in *Etymol. ling. Gr.* et MUNTINGHIUS, *Theol. Christ. Part. theoret.* § 118, n. b, quamvis dubitationes non contemnendas ei opposuerit ALBERTIUS in *Obss.* ad h. l. Mitto caeteras interpretandi vias

minus probabiles, quas commemorat WOLF. in *Cur.* ad h. l. Mihi si facienda sit optio, parum absum, quin praeferam CHRYSOSTOMI rationem, utpote *et* Graecorum auctoritate firmatam, *et* linguae analogia commendatam, *et* congruam iis, quae in contexta oratione leguntur, cuiusmodi sunt *γυμνὰ* modo praemissum, et *μερισμὸς ἁρμῶν τε καὶ μυελῶν*. Sed caeterae etiam explicandi viae habent, quo se commendent. Itaque harum rerum studiosi iudicium in hac causa exerceant. [Cf. SUICER. *Thes. Eccl.* in v. *τραχηλίζω*. V.]. Caeterum lectu perquam digna est oratio s. JO. CLARISSII ad h. l. in *Leerredenen*, Vol. II. p. 3—38.

Deum, quae ipso volente *futura* sunt, numquam non scivisse docent Apostoli, non quidem subtiliter, sed populari dicendi ratione. Sic PAULLUS Eph. I: 4. Christianos a Deo electos dicit *πρὸ καταβολῆς κόσμου*. *Καταβολὴ* proprie *deiectio* dicitur nominatim de *fundatione* aedificii, atque hinc de cuiuscunque rei *initio*, ut *belli*, *seditionis*, *febris* et sim. Exempla dederunt e POLYBIO RAPHELIUS ad Matth. XIII: 35, e PHILONE *Alex.* CARPZOVIUS et LOESNERUS ad h. l., e JOSEPHO KOPPIUS, e PINDARO ABRESCHIUS ad Hebr. IV: 3. *Καταβολὴν τῆς στάσεως* dixit quoque CLEM. *Rom. Ep. ad Cor.* § 57. Itaque *καταβολὴ κόσμου* est *mundi initium* [atque adeo nimis argute CHRYSOST. »*καλῶς*, inquit, *καταβολὴν εἶπεν, ὡς ἀπό τινος ὕψους καταβεβλημένον μεγάλου αὐτὸν*" (*τὸν κόσμον*) »*δεικνύς*." V.]. Hinc in N. T.

duplex orta est formula: una *ἀπὸ καταβολῆς κόσμου*, *inde ab initio mundi* Matth. XIII: 35. XXV: 34. Luc. XI: 50. Hebr. IV: 3. IX: 26. Apoc. XIII: 8. XVII: 8.; altera *πρὸ καταβολῆς κόσμου*, *ante mundi initium*, quae praeterquam nostro loco occurrit Joh. XVII: 24. 1 Petr. I: 20. Quod autem *ante mundi initium* dicitur, si subtiliter disputare velis, nondum *aeternum* dici poterit: attamen populari dicendi ratione nihil ante mundum conditum cogitatur, nisi ipse Deus aeternus. [Cf. GROT. et RÜCK. V.].

Similis est ratio formulae *πρὸ τῶν αἰώνων*, qua utitur PAULLUS 1 Cor. II: 7. Sive enim *οἱ αἰῶνες* ad Hebr. עוֹלָמִים dicti sunt *tempora remotissima*, cui interpretationi favet Col. I: 26, ubi iunguntur *ἀπὸ τῶν αἰώνων* et *ἀπὸ τῶν γενεῶν*, et Eph. III: 9 cl. 11, ubi Dei *πρόθεσις τῶν αἰώνων* dicitur *ἀποκεκρυμμένη ἀπὸ τῶν αἰωνῶν*, [et quam interpretationem GROT. propugnat. V.], sive per meton. *οἱ αἰῶνες* significent *res a remotissimis inde temporibus existentes*, uno verbo *mundum*, quomodo dicuntur Hebr. I: 2. XI: 3, de qua significatione cf. DATHIUS ad GLASSII *Philol. s.* I. 63, Deus certe dicitur id, quod hominibus ignotum fuit, antequam mundus aut temporum vicissitudo existeret, praescivisse et constituisse. [CHRYSOST. *τὸ δὲ πρὸ τῶν αἰώνων, τὸ ἀΐδιόν φησι.* Ita et OLSHAUS. et RÜCK. V.].

A multis quidem olim ad eandem rem proban-

dam adhibita fuere, quae in ed. vulg. Act. XV: 18 leguntur: γνωστὰ ἀπ' αἰῶνός ἐστι τῷ Θεῷ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ. Sed tantus est Codicum ac caeterorum in re critica testium dissensus, et tam gravis inde orta contra hunc locum interpolationis suspicio, ut ab hoc praesidio abstinendum esse censeam, cum DOEDERL. *Inst. Theol. Christ.* § 85, Obs. 4. MORO, ZACHARIA et HUFNAGELIO. MATTHAEI in prima *Actuum App.* ed. crit. a. 1782, et denuo in altera, a. 1802, id egit, ut demonstraret, totum hunc locum esse appendicem lectionis ecclesiasticae, quae incipit sect. 13, desinit sect. 17, cui, ut nimis brevi, haec in fine tanquam basis subiiciebantur. MATTHAEIO consentiunt ROSENM. et KUIN. [neque ea exhibet CHRYSOST. V.]. Verum GRIESB. omissionem priorum vocabulorum γνωστὰ ἀπ' αἰῶνος minus probabilem ducit; posteriora vero ἔστι τῷ Θεῷ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ, (non αὑτοῦ, quomodo ab eo exhibetur vulg. lectio,) eliminanda censet: unde haec existit verborum cum sect. 17 cohaerentia: λέγει Κύριος ὁ ποιῶν ταῦτα γνωστὰ ἀπ' αἰῶνος; (nam quod interiacet πάντα sect. 17 similiter eiiciendum videtur): [quomodo et ediderunt SCHOLZ. et TISCHENDORF. V.]. Sententia autem dicti Apostoli haec erit: »sic *dicit Dominus, qui ea nunc »efficit, quae iam olim fuere cognita*, praesignifi»cata a Vatibus." Vel, si γνωστὰ arctius iungas cum ποιῶν: »sic *dicit Dominus, qui haec iam ab »antiquis inde temporibus nota fecit.*" GRIESBACHIO assentiuntur MUNTINGH. l. l. § 48, *not. a.*, DINDORF.

in *ann. ad* MORI *explic. Act. App.* et HEINRICHS. Eamque sententiam professus sum in *Quaestt. de ll. N. T. difficilioribus*. In ed. principe *Compl.* locus sic exhibetur: λέγει Κύριος ὁ ποιῶν ταῦτα πάντα· ἅ ἐστι γνωστὰ ἀπ' αἰῶνος αὐτῷ: quae lectio non nisi paucorum, neque optimorum est codicum. Pro γνωστὰ πάντα τὰ ἔργα in Codd. *Alex.* et *Cant.* legitur γνωστὸν τὸ ἔργον, quomodo etiam exhibent interpretes *vulg.*, *Arabs Erp.*, *Armen.*, *Syra p. in marg.*, item *Lat. interpres* IRENAEI *adv. haer.* L. III. C. XII. § 14. Quam propterea lectionem praefert BENGEL. et in textum assumsit HARWOODUS. [LACHM. dedit: λέγει κύριος ποιῶν ταῦτα. γνωστὸν ἀπ' αἰῶνος τῷ κυρίῳ τὸ ἔργον αὐτοῦ. V.]. In eo, quod πάντα a sect. 18 abesse iubent, praeeuntem habent MILLIUM, *Prol.* § 1315. Ex editoribus recentioribus KNAPPIUS et TITTM. vulgatum textum reliquerunt intactum.

DEUS SAPIENTISSIMUS.

LUC. XI: 49. coll. VII: 35. EPH. III: 10. I: 17. ROM. XI: 33, 34. 1 COR. I: 25. ROM. XVI: 27, ET ALIA LOCA.

Sapientia Deo adscribitur. Sic CHRISTUS Luc. XI: 49 praesignificans, quid Deus pro sapientia sua

sit facturus, praemittit: ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ εἶπεν· quo doceat, ita Deo *pro sua sapientia* esse propositum. Inducitur haec Dei sapientia per προσωποποιΐαν elegantem, tamquam ipsa loquens suumque propositum aperiens. Eadem est imago, qua in *Prov.* SALOM. C. I: 20. VIII: 1. IX: 3 *sapientia* fingitur homines docere, monere, auscultantibus quaecunque bona promittere, contumacibus contraria omnia minari. Neque alia est προσωποποιΐα in gnome, quam Conservator noster subiecit eleganti parabolae, ductae a pueris reluctantibus et morosis, quibuscum comparat sui temporis Pharisaeos legumque interpretes, Luc. VII: 31—35 et Matth. XI: 16—19. Cuius quidem parabolae mihi haec videtur esse sententia. De hoc hominum genere idem dicendum est, quod ludentes in foro pueri (1) sodalibus suis obiiciunt. Queruntur, eos nec tibiarum festivo cantu ad saltandum, nec naeniis ad lugendum induci potuisse. Similis in Pharisaeis ac legis interpretibus vituperanda est morositas et obstinatio, quibus JOHANNEM *Baptistam* antea exceperant, et nunc hominis filium excipiunt. JOHANNES, veluti lugubri cantu eos excitaturus ad poenitentiam, prodiit ieiunans et abstinens a conviviis ciborumque deliciis: at illi

(1) Ingeniose CALV. ad . »existimo," inquit, »Christum, data »opera, ut scribarum supercilium deiiceret, a pueris mutuo sump- »sisse obiurgationis materiam, significans, quantumvis emineant, »ad eos tamen damnandos carmen, quod in foro cantillant ludibundi »pueri, sufficere. «.

tam non ad poenitentiam et obsequium flecti se passi sunt, ut eum dixerint daemoniacum, et propter eam vitae austeritatem noluerint eum habere pro legato coelesti, aut baptismum ab eo administratum pro instituto divino. Prodiit Filius hominis, veluti tibiarum laetiore cantu eos excitaturus ad gaudium de regno coelesti prope instanti et salute a se procuranda; neque adeo hominum fugit consortionem, aut vitam egit austeram: sed etiam nunc tam non ad assensum moventur, ut eum voracem dicant ac vinolentum, amicum pessimorum hominum, qui adeo nec promissus Messias, neque Vates a Deo missus sit habendus. Ita igitur illi repudiant consilium Dei salutare, ad quod composita fuit diversa vitae ratio cum JOHANNIS, tum mea (Luc. 30). Sed existunt alii e populo et plebe contemtâ bene multi (ib. 29), qui probant hoc Dei institutum, JOHANNI pariter ac mihi morem gerentes. Atque ita factum est, quod proverbio dicitur: *ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς.* Quae verba, e sermone CHRISTI vernaculo Graeca facta, a MATTHAEI interprete et LUCA unâ eademque formâ traduntur, nisi quod LUCAS addat *πάντων*, a MATTHAEO aut interprete eius omissum. Scilicet *ἡ σοφία*, in proverbio, quo JESUS usus est, certe in gnome ab eo pronunciata, est *sapientia* per *προσωποποιΐαν* proposita tamquam mater, cuius agendi ratio a genuinis probatur ac laudatur liberis: quomodo recte mihi interpretatus videtur PALMIUS in *sexta* orationum

s. ἔξαδε, p. 9—11, quamvis in parabola ipsa interpretanda diversus ab eo abeam. Itaque non oratione propria laudatur *sapientiae virtus*, quae in JESU et JOHANNE erat, aut quam Deo attribuimus, sed per personae fictionem cogitanda est *sapientia*, quemadmodum in lib. SALOM. ll. ll. Quam primum vero, relicto tropo, rem, sub involucro verborum reconditam, e dicentis oratione et consilio eruamus, manifestum fit, laudari *sapientiam*, in Dei voluntate et consilio (τῇ βουλῇ τοῦ Θεοῦ Luc. 30) conspicuam, quod quidem Dei consilium reiecerant Pharisaei et legis doctores, probarant vero Deo obtemperantes homines indocti et plebeii (sect. 29). Hi igitur habendi sunt pro *sapientiae liberis*, ab ipsa quasi sapientia educatis et edoctis, atque adeo etiam sapientioribus, quam isti, qui sibi videbantur sapientissimi, ac propterea in JOHANNIS B. CHRISTIque monitis et factis Dei sapientiam non agnoscebant. Itaque ab ipsis illis, qui ἐδικαίωσαν τὸν Θεὸν (ib. 29) Dei factum *probarunt Deumque laudarunt*, ἐδικαιώθη ἡ σοφία, *laudata est* ac *probata sapientia* conspicua in eo, quod *volente* ac iubente Deo, instituerat uterque legatus divinus. Haec quidem interpretandi ratio [quam proposuit iam aliquatenus CALV. et quam caeteris praefert quoque WETT. V.], mihi omnium videtur facillima. Durius enim est et pugnans cum CHRISTI consuetudine dicendi, quod THEOPHYL. ad MATTHAEI locum, et e recentioribus NOESSELTUS in *Exercc. ad ss. Scriptt. interpretationem* p. 139, ipsum CHRI-

STUM τῆς σοφίας appellatione indicatum putent. Neque ἡ σοφία est *doctrina divina*, ut placuit FISCHERO in *Proluss. de vitiis Lex. N. T.* p. 575 *sqq.* repugnante usu loquendi. Neque etiam ἡ σοφία abstracte dicitur pro concreto ὁ σόφος, quae est KÜHNII sententia, in *Spicil. Obss. ad N. T. e Philone*, p. 16, 17, frustra ad loca dissimilia 1 Cor. I: 30 et Prov. VIII: 1 provocantis. Denique repudiandum est Commentatoris PAULI artificium, Vol. I. p. 876 sq. et p. 879 sq. verba ἀπὸ τ. τ. αὐτῆς vertentis: *ante filios eius*, id quod exponit mox p. 877: *antequam id videant eius filii*, mox p. 880: *antequam existerent eius filii.* Hoc enim prorsus abhorret a consuetudine scribendi, cum Graecorum, tum N. T. scriptorum. Frustra negat PAULLUS, [cum eoque FRITZSCH. ad l. (Cf. et WINER. qui *Gramm.* § 51, p. 354 sq. dubitanter loquitur) V.], praepositionem ἀπὸ, verbis passivis additam, significare *a, ab:* docere eum possunt hunc usum ll. a SCHLEUSN. adducta, Matth. XVI: 21. Marc. VIII: 31, [ubi tamen nonnulli codd. habent ὑπό. V.] Luc. XVII: 25. Apoc. XII: 6. Neque hic usus praepositionis ἀπὸ pro ὑπὸ alienus est a scriptoribus Graecis. [Exempla v. ap. GROT. et BRETSCHN. in v. ἀπό. Hinc, quod recte observat CALV. ad l. CHRYSOSTOMUS, cui Graeca lingua nativa erat, perinde hoc transit ac si nihil esset controversiae.] Alias interpretandi rationes v. ap. FRITZSCH., qui, quum, ut monui, neget, ἀπὸ in N. T. pro ὑπὸ poni, ipse cum JENSIO verba JESU capienda esse

dicit h. m.: »*et sapientiae causa* (scil. quae in con»trariis JOHANNIS et JESU institutis cernitur) *iusta »pronuntiata est, ut huic rei occasionem praebue»rint-liberi*, i. e. ut habita huius calumniae ratione »sapientiae fautores et discipulos (virtutis studio »plane deditos) intueare. Dicit igitur JESUS, per»versam Judaeorum de Johanne atque se opinio»nem discipulorum vita atque factis refelli." Sed haec interpretatio neque sua se simplicitate commendat, et, quod recte monet WETT. ad l. neque cum existimatione, qua id temporis fruebantur JESU discipuli, neque cum illorum vita factisque satis convenire videtur. V.]

PAULLUS Eph. III: 10 laudat τὴν πολυποίκιλον σοφίαν τοῦ Θεοῦ, h. e. *Dei sapientiam multifariam*. Scilicet vox πολυποίκιλος, quae in N. T. non nisi h. l. occurrit, composita est e πολύς et ποίκιλος. Est autem ποίκιλος, de cuius origine ambigitur ab Etymologis (cf. SCHEIDIUS in *Etymol. l. Gr.* ad h. v.) Lat. *varius*, quomodo passim in N. T. occurrit, v. 2 Tim. III: 6. Tit. III: 3. Hebr. II: 4. XIII: 9. Ad ingenium humanum tralata vox dicitur de eo, qui *varia subito capit consilia*, unde *Scholiastes* AESCHYLI in *Prometh. vincto* vs. 308 potuit ποίκιλος exponere per συνετός. Hinc πολυποίκιλος est *admodum varius*, *multifarius*, quemadmodum παμποίκιλος est *omnibus modis varius*. Itaque interpretes *Vulg.*, BEZA et PISCATOR reddunt *multiformem*. Rectius ERASM. *vehementer variam*

et CAST. *tam variam*. Optime KREBS. et MORUS *multifariam* et REICHARDUS *multiplicem*. Dicitur autem *multifaria* sapientia, quae multis in rebus variisque modis est sapiens. Quapropter nonnulli recentiores paulo crassius dederunt, JASPIS sapientiam *immensam*, SCHLEUSN. *immensam*, *summam*, KOESSELT. in *Exerc*. l. p. 188, *admirabilem*, DOEDERL. *Inst. Theol. Christ*. § 87, Obs. 2, *immensam et admirabilem*, KOPPIUS *immensam*, *omni ex parte admirabilem*. [BRETSCHN. in Lex. *sapientiam res diversissimas, omnes complexam et diversimode sese exserentem*. V.] Laudat autem PAULLUS Dei sapientiam in eo, quod, ipso iubente, qualescunque gentes una cum Judaeis ad felicitatem, e CHRISTI amplissimo beneficio percipiendam, invitentur, eamque sapientiam dicit non tantum in Ecclesia Christ. terrestri conspicuam, sed etiam coelestibus geniis, iisque principibus patefactam διὰ τῆς ἐκκλησίας h. e. *per societatem Christ.*, cuius e collectione, constitutione et rectione, multis partibus ac modis, perspicua fiat sapientia omnino divina. [Vere igitur CALV. ad l. »Pauli verba," inquit, »hunc habent sensum, quod Ecclesia, ex Judaeis pariter »ac Gentibus collecta, quasi speculum sit, in quo »contemplantur Angeli mirificam Dei sapientiam, »quam prius nescierant. Opus enim vident sibi »novum, et cuius ratio in Deo latebat." V.] Scilicet in universa contexta oratione sermo est de eo, quod PAULLI aetate fiebat, et in quo ipse Euangelii interpres laborabat, non vero de eo, quod

iamdudum, ante CHRISTUM etiam natum, factum fuerat, ut visum fuit summo GROTIO et HAMMONDO: quorum sententiam cum KOPPIO dixerim non satis PAULLI menti convenientem. [Cf. RÜCK. ad l. V.] Quod autem hanc sapientiam coelestibus geniis hoc modo patefactam dicat Ap., in eo nihil est contrarium eorum praeclarae rerum divinarum intelligentiae. Cf. a me dicta in Diatr. vern. *de Angelis*, ed. in *Opp. Soc. Hag.* a 1811. p. 76, 77 et MORUS ad h. l. Neque in eo Apostolus quicquam docuit accommodate ad errores Judaeorum, quomodo visum est cum aliis, tum etiam P. HEMBRTO in *Diatr. de Christo, App. et Euangg. sese subinde ad plebis opiniones accommodantibus*, vern. ed. in *Opp. Soc. Theol. Teyler.* Vol. XII. p. 69, quorum sententiae quid sit opponendum docui in *Diatr.* de eodem argumento vern. ed. in *Opp. Soc. Hag.* laud. a. 1789, p. 248—257. [Legi meretur praeclara J. J. DERMOUT *Or. s.* de h. l. in *Oratt. novis*, p. 1—33. V.]

Deus, ipse sapiens, sapientiam tribuere dicitur hominibus. PAULLUS enim Eph. I: 17. coll. 16—20 dicit, se indesinenter Deum precari, ut ipse Christianis, ad quos haec data fuit epistola, largiatur *πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως*, h. e. *spiritum* divinum, cuius ope *sapientia tribuitur* et quae antea *ignota* erant, *patefiunt*, *ἐν ἐπιγνώσει αὐτοῦ*, id. q. *εἰς ἐπιγν. αὐτ.* [ita enim legendum, non *αὐτοῦ*; v. WINER. *Gr.* § 22. p. 144. V.] h. e. *ad eum* (Deum)

cognoscendum. [Cf. GROT. sed v. RÜCK., WETT. et WINER. *Gr.* § 54. p. 392 *sq.* ubi nostrum tamen locum neglexit. V] Ita enim πνεῦμα cum plerisque interpretibus, in his [CHRYSOST., CALV., GROT. V.] KOPPIO, CRAMERO et ROSENM., accipio de *Spiritu divino*, quo sapientia hominibus tribuitur, non cum MICH., A. VAN BEMMELEN in *Diss. exeget. crit. de epp. P. ad Eph. et Col. inter se collatis*, p. 76 [RÜCK. ut videtur, et WETT. V.] de *animo humano*, cui sapientia tribuitur. Quamvis enim πνεῦμα σοφίας dici possit pro πνεῦμα σοφὸν, *animus sapiens*, quomodo 1 Cor. IV: 21. Gal. VI: 1 πνεῦμα πρᾳότητος dicitur pro πνεῦμα πρᾷον, *animus mansuetus*, dici tamen simili sententià nequit, πνεῦμα ἀποκαλύψεως pro *animo*, *cui res ignotae perspectae sint.* Neque etiam, si πνεῦμα σοφίας sumatur dictum pro πνεῦμα σοφὸν, poterit σοφίας καὶ ἀποκαλ. exponi per σοφίας ἀποκεκαλυμμένης. [Omnium minime πν. ἀποκάλ. cum RÜCK. et WETT. intelligi potest de *animi capacitate ad doctrinam Dei recipiendam*. V.] Scio, in subseq. sect. id quod modo dictum fuerat, paulo explicatius enunciari per πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας ὑμῶν, εἰς τὸ εἰδέναι ὑμᾶς, κ. τ. λ.; sed nondum video, his posterioribus nihil dici, quod non iam dictum fuerat prioribus. Scil. sect. 17 divina laudatur efficacitas, sect. 18 huius efficacitatis in animis hominum fructus salutaris. Utrumque Deus dare dicitur. — Sed quomodocunque nostrum accipias locum, Deo certe datori accepta tribuitur sapientia

et cognitio, quam PAULLUS Christianis inesse dicit. Atque hactenus huic loco similis est alter Col. I: 9, ubi Ap. scribit, se precari pro Christianis, ut pleni fiant cognitione voluntatis divinae, *ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ συνέσει πνευματικῇ*. PAULLO consentit JACOBUS Ep. I: 5. Christianos monens, ut *σοφίαν*, quam sibi deesse sentiant, precibus confidenter implorent a Deo, eam omnibus large donante.

Dei *sapientia admiranda* dicitur, quippe tanta, quanta *investigari aut intelligi a nobis nequeat*. Praeclarus est hac in causa PAULLI locus, Rom. XI: 33, 34, ubi admiratur Apostolus Dei sapientiam in eo conspicuam, quod, cum cunctae gentes peccatorum poenis sint dignae, cunctis tamen poenarum immunitas et salus sit procurata. *Deus enim*, inquit sect. 32, *omnes*, Judaeos aeque ac alienigenas, *in contumacia perseverare sivit*, *ut omnium* eorum aliquando *misereatur*. Cuius rei cogitatione commotus PAULLI animus in has erumpit divinae sapientiae laudes: *ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ*. In hoc igitur instituto divino agnoscit *et sapientiam et intelligentiam divinam*, eamque *permagnam* et humana mente *haud pervestigandam*. *Magnitudinis*, *copiae*, *abundantiae* notio est in v. *πλοῦτος*, eadem sententia, qua C. II: 4 Dei laudatur *πλοῦτος τῆς χρηστότητος καὶ ἀνοχῆς*, *καὶ μακροθυμίας*, et Eph. I: 7. II: 7, *πλοῦτος τῆς χάριτος*. Ut adeo *πλοῦτος τ. σοφ. κ. γνώσ.* h. l. idem significet, quod Col. II: 3 *οἱ θησαυροὶ*

τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως, ubi modo sect. 2 praecesserat *πᾶς πλοῦτος τῆς πληροφορίας συνέσεως*. Itaque non possum in GROTII ire sententiam, qui per *πλοῦτον bonitatem*, *benignitatem*, *beneficium* divinum indicari putat, consentientibus KREBSIO in *Lex*. v. *πλοῦτος* n. 2. C. F. SCHMIDIO, ROSENM. et SCHLEUSN. in *Lex*. v. ead. n. 3, qui frustra provocant, hanc notionem probaturi, ad C. II: 4. Eph. III: 8. Phil. IV: 19. [Cf. tamen FRITZSCH., qui, etsi v. *πλοῦτον* non *benignitatis* notionem tribuit, tamen illam aeque ac seqq. *σοφ*. *κ*. *γνώσ*. a v. *βάθος* suspensas esse existimat, atque h. m. interpretatur: *o copiosam Dei opulentiam et abditam eius sapientiam ac scientiam*, addens, »Dei divitias »aeterna Dei omnipotentia contineri, — inexhau»stas Dei opes, quibus homines locupletet, idcirco »esse, quia et sempiternus Deus sit et omnipotens." Vid. et THOLUCK., ed. 1842, qui fuse inprimis contra REICH. hanc sententiam propugnat: quae mihi quoque praeferenda videtur, maxime propter C. X: 12, ubi Deus ab Apostolo vocatur *ὁ αὐτὸς κύριος πάντων*, *π λ ο υ τ ῶ ν εἰς πάντας τοὺς ἐπικαλουμένους αὐτόν*. V.] *Τὸ βάθος* dicitur de *profundo*, quod adeo oculis expositum non est, ac per metaph. quod mente pervestigari nequit. Cff. dicta ad 1 Cor. II: 10, 11. Iunguntur autem duo substantiva, sibi invicem constructa, *βάθος πλούτου*, ex Hebr. consuetudine, ita ut prius sive regens adiectivi loco ponatur, ac si scriptum esset *βαθὺς πλοῦτος*, quemadmodum C. VI: 4, *καινότης ζωῆς*

dicitur pro *καινὴ ζωή*, et C. XV: 29, *πληρώμα εὐλογίας* pro *πλήρης εὐλογία*. Alia suppeditabo exempla in *Intr. in N. T.* P. I. C. XI. § 9 ([1]). Hinc [CALV. V.] BEZA et PISCATOR reddiderunt *profundas divitias*. CAST. *altam opulentiam*. MORUS *incomprehensam magnitudinem*. KOPPIUS *immensas divitias*. JASPIS *immensam magnitudinem*. [FRITZSCH. »*opu*»*lentiae profunditas*," inquit, »i. e. opulentiae »amplitudo, i. q. copiosissima opulentia." V.] Cum vero duplex h. l. occurrat metaphora, una a *thesauro*, altera a *profundo* ducta, possis tropum interpretari, tanquam a *thesauris alte reconditis* sumtum. In caeteris nihil est, quod nos moretur. Pergit Apostolus, eadem usus oratione concitata, hunc in modum: *quam recondita sunt eius decreta!* (*κρίματα*): *quam occulta eius instituta!* (*ὁδοί*). *Quis enim* (verba sunt ex Jes. XL: 13 sumta) *Dei*

([1]) Exempla a cl. Scriptore l. l. allata, haec sunt: »*ταπείνωσις τῆς δούλης*, pro *ταπεινὴ δουλὴ* Luc. I: 48; *ἐπαγγελία τοῦ πνεύματος* pro *ἐπαγγελλόμενον πνεῦμα* Act. II: 33. Gal. III: 14; *πλοῦτος τῆς χρηστότητος* pro *πλουσία χρηστότης* Rom. II: 4; *μωρία τοῦ κηρύγματος* pro *μωρὸν κηρύγμα* 1 Cor. I: 21; *ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως* pro *ὑπερβάλλουσα δύναμις* 2 Cor. IV: 7; *δόξα τῆς χάριτος* pro *ἔνδοξος χάρις* Eph. I: 6; *ματαιότης τοῦ νοὸς* pro *μάταιος νοῦς* C. IV: 17; *στερέωμα τῆς πίστεως* pro *στερεὰ πίστις* Col. II: 5; *ἀδηλότης πλούτου* pro *ἄδηλος πλοῦτος* 1 Tim. VI: 17; *ἀρχὴ τῆς ὑποστάσεως* pro *πρώτη ὑπόστασις* Hebr. III: 14; *πρόθεσις τῶν ἄρτων* pro *προτεθέντες ἄρτοι* IX: 2; *περισσεία κακίας* pro *περισσὴ κακία* Jac. I: 21; *ἐπαγγελία τῆς παρουσίας* pro *ἐπαγγελλομένη παρουσία* 2 Petr. III: 4." V.

mentem perspexit? Aut quis ei consuluit? [Cf. de his GROT. FRITZSCH. THOLUCK. V.]

Sapientia etiam in iis agnoscenda est Dei institutis, quae stulta videntur hominibus, docente PAULLO 1 Cor. I: 25. Scilicet in eo est Apostolus, ut doctrinam a CHRISTI legatis Deo iubente denunciatam, opponat Sophistarum, maxime Graecorum placitis et inventis. Hi, mortalium sapientissimi sibi visi, simplicem illam de JESU CHRISTO cruci fixo, hominum conservatore ac domino, doctrinam repudiabant, tanquam vanam ac stultam: cum tamen in ea omnium maxime Dei sapientia *et* conspicua esset *et* agnosceretur ab omnibus fidem Euangelio habentibus, atque hac fide beatis futuris. *Doctrina* inquit sect. 18, *de crucis supplicio*, quod sustinuit CHRISTUS hominum conservandorum causa, *ab iis*, *qui*, neglecto salutari nuncio, *pereunt*, *stulta habetur*, *a nobis vero*, *qui*, fide ei habita, *servamur*, *efficax habetur* salutis *remedium divinitus datum*. (19). Ita *enim* evenit, quod a Vate JESAIA, C. XXIX: 4, *scriptum est: abolebo*, inquit Deus, *sapientum sapientiam*, *et irritam faciam intelligentium intelligentiam*. (20). *Ubinam* igitur sunt isti, *hoc tempore sapientiae operam dantes? Ubinam literati? Ubinam disceptatores?* Quid praestant laude dignum, si cum Euangelii doctrina comparetur? *Nonne Deus* satis *probavit*, *profanam plerorumque hominum sapientiam esse stultam?* (21). *Quandoquidem enim isti homines* sua, qua sibi pla-

cent, *sapientia* transversum acti, *in Dei sapientia*, quam Euangelii doctrina demonstravit ([1]), *Deum haud agnoverunt*, *Deo visum est*, *per* huius *nuncii*, quam dicunt, *stultitiam* (s. per hunc, quem dicunt, stultum nuncium) *conservare fidem* ei *habentes*. (22). Ita igitur Deus pro sapientia sua instituit, *quandoquidem et Judaei signa mirifica petunt*, *et Graeci sapientiam quaerunt* vanam. (23). *Nos autem*, Deo iubente, neutri desiderio satisfacientes, *denunciamus Christum crucifixum*, humani generis Conservatorem, *quae res ab Judaeis habetur impedimentum nullo modo superandum*, *a Graecis vero stulta habetur*: (24) nec tamen ab omnibus: *quicunque* enim, *cum Judaei*, *tum alienigenae*, ad societatem Christ. sunt *convocati*, his denunciamus *Christum*, in quo *Dei vis* salutaris *Deique sapientia* sunt conspicuae. (25). *Etenim τὸ μωρὸν τοῦ Θεοῦ* h. e. *quod* ab hominibus profanis et impiis *dicitur stultum* in *Dei* institutis, *σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστὶ*, h. e. *sapientiam humanam superat*, [cf. WINER. *Gr.* § 36, p. 223. V.] *καὶ τὸ ἀσθενὲς τοῦ*

([1]) Mihi h. *ἐν τῇ σοφίᾳ τ. Θ.* intelligenda videntur de *sapientia Dei* in omnibus pristinis eius institutis conspicua; atque adeo non tantum in rerum omnium procreatione et moderatione, quae est CHRYSOST., CALV., GROT., OLSHAUS. sententia; verum etiam in patefactione veteri; quarum illam non agnoverant Graeci, hanc Judaei: cui interpretationi et WETTIUM subscribere video. Male certe RÜCK. *sapientiam Dei* in eo conspicuam, quod, ipso moderante, mundus eum non cognoverit, intelligi vult, satis superque refutatus a WETT. V.

Θεοῦ *ἰσχυρότερον τῶν ἀνθρώπων ἐστὶ*, h. e. *et quod in Dei* institutis *nihil valere dicitur*, *vim superat humanam*. [Legi meretur tota CHRYSOST. de h. l. *Hom*. quae est *quarta* in 1 ad *Cor*. ep. V.]

Denique Deus non uno loco dicitur *μόνος σοφὸς*, *qui solus sapientia gaudet omnibus numeris perfecta*, cui adeo nihil inmixtum sit inscitiae, erroris aut qualiscunque vitii, quod hominum etiam intelligentissimis ac sapientissimis adhaerere soleat. Ita certe PAULLUS in ea sectione, quae in vulg. edd. claudit totam epistolam (C. XVI: 27); sed quae a PAULLO videtur, una cum duabus antegressis subiecta Capiti XIV. Hoc enim loco leguntur sectt. 25—27, in codd. A. J. et aliis 114, nimirum 106 a GRIESB. laudd., 7 a MATTHAEIO, in 2 N. T. ed. additis, et uno, quem PAPPELBAUMIUS contulit; porro in vers. *Arab. p.*, *Slav.* et *Armen.* edd., item in libris CHRYSOST., CYR., THEODOR., THEOPHYL., OECUM. et THEODULI. Ac profecto huic loco aptius conveniunt istae 3 sectt., quam epistolae fini. Etenim C. XIV sermo fit *περὶ ἀσθενῶν*. Hos igitur optat P. *στηριχθῆναι* a Deo. Mox vero C. XV: 1, denuo de iis addit: *ὀφείλομεν καὶ ὑμεῖς τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων βαστάζειν*. Cff. plura hac de causa monita in *Intr. in N. T.* P. II. C. VII. sect. 2. § 2 ([1]). Laudat autem Apostolus

([1]) Quae cl. Scriptor l. l. hac de causa monuit, haec sunt: »MARCION, ref. ORIGENE in *Comm. ad Rom.* XVI: 25—27 ex inter-

Dei *sapientiam*, maxime in eo conspicuam, quod Euangelii doctrinam, antea ignotam, nunc per

---

»pret. RUFINI, non tantum illum locum *de h. epistola abstulit, sed* »*et ab eo, ubi scriptum est:* OMNE AUTEM, QUOD NON EX FIDE EST »PECCATUM EST (C. XIV: 13) *usque ad finem cuncta dissecuit*. Cuius »quidem rei in placitis MARCIONIS nulla inveniri potest causa. Veri »igitur est simile, codicem eius hac parte fuisse mutilum." [Cf. tamen BERTHOLDT *Einleit*. p. 3299, et FEILMOS. *Einleit*. p. 409 sq. V.]. »Neque etiam duobus ultimis capp. quicquam inest, quod »alienam manum prodat."

»Quae in vulg. edd. tres sectiones ultimae leguntur, iam pridem »alio atque alio loco scriptae fuerunt, a nonnullis etiam Codd. »abfuerunt. RUFINUS enim l. l. refert, hanc partem in exemplari»bus a MARCIONE non depravatis diverse positam inveniri; in non»nullis enim Codd. eam cohaerere cum C. XIV: 23. HIERONYMUS »vero ad Eph. III: 5 monet, hanc partem *in plerisque Codd. in*»*veniri*. Atque eadem diversitas deinceps locum obtinuit atque »hodiedum cernitur. Nam tres hae sectt. proxime adhaerent Capiti »XIV in Codd. A. J. et aliis 114, nimirum 106 a GRIESB. laudd., »7 a MATTHAEIO in N. T. ed. 2 additis, et uno, quem PAPPELBAUMIUS »contulit; porro in verss. *Arab. p.*, *Slav.* et *Armen.* edd.; item in »libris CHRYSOST., CYR., THEODOR., THEOPHYL., OECUMEN. et THEODULI. »Contra ad fin. ep. positae leguntur in Codd. B. C. D*. E. 16, 80, »in verss. *Syr. Ar. Erp. Copt. Aeth. Vulg.* et in libb. RUFINI, »AMBROSIASTRI, PELAG. caeterorumque Latinorum. Hac diversitate »factum est, ut a nonnullis utroque loco haec pars scripta fuerit, »ut a DAMASCENO (ref. MATTHAEIO) et in Codd. A. 17, item in qua»dam versionis *Armen.* ed.; ab aliis vero plane omissa fuerit, ut »in MARCIONIS codd., in nonnullis ab HIERONYMO indicatis et hodiedum »in D** F. G." [Alios etiam codd. memoratos v. a SCHOLZ. ad l. V.]. »Quodsi vero ad internam lectionum bonitatem attendas, »nihil est, quod suadeat, ut credamus, hanc partem esse vel ab »aliena manu profectam," [est enim eius indoles *prorsus paullina*, quod egregie probavit FRITZSCH. *Comm.* t. I. *Prolegg.* p. XXXVIII-XLIII. V.] »vel bis a PAULLO scriptam. Porro, locum si quaeras, cui »ea aptius conveniat, utique dicendus est finis Cap. XIV. Ibi enim

Vatum scripta in lucem protractam, cunctis denunciari curaverit gentibus, fidem ei habituris. Com-

---

»sermo fuerat *περὶ ἀσθενῶν.* Hos igitur optat *στηριχθῆναι* »a Deo. Mox vero C. XV: 1, denuo de iisdem addit: *ὀφείλομεν* »*καὶ ἡμεῖς τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων βαστάζειν.* Unde »etiam BEZA in 1 et 2 ed., GROT., MILL., HAMMOND., WETST., SEML., »MORUS, GRIESB., BOWYER., HARWOOD., MATTH., C. F. SCHMID., BOLTEN. »et VLOTENIUS hanc professi sunt sententiam. Dissentiunt tamen »BEZA in ultimis edd., BENGEL., KOPPIUS, HAMELSV., KLINKENB. C. F, »BOEHMIUS in *praef.* praem. *Comment.* in h. ep. ed. Lips. 1806. »p. XXII—XXIV" [FRITZSCH. l. l. p. XLIII—XLVI, THOLUCK. *Einleit.* p. 5, 6 et WETT. ed. 3a. V.] »vulgatam secuti editionem. Singu»larem professus est sententiam MICHAEL. qui in *Isag.* § 47 (ad quam »cf. MARSHIUS) et in *Biblioth. Or. et Exeg.* XII: 49, utroque loco »servatam cupit hanc bene precandi formulam. Contra vero GRE»VIUS in *ann. Crit.* ad h. ep. vers. Belg. et SCHMID. in *Isag.* § 97, »98, eam utrobique tanquam spuriam reiiciunt."

»Hac igitur admissa sententia, sub finem epistolae invenimus »bene precandi formulas, alias aliis additas. Prima est ad fin. »C. XIV; secunda C. XV: 33; tertia C. XVI: 20; quarta s. 24. »Quae res cum a PAULLI consuetudine videatur aliena, varias pepe»rit virorum dd. coniecturas. Ac primus quidem HEUMANNUS in »*ann.* ad h. ep. credidit, PAULLUM, cum epistolam claudere volue»rit, identidem alia atque alia addidisse: quae coniectura etiam »MORO, HAMELSV. et aliis placuit. SEMLERUS vero in *Diss. de duplici* »*append. ep. ad Rom.* C. XV, XVI. Hal. 1767, una cum addi»tamentis adiecta *Paraphrasi* huius ep. ib. 1769, p. 277—311, »sibi persuasit, utrumque hoc caput non Romanis, sed aliis a P. »destinatum, serius tandem huic epistolae fuisse adiunctum. (Cf. »etiam eius *Paraphr. 2 ep. ad Cor.* p. 238 sq. et praef. p. »XVI—XIX.) Quam quidem opinionem idoneis argumentis refelle»runt J. C. SCHULTZIUS in *Additam.* ad BOWYERI *coniecturas in N. T.* »ex Angl. sermone in Germ. versas, Vol. II. Lips. 1775, p. 385—397. »J. B. KOPPE in *Exc.* II. ad h. ep. *perpetua adnotat. illustratam*, »Goett 1783, et HUG. *Isag.* § 106. Aliam coniecturam proposuit »GRIESB. in *Curarum in hist. text. Gr. epp. P.* Spec. I. Jen. 1777.

parari igitur haec collaudatio potest cum altera, C. XI: 33, 36. Quodsi vero P. *Dei sapientiam*

»Sect. II. § 3, arbitratus, PAULLUM finitae ep. C. XIV: 23, mox »adiecisse tres istas sectiones (C. XVI: 25—27) in separata qua»dam scedula scriptas; eum porro alia in scedula scripsisse nomina »amicorum quorundam, qui suo nomine Romanos salutari cupie»bant, (C. XVI: 21—23); in alterutra vero pro more suo adiecisse »bene precandi formulam (sect. 24), quam alii codd. epiphone»mati sect. 25—27 anteponunt, alii postponunt; porro, cum »nondum praesto esset tabellarius, Apostolum resumsisse orationis »filum, qui s. ob deficientem membranam, s. propter tabellarium »mox exspectatum, s. alia quacunque de causa, abruptus fuerat, »eaque perscripsisse, quae C. XV toto leguntur, una cum clau»sula huius appendicis, sect. 33, tandem aliam accessisse schedu»lam, complectentem C. XVI: 1—20, hanc igitur causam esse, »quare deinceps in describendis tot schedulis, alii alium secuti »fuerint ordinem. Quae GRIESBACHII coniectura mihi quidem" [ita et BERTHOLDTO et FRITZSCHIO ll. ll. V.] »nimis artificiosa videtur, »nec satis conveniens iis, quae de scribis a PAULLO adhibitis mo»nuimus. Denique EICHHORN. *Isag.* §§ 229, 232, 234, coniecit, »epistolae perscriptae usque ad fin. C. XIV, deficiente membrana, »additum fuisse in schedula singulari epiphonema C. XVI: 25—27; »PAULLUM vero, opportunitatem epistolae tabellario tradendae ex»spectantem, adiecisse primum quidem appendicem C. XV; deinde »commendationem PHOEBES cum salutationibus et interposita admo»nitione C. XVI: 1—24, in qua tamen nonnulla deprehendisse sibi »videtur Criticus, quae haud satis epistolae ad Rom. datae con»veniant, sed videri possint ad Corinthiacam pertinere ecclesiam. »In utroque autem fallitur EICHHORNIUS. Etenim severioris admoni»tionis C. XVI: 17—20, quam perscriptae epistolae addidit P., »causa esse potest, vel in aliquo nuncio, ipsi de Rom. ecclesia »allato, vel etiam in animo commoto Apostoli, suam epistolam »relegentis, cuius quidem animi simile exstat documentum 1 Cor. »XVI: 22. Certe Corinthiis PAULLUS hoc quidem tempore noluit »scribere, qui Corinthi cum maxime versabatur." [Cf. inpr. FEILMOS. § 105, p. 409 sq. et BERTHOLDT. p. 3303 seqq. qui cuncta

voluerit opponere *humanae*, fortasse non temere coniicias, oblique ab eo fuisse notatam eorum vanitatem, qui caeteris sibi videbantur sapientiores, in sententia sua de ciborum usu propugnanda.

Non dissimilis est locus e 1 Tim. I: 17, ubi PAULLUS *μόνῳ σοφῷ Θεῷ* summas dicit laudes, quippe qui suam sapientiam in eo etiam manifestaverat, quod hominem, *ἁμαρτώλων πρῶτον*, interitus periculo eripuerit, eique poenas commeritas remiserit, ut quibuscunque hominibus exemplum

---

integra habet, nihilque mutandum esse censet. Singularem GRATZII sententiam commemorat SCHOTT. *Isag.* § 59, p. 252. Ipse l. l. totum Cap. XVI compositum esse putat e *fragmentis diversis* alius cuiusdam ep. brevioris, (maximam partem amissae), quam PAULLUS *Corinthi* ad coetum quemdam Christ. in Asia minori versantem dederat, ita ut, qui *schedulas singulas*, haec fragmenta exhibentes, *sensim, sensimque deprehendisset*, continua serie unum alteri adiecerit. FRITZSCHIUS vero, reiectis cunctis illis coniecturis, statuit, PAULLUM, absoluta epistola C. XVI: 24, quum eam vel ipse legisset, vel ab alio lectam audivisset, epistolae argumento valde commotum, piam, quae cum epistolae consilio et argumento congrueret, doxologiam literis suis subiiciendam dictasse: »quum" vero »doxologia in ep. clausulâ collocata Christianis Sec. II aut III *et* quia P. non alias literas doxologiâ conclusisset, *et* quoniam *post votum*, quo suas epp. terminare consuevisset — posita esset, exilii, quo male affecta esset, suspicionem iniecisset, falsa verborum *τῷ δὲ δυναμένῳ ὑμᾶς στηρίξαι κ. τ. ε. μ.*, quae perperam ad infirmiores Christianos, de quibus C. XIV disputatum esset, referrentur (ei, qui potest *vos qui estis parum firmi roborare secundum* meam doctrinam), interpretatio fecit, ut qui illam in patriam reducere voluissent, post XIV: 23 locandum ducerent." Quae FRITZSCHII sententia sua facilitate mihi quidem magnopere se commendare videtur. Vid. et THOLUCK. l. l. et WETT. l. l. V.]

esset summae clementiae et misericordiae divinae. Ne dicam, hanc sapientiae laudem potuisse consulto tribui τῷ βασιλεῖ τῶν αἰώνων ἀφθάρτῳ, ἀοράτῳ, ut contradiceretur vanis eorum commentis, qui naufragium fidei vel fecerant, vel facturi erant. [Observandum tamen est, v. σοφῷ in multis Codd. Verss. et Patrum libb. non haberi; unde a GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHENDORF. e textu eliminatum est. WETTIUS sumtum illud esse e Rom. XVI: (XIV) 27 existimat. V.]

Denique his adiungendus foret locus Jud. 25, ubi Apostolus quoque Deo laudes tribuit, nisi illud σοφῷ, quod in vulg. est ed., videretur e textu eliminandum, quippe a librariis, eiusmodi formulae assuetis, adiectum e ll. PAULLI parallelis. Abest enim ab antiquissimis iisque optimis Codd., item verss. et Patrum libris, de quibus consulatur GRIESB. [et SCHOLZ. V.]

DEUS LIBERE VOLENS.

MATTH. XI: 26. C. XX: 15. ROM. IX: 7—23 ET ALIIS LOCIS.

Deo in N. T. *voluntas* adscribitur, θέλημα Matth. VI: 10. 1 Cor. I: 1 al., θέλησις Hebr. II: 4., βουλὴ Luc. VII: 30. Act. IV: 28 al., βούλημα Rom. IX:

19, εὐδοκία Matth. XI: 26. Phil. II: 13, al., βουλὴ τοῦ θελήματος Eph. I: 12, ὡρισμένη βουλὴ Act. II: 23, εὐδοκία τοῦ θελήματος Eph. I: 5, πρόθεσις Rom. VIII: 28. IX: 11, al., πρόγνωσις Act. II: 23. 1 Petr. I: 2. Dicitur et Deus propterea θέλειν et ἐθέλειν Matth. IX: 13. Rom. IX: 18, 22, al., βούλεσθαι Luc. XXII: 42. 2 Petr. III: 9 al., εὐδοκεῖν Matth. III: 17. 1 Cor. I: 21. εὐαρεστεῖσθαι Hebr. XIII: 16, ὁρίζειν Act. XVII: 26, 31 al., προορίζειν Act. IV: 28. Rom. VIII: 29, al., προγινώσκειν ib. et 1 Petr. I: 20, al., προτιθέναι Eph. I: 9 et διατιθέναι Luc. XXII: 29.

Laudatur autem *libertas* voluntatis divinae, maxime in rerum humanarum gubernatione, quae contraria est hominum voluntati, desiderio et exspectationi.

Sic Conservator noster Matth. XI: 26 cl. 25 laudat Dei εὐδοκίαν ([1]), qua doctrinae coelestis denunciationem, antea a JOHANNE B., deinde ab ipso factam, sectt. 18, 19, ita praeceperit ac moderatus fuerit, ut eius veritatem ac vim salutarem mente haud perciperent, qui tum inter Judaeos sapientiae et intelligentiae laude florebant, (σοφοὶ καὶ συνετοὶ), contra vero eam assequerentur rudiores et imperitiores (νήπιοι), s. 25. [CHRYSOST. οὐδὲ εἶπεν, ἀπεκάλυψας μωροῖς, ἀλλὰ νηπίοις, ἀπλάστοις, φησὶν, ἀφελέσι. V.] Scilicet hi veri

---

([1]) De h. v. vid. GROT. ad Matth. III: 17. V.

erant studiosi, dociles, modesti; illi vero suis addicti opinionibus, indociles, arrogantes: hi emendari volebant, non illi. Cf. Luc. VII: 24—35, imprimis sectt. 29, 30 cum nostro loco sectt. 7—30, imprimis 28—30. Quibus collatis quisque videt, has divinae εὐδοκίας laudes optime convenire caeteris a CHRISTO ea opportunitate dictis. Itaque non est, quod cum KUINOELIO ad aliud tempus haec remittamus, a LUCA indicatum C. X: 21. Certior enim nobis est testis MATTHAEUS in rerum gestarum serie concinnanda. Cff. dicta in *Intr. in N. T.* P. II. C. I. § 9 ([1]). Neque opus est, ut cum STORRIO in *diss.* I. *in librorum N. T. historic. ll.* Tub. 1790, rep. in *Opuscc.* eius *Acad.* Vol. III. p. 29‘ ταῦτα sect. 25, ad subsequentia sect. 27 referamus, [imo vero, quod recte monet FRITZSCH. ad l. »pessime ista se habet opinio, non modo, quod — »non potest quisquam volens prudensque per Pro»nomen ut iam illustrata ponere, quae posthac »se illustraturum constituit, sed etiam, quod v. »27 non tam de doctrina, quam de maiestate »ornamentisque omnibus, quotquot divinitus ad »JESUM accesserunt, clarissime sermo est." V.] Id ipsum etiam valet de LUCAE loco parall., quem modo laudavimus. Nolo enim in dubitationem trahere, quod disertis tradit verbis Euangelista, de his ipsis a CHRISTO dictis ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, qua septuaginta discipuli ex itinere ad eum redierant.

([1]) Vid. harum *Animadvv.* p. 10, 11. n. 2. V.

Cum igitur videret Conservator noster tot viros simplices ac literarum rudes felicissime versatos in ferendo regni divini nuncio ad sui similes, simul autem cogitaret tot viros multo doctiores, sed a fide et intelligentia doctrinae coelestis alienos, potuit iterum in has *εὐδοκίας* divinae laudes erumpere.

Christus quoque Matth. XX: 15, divinae voluntatis arbitrium laudat, in remunerando labore, quem legati eius ac ministri impendunt, alii faciliorem, alii difficiliorem, alii longiore, alii breviore tempore. Docet enim, Deum in eo ita versari, ut qui dissimili praemio digni videantur, aequalia interdum reportent. Quod ut intelligant discipuli, ac praecipue PETRUS, sibi suisque sociis insignia promittens praemia bene merita (cf. C. XIX: 27), utitur CHRISTUS parabola, ducta a patrefamilias, qui operarios, diversis diei horis conductos, in vineam miserat, exacto autem die singulis aequalem distribuebat mercedem. Quod cum aegre ferret unus ex iis, qui integrum diem laborando consumserant, hoc ab hero tulit responsum: ἢ [quod a LACHM. reiectum est, sed retinendum videtur. Cf. WETT. ad l. V.] *οὐκ ἔξεστί μοι ποιῆσαι ὃ θέλω ἐν τοῖς ἐμοῖς; nonne mihi licet pro lubitu mea impendere?* [FRITZSCH., quem sequitur WETT., *ἐν τοῖς ἐμοῖς* vertit *in rebus meis*, *(in meinen Angelegenheiten)*. Male, ut mihi quidem videtur. Cf. Matth. XXV: 27. Luc. XV: 31. Caeterum prae-

clare GROT. ad h. l.: »Neque ideo cogitandum est," inquit, »nihil aliud dici posse pro divina dispen»satione, quam illud *sic volo*, *sic iubeo*, cum »huius ipsius dispensationis causae alibi saepius »reddantur tales, quae divinam sapientiam maxime »deceant. Sed is mos est Deo: humiliter se ve»nerantibus exactas saepe reddit consiliorum suorum »rationes, ut Gen. 18, contumacibus iure imperii »silentium indicit; quasi Rex crassis hominibus de »lege aequissima querentibus diceret: vobisne ego »consiliorum meorum rationem reddam?" Praeterea h. l. omnino attendendum est ad seqq.: ἢ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρός ἐστιν, ὅτι ἐγὼ ἀγαθός εἰμι; V.]

PAULLUS Rom. IX: 7—23, gravi oratione defendit sanctum Dei arbitrium in beneficiis tribuendis, vel negandis cum universis gentibus, tum etiam singulis hominibus, ut ita reprimeret fastum Judaeorum, calumniantium, iniuriam sibi illatum iri, promissaque divina, Israelitis prae alienigenis facta, irrita fore, si nationes exterae vel iisdem mactarentur, vel maioribus etiam beneficiis, repudiatis Judaeis. Utitur autem Apostolus in ea defensione cum exemplis, tum etiam aliis documentis, ductis ex ipsa Israelitarum historia, librisque eorum sacris. Primum quidem sectt. 7–9 adhibet exemplum ISAACI et ISMAËLIS, qui uterque fuit prognatus ab ABRAHAMO, de quo proavo suo valde gloriabantur Judaei. Deus enim singularia beneficia *Abraha-*

midis, nominatim ISAÄCO huiusque prosapiae destinaverat, non ISMAËLI et *Ismaëlitis*. Quocirca Deus ABRAHAMO Gen. XXI: 12: *ἐν Ἰσαὰκ*, inquit, *κληθήσεταί σοι σπέρμα*, h. e. *in* ISAÄCO *tua censebitur posteritas*, quo manifestum fiat, Deo pro filiis, paterno favore amatis, reputari non quoscunque *naturae lege natos (τὰ τέκνα τῆς σαρκὸς)*, sed nominatim *natos* beneficio *promissoque* divino *(τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας)*. [Cf. inprimis WETT. V.] Ita enim res comparata erat cum ISAÄCO, qui natus erat SARAE et ABRAHAMO, iam per aetatis imbecillitatem viribus ad sobolem procreandam deficere visis, Cf. Gen. XVIII: 10. Rom. IV: 16—20, [Vid. inprimis FRITZSCH. V.], et vero etiam cum omnibus iis, qui etiamnum divina virtute gignantur et *Abrahamidis* accenseantur, quippe huius indolem referentes. Cf. Joh. I: 12, 13. III: 6. 1 Petr. I: 23, imprimis Rom. IV: 11—15. [Gal. III: 7. V.] Aliud exemplum, idque priori luculentius, sumit PAULLUS sectt. 10—13, a JACOBO et ESAVO, natis non tantum ex eodem patre ISAÄCO, sed et ex eadem matre REBECCA, et uno quidem partu editis. Vel sic tamen, antequam hi nati erant pueri, aut quicquam vel boni vel mali fecerant, Deus ita constituerat, suamque matri voluntatem significaverat, qua futurum esset, ut natu maior subiiceretur natu minori. Cf. Gen. XXV: 21—23. Quae quidem praesignificatio eventu fuit probata, postquam ESAVI posteri *Israelitis* fuere subiecti, ut adeo Deus, interprete MALACHIA C. I: 2—4, Ju-

daeis ingratis et querulis responderit: *nonne* ESAVUS *erat* JACOBI *frater? Attamen* JACOBUM *amavi*, h. e. Israelitas amore, favore et auxilio prosecutus sum, ESAVUM *vero aversatus sum*, h. e. Idumaeis favorem et auxilium denegavi, sect. 13, coll. Luc. XIV: 26 cum Matth. X: 37. [Cf. inprimis GROT. V.] *et montes eorum vastavi, effecique, ut tractus eorum inhabitent dracones: quod si dicerent Idumaei: graviter quidem afflicti sumus, sed instaurabimus diruta, ita dicit Jehova potentissimus: si aedificent, ego destruam, diceturque de iis, regio est pessima et populus, cui Deus semper indignatur.* Quod igitur Deus olim REBECCAE praesignificaverat, deinde vero praestiterat, JACOBUM eiusque posteros maioribus ornans beneficiis, quam ESAVUM huiusque progeniem, id factum fuit, *ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ Θεοῦ* [ita enim legendum videtur cum WETST., GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHENDORF. pro *τοῦ Θεοῦ πρόθεσις*, V.] *μένῃ*, h. e. *ut id, quod sibi Deus pro libera electione proposuerat, ratum maneret, οὐκ ἐξ ἔργων, non e factis*, quibus hoc beneficium meriti fuissent Israelitae, *ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος, sed ex* voluntate *eius, qui* ad sua beneficia percipienda *vocat*, h. e. *invitat* iisque frui *iubet*, quoscunque vult, sect. 11, cl. s. 24 et Jes. XLI: 8, 9. [Cf. inprimis WETT. V.]. Novum arbitrii divini documentum Apostolus sect. 15 exhibet, oppositum dubitationi repetitae sect. 14, ductum ex Exod. XXXIII: 18, 19. Scilicet MOSES, quum a Deo expeteret hoc singularis favoris

documentum, ut divinam intueretur faciem, hoc Dei benigne annuentis responsum tulit: *favebo, cui faveo, et benignus ero, cui sum benignus*, h. e. singularia favoris mei documenta praebebo, cui iam ultro ea praebui, non quidem precibus aut voluntate eorum motus, sed mea ad id benignitate inductus. Unde etiam efficit PAULLUS sect. 16: *ἄρα οὖν* (supple *ἡ υἱοθεσία*) *οὐ τοῦ θέλοντός (ἐστιν). οὐδὲ τοῦ τρέχοντος, ἀλλὰ τοῦ ἐλεοῦντος Θεοῦ*, h. e. *itaque Dei sunt filii*, singularibus paterni favoris documentis beati, *non quicunque eam felicitatem volunt* et flagitant suo quodam iure, *aut* ad eam consequendam *currunt*, multumque laboris et sudoris impendunt, *sed quorum Deus miseretur*. Aliud exemplum exhibet PAULLUS, summum a PHARAONE, quo doceat arbitrium divinum in infligendis calamitatibus sect. 17. Scilicet Deus olim, narrante MOSE, Ex. IX: 16, dixit saevo Aegyptiorum regi: *εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε*, Hebr. הֶעֱמַדְתִּיךָ, h. e. *vitae periculo te eripui*, (ut adeo *ἐξεγείρειν* proxime conveniat cum *ἐγείρειν* Jac. V: 15, et cum הֶעֱמִיד *superstitem facere*, cl. Ex. XXI: 21. Jer. XXXII: 14, et cum Gr. *διατηρεῖν*, quo usi sunt interpretes Alex. [cf. GROT. Vid. tamen FRITZSCH. et WETT. V.]), *ut in te ostenderem potentiam meam, et ut nomen meum ubique terrarum praedicaretur*. Haec interpretatio apprime convenit orationi contextae, [quod frustra negat CALV. V.]: nam Deus potuerat impium et contumacem PHARAONEM interficere, quemadmodum eius filium pri-

mogenitum mori iusserat; at noluerat Deus patrem extinguere, ut luculentior deinceps foret ipsius potentia et maiestas in iis, quae PHARAONI imminerent crudelitatis poenae commeritae. Atque ex hoc et superiori exemplo ita infert PAULLUS sect. 18: *itaque cuius vult miseretur, et quem vult, σκληρύνει, obfirmat, pervicacem facit, beneficiis non emendans*. Ita enim σκληρύνειν alibi adhibetur Hebr. III: 8, 15. IV: 7 et a τοῖς ὁ in hac ipsa PHARAONIS causa Ex. IV: 21. VIII: 19. IX: 12. X: 20, 27. XI: 10. XIV: 4, 8, 17, ad חִזֵּק, item C. VII: 3 ad Hebr. הִקְשָׁה. Porro occurrit P. dubitationi sect. 19, qua dicitur tum non remanere hominibus culpam, ubi Deus pro arbitrio de hominibus constituat. Scilicet provocat Apostolus tum ad ius Dei in omnes res procreatas, tum ad fines optimos Deoque dignos, quos habeat. Alterum quidem fit sectt. 20, 21, comparatione facta cum figulo, quem reprehendi minime oporteat a vase argillaceo, quod formaverat, propterea quod non aliter formatum sit et ad meliorem usum constitutum: etenim illud εἰς τιμὴν et εἰς ἀτιμίαν esse de *usu* vasorum *magis minusve honesto* interpretandum docet locus 2 Tim. II: 20. Attamen neque in summa hac arbitrii divini libertate deesse sapientiam et iustitiam, contra vero omnem eam libertatem ad leges iusti et aequi, in Deo sanctissimo, esse attemperatam cogitandam, non difficulter cogitur ex loco Jes. XLV: 9, coll. sectt. 1—13, maxime vero ex Jer. XVIII: 5—10, quem locum

fortasse ante oculos habuit PAULLUS. Alterum, quo hanc rem illustrat, et dubitationem diluit, ductum est e consilio Dei sapientissimo ac iustissimo, quo *et* in poenis *et* in beneficiis distribuendis ducitur, ut in illis quidem potentiam suam et lenitatem, in his vero benignitatem illustrissimam demonstret, sectt. 22, 23. [Cf. et sectt. 30—33. C. X et XI. V.] His strictim propositis contenti erimus, cum legere nobis liceat interpretationem huius loci grammaticam, a JO. AUG. NOESSELTO datam in *Opuscc.* Fasc. I. p. 127 sqq. [Cff. et Commentatt., inprimis WETT. ed. 3. Legg. quoque SCHLEIERMACHER *Abhandl. über die Lehre von der Erwählung*, in *Diar. Theol.* ed. ab ipso, WETT. et LÜCK. I. Berol. 1819. J. WIJS, *Leerr. over Rom. IX: X: XI.* Hag. Com. 1824. VERWEIJ, *Vergelijking van het stelsel van* AUGUSTINUS *met dat van* PAULUS, in Diario: *Waarheid in liefde*, 1839. p. III. p. 509 sqq. P. C. HAUSTEDT, *Entwicklung der Prädestinationslehre nach dem Ap.* PAULUS. *Ein exeg. dogmat. Versuch* in PELT, *Theol. Mitarb.* 1838. III: 3—60. W. MEIJER, *Versuch einer Entwickl. des Gedankengehalts des* 9, 10 *und* 11 *Cap. in Briefe an die Römer in exegetisch-abhandelnder Weise*, ibid. p. 61—116. 1841 I: 33 *sqq.* II: 29, *sqq.* L. J. RÜCKERT, *Ueber den wahren Lehrgehalt von* Rom. IX, in eius *Mag. für. Exeg. u. Theol. des N. T.* I. 1. p. 11, *sqq.* KERN, *die Christ. Praedestinationslehre* in *Tub. Zeitschr. für Theol.* 1840, III p. 120–156. E. W. KRUMMACHER *Exeget. Bemerkungen in Bezie-*

hung auf die systematische Auffassung der Lehre von der absol. Prädestination, in *Theol. Stud. u. Krit.* 1844, II. p. 458—470. V.]

DEUS POTENTISSIMUS.

MATTH. XIX: 26. LUC. I: 37. EPH. III: 20 ET ALIIS LOCIS.

Tribuitur in s. N. T. libris Deo *δύναμις vis*, *facultas agendi*, Matth. XXII: 29. 2 Cor. XIII: 4, (alibi tamen *maiestatem* divinam significat), *ἐξουσία* Luc. XII: 5, (alibi magis *potestatem*, *ius* et *auctoritatem* significans), *κράτος potentia* Col. I: 11 al., *ἰσχὺς* idem significans, 2 Thess. I: 9 al., *ἐνέργεια efficacitas* Col. II: 12, *ἐνέργεια τῆς δυνάμεως* Eph. III: 7 *efficacitas potentiae*, s. per Hebr. pro *ἡ δύναμις ἐνεργὴς vis efficax*. Porro *ἡ ἐνέργεια*, *ἡ ἐνεργουμένη ἐν δύναμει*, i. q. *δυνατῶς* Col. I: 29, h. e. *vis valde efficax;* denique *ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως*, h. e. *excellens magnitudo potentiae* et *ἐνέργεια τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος* Eph. I: 19 per Hebr. pro *ἐνέργεια τῆς ἰσχύος κραταιᾶς*, h. e. *efficacitas potentiae validissimae*. Hinc Deus dicitur *δύνατος potens*, *potentissimus*, Luc. I: 49. Rom. IV: 21. 2 Cor. IX: 8. 2 Tim. I: 12. Hebr. XI:

19, item παντοκράτωρ in Apoc. Joh. C. I: 4 et passim.

Conservator noster, postquam exemplo iuvenis divitis docuerat, divites, suis confidentes opibus, nihilque magis spectantes et expetentes, coelestis regni bona consequi nullo modo posse (Matth. XIX: 22—24. Marc. X: 22—25 et Luc. XVIII: 23—25), mox discipulos hac voce valde perculsos audivit inter se ita conquerentes: »quis igitur »servari poterit?" (Matth. s. 25. Marc. s. 26. Luc. s. 26). Quibus ille respondit: *παρὰ ἀνθρώποις τοῦτο ἀδύνατόν ἐστι, παρὰ δὲ Θεῷ πάντα δύνατά ἐστι*, [sec. Matth.: quod tamen posterius ἔστι cum GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHENDORF. e textu eliminandum videtur. V.], h. e. *humana opera hoc fieri nequit*, scilicet ut huiusmodi divites animum mutent, et vale dicto rebus terrestribus, coelestia quaerant bona, quae non nisi mente et animo percipiantur, [vel, interprete GROTIO: »non est »humanae opis tam tenacia vincula abrumpere." V.] *sed Deus omnia potest efficere*, atque adeo etiam hominum animos eo flectere, ut divitias iusto aestiment pretio, eas in communem societatis humanae utilitatem adhibeant, iisque lubenter careant, siquidem id regni coelestis lex postulet, quo facto et ipsi divites beati sunt futuri. [CHRYSOST.: *δείκνυται*, inquit, *ὅτι οὐχ ὁ τυχὼν μισθὸς τοῖς πλουτοῦσι καὶ δυναμένοις φιλοσοφεῖν· διὸ καὶ Θεοῦ ἔργον ἔφησεν εἶναι αὐτό· ἵνα δείξῃ, ὅτι πολλῆς δεῖ τῆς χάριτος τῷ μέλλοντι τοῦτο κατορθοῦν*. Conf. et

GROT., qui similia affert e Gr. et Lat. poetis. Male FRITZSCH. *παρὰ ἀνθρ.* et *παρὰ Θεῷ* interpretatur *hominum iudicio* et *Dei iudicio:* quippe cui interpretationi contexta oratio prorsus repugnat. Vid. WETT. V.] Caeterum in verbis notetur Hebraismus τοῦ מ, quo *δύνατον* et *ἀδύνατον* dicitur *παρά τινι* pro simplici *τινί*.

GABRIEL, legatus coelestis, narrante Luca C. I: 37, Mariae virgini nuncians, eam fore matrem regis exoptatissimi, Israelitis promissi, ab eaque rogatus, quomodo id fieri possit, cum ipsa nullam cum viro habuerit consuetudinem, dubitanti respondet, eam gravidam fore singulari divinae potentiae efficacitate, *δύναμει ὑψίστου* (sect. 35); ELIZABETHAM quoque, MARIAE cognatam, aetate iam provectam sterilemque habitam, brevi parituram esse filium, (sect. 36), *ὅτι οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν ῥῆμα*, h. e. *quandoquidem nihil est, quod Deus facere haud possit*, vel brevius: *quandoquidem nihil non potest Deus*. Scilicet *ῥῆμα* non *verbum*, sed aeque ac Hebr. דָּבָר *rem* significat, ut alibi apud Lucam Eu. I: 65. II: 15. IV: 4. Act. X: 37. [Cf. CALV. V.]. *Οὐ πᾶν* ad Hebr. לֹא כָּל dicitur pro *οὐδέν*, quomodo Rom. III: 20 *οὐ πᾶσα σάρξ*, et 1 Cor. I: 29 *μὴ πᾶσα σάρξ* dicuntur pro *οὐδείς*. *'Αδυνατέω*, quod proprie de eo dicitur, *qui agere non potest*, quomodo EPICHARMUS *Siculus* a VALCKEN. in *Schol.* ad h. l. [et ante eum a GROT. ad Matth. XIX: 26. V.] laud., dixit

ἀδυνατεῖ δ' οὐδὲν Θεῷ, in N. T. dicitur de *re*, *quae fieri non potest:* ita enim, praeterquam h. l., occurrit Matth. XVII: 20 ad imitationem interpretum Alex. Futurum *ἀδυνατήσει* ex Hebr. dicitur pro praesenti *ἀδυνατεῖ*. [Cf. tamen WIN. *Gramm.* § 41, p. 256. V.] *Ἀδυνατεῖν παρὰ τῷ Θεῷ* ex Hebr. paulo ante notato, dicitur pro *ἀδυν. τῷ Θεῷ*. Caeterum quod legatus coelestis dixit MARIAE, id ipsum SARAE, ABRAHAMI uxori, fuerat dictum Gen. XVIII: 14. Nec dissimilia sunt, quae leguntur Job. XLII: 2 et Jerem. XXXII: 17.

PAULLUS, postquam Eph. III: 14—19 dixerat, se Deum flexis genubus precari, ut Christianorum, ad quos data est haec epistola, augeatur scientia, fides, charitas et virtus, subiicit *δοξολογίαν*, sectt. 20, 21, qua optat, ut ex tanto in Christianos collato beneficio, *in societate Christiana* (etenim verba *ἐν Χριστῷ* proxime pertinere putem ad praemissa *ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ*); [nam lectio *ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ ἐν Χ. Ἰ.*, quam LACHM. et TISCHENDORF. in textum receperunt, minime praeferenda videtur: cf. WETT.—CHRYSOST. vero, CALV., GROT., RÜCKERT. et WETT. *ἐν Χ. Ἰ.* cum *αὐτῷ ἡ δόξα* iungunt, priora tamen verba non eadem ratione interpretantes. V.] laus Deo tribuatur *τῷ δυναμένῳ ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπερεκπερισσοῦ ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν*. In quibus [nam priora *τῷ δ. ὑπ. π. π.* non sunt cum GROT., WETT. et, quem laudat, HARL. a seqq. seiungenda, atque in se spectanda. V.] ita

PAULLUS accumulat verba ad immensam potentiae divinae magnitudinem indicandam, ut in eorum sententia Latine exprimenda laboraverint interpretes. Vulg. quidem interpres facilius rem expedivit propterea, quod in suo codice non invenerit praepos. ὑπὲρ ante πάντα, quae et in quatuor Codd. Gr. deest, omissaque videtur, ut inde existeret planior sententia; vertit igitur: *ei, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus.* Sed ERASMUS, quem secuti sunt BUCER., CALV., BULLINGER. et MARLORAT., illud ὑπὲρ in textum admittens, reddit: *ei, qui potest cumulate facere, ultra omnia, quae petimus, aut cogitamus.* BEZA tradit: *ei, qui summa cum exsuperantia potest omnia facere, supra ea, quae petimus aut cogitamus.* CASTELL. vertit: *ei, qui potest omnia longe longeque copiosius facere, quam nos poscere aut cogitare.* PISCAT.: *qui infinita cum redundantia potest omnia facere, supra ea, quae petimus aut mente concipimus.* ER. SCHMID.: *ei, qui potest ultra omnia facere plus quam abundanter (in iis) quae petimus aut cogitamus.* MORUS: *ei, qui potest ultra petita omnia et cogitata nostra longe progredi.* Equidem malim: *ei, cuius potentia quam longissime superat omnia, quae precamur, aut cogitando assequimur.* Certe orationis Paullinae vim haud assecuti sunt [GROT. interpretans: *ei, qui potens est facere super omnia, quae petimus, aut cogitamus*, praetermissis ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ, de quibus: *sunt* inquit, *particulae plures αὐξητικαὶ cumulatae, quod loquendi genus amat Paulus.* V.]

ROSENM. vertens: *ei, qui multo maiora efficere potest, quam nos precibus efflagitamus et intelligimus;* SCHLEUSN. reddens: *ei, qui precibus, spe et opinione nostra maiora facere potest*, inconsiderate secutus KOPPIUM, verba ὑπὲρ πάντα non attingentem; [BRETSCHN. in *Lex.* v. *ὑπερεκπερισσοῦ: dare multo maiora, quam ab eo petimus.* V.] REICHARD. vertens: *ei, qui longe plura dare potest atque efficere, quam nostrum quisquam petat, vel adeo exspectare possit;* JASPIS denique, interpretans: *ei, qui multo maiora efficere potest, quam vota et cogitata nostra percipiunt.* Caeterum notandus est GRIESB., qui cum nostro loco, tum etiam 1 Thess. III: 10. V: 13, vulgatam edit. ita exhibet, ac si scriptum esset *ὑπερεκπερισσοῦ*, cum tamen in *Elzeviriana*, a. 1624, et subsecutis editum sit h. l. *ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ*, duobus autem reliquis ll. *ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ*.

DEUS SANCTISSIMUS.

1 PETR. I: 15, 16. EPH. IV: 24. JAC. I: 13. APOC. IV: 8. VI: 10 ET ALIIS LOCIS.

Deus in N. T. aliquando dicitur *ὅσιος sanctus* Apoc. XVI: 5 et in vulg. ed. C. XV: 4, saepius vero *ἅγιος* Joh. XVII: 11. 1 Petr. I: 15, 16.

Apoc. IV: 8. VI, 10, et e lectione codicum nec paucorum, nec contemnendorum C. XV: 4, eique adscribitur *ἁγιότης sanctitas*, Hebr. XII: 10.

Sed in definienda notione vocis *ἅγιος*, de Deo usurpatae, institui superiori saeculo coepta est eadem disputatio, quae de Hebr. קָדוֹשׁ, cui illa in versionibus V. T. Graecis et in N. T. respondet. Cf. 1 Petr. I: 16 cum Lev. XI: 44. XIX: 2. XX: 26, item Apoc. IV: 8, cum Jes. VI: 3. Scilicet ZACHARIAE in *Bibl. Theol.* Vol. I. p. 240—244, 333. Vol. II. *Praef.* p. 4—63 et Vol. IV. p. 362—371 contendit, his vocibus Deum dici non proprie *sanctum*, *omnis mali et vitii expertem*, sed *venerandum*, *summe venerabilem*, *honore summo colendum*. [Ita et de v. קָדוֹשׁ disputat CÖLLNIUS in *Bibl. Theol.* I. § 26. p. 148 sqq. V.] Eamque significationem in nonnullis etiam utriusque codicis locis praeferendam esse arbitrati sunt plures viri docti. Sic TELLERUS in *Wörterb. des N. T.* v. *heilig* eam admittit Joh. XVII: 11 et Apoc. IV: 8, quibus perperam iungit 1 Joh. II: 20 et Apoc. III: 7; utroque enim loco *ὁ ἅγιος* dicitur JESUS CHRISTUS; id quod de epistolae loco docent sectt. 27, 28; de Apoc. vero loco C. III: 8—13. Cf. DONKER CURTIUS in *Spec. de Apocal. ab indole, doctrina et scribendi genere Joh. Ap. non abhorrente*, Trai Bat. 1799. p. 56—58. Porro eam significationem vocis *ἅγιος* quoque admittunt DOEDERL. *Instit. Theol. Christ.* § 93. Obs. 1 et HUFNAGEL. *Handb. der Bibl. Theol.* Vol. I. p. 323 in

loco Joh. XVII: 11, C. G. LANGEN in *Exeget. Versuche über einige bibl. Worte u. Redensarten.* P. V. p. 131, 132 et SPOHNIUS in *Lex. Schoettgen.* v. ἅγιος, n. 1. in loco Apoc. IV: 8, SCHLEUSN. in *Lex.* v. ἅγ. n. 8, coll. n. 3, HESSELINK. *Uitlegk. Woordenb. des N. V.* v. *heilig* [et BRETSCHN. in *Lex.* V.] in ll. Joh. XVII: 11. Apoc. IV: 8. VI: 10. Longius etiam aberravit BAHRDTIUS in *Griechisch-Deutsches Lex. über das N. T.* v. ἅγ. existimans, Deum ἅγιον dici, qui sit Israelitis *privus*, *proprius*, atque hinc *eximius*, *excelsus*. Nemo vero tanta doctrinae copia et iudicii accuratione hanc expendit quaestionem, quantam adhibuit L. SURINGAR in *Diss. Philol. Exeget. de diversis vocum* קָדוֹשׁ, *ἅγιος et affinium significatibus in S. S.*, quam, praeside JO. VAN VOORST, defendit Fran. 1792, in qua docuit, utriusque vocis significationem propriam esse in *munditie* et *splendore*, quae ad mentem humanam, divinamque naturam translata adhibeatur ad animi *puritatem* et *sanctitatem* indicandam.

Haec certe notio manifesta est in loco 1 Petr. I: 15, 16, ubi Apostolus Christianos, ad quos hanc dedit epistolam, ad pravarum cupiditatum fugam (sect. 14), sanctitatisque studium sic hortatur: *κατὰ τὸν καλέσαντα ὑμᾶς ἅγιον, καὶ αὐτοὶ ἅγιοι ἐν πάσῃ ἀναστροφῇ γενήθητε. Διότι γέγραπται· ἅγιοι γίνεσθε, ὅτι ἐγὼ ἅγιός εἰμι*, [ita enim legendum videtur: LACHM. et TISCHENDORF. ediderunt: ἅγ. ἔσεσθε, ὅτι ἐγὼ ἅγιος: quod ἔσεσθε recte ex

interpr. τῶν ὁ sumtum esse putat W. STEIGER, *der erste Brief Petri* ad l. V.] h. e. *ad exemplum sancti illius* Patris (cuius vos estis *filii* sect. 14, quem *Patrem* vestrum adoratis sect. 17), *qui vos* (Euangelii nuncio sectt. 12, 13) ad percipiendam salutem destinatam *vocavit*, h. e. invitavit vobisque persuasit, *ipsi quoque in omni vitae ratione* [cf. WIN. *Gramm.* § 17. p. 110. V.] *sitis sancti*, *quandoquidem* in s. libris (locis e *Levit.* libro paulo ante laudd.) *scriptum est: sancti estote*, *quia ego sum sanctus*. Hic igitur locus in nostra causa tam est manifestus, ut cuncti fere interpretes in eo nostrae praesidium sententiae agnoverint.

Huic affinis est locus Paullinus Eph. IV: 24, ubi ὁ καινὸς ἄνθρωπος, h. e. *homo*, quoad *renovatus* et emendatus est, dicitur κατὰ Θεὸν κτισθεὶς, *ad instar Dei* [coll. Col. III: 10. Vid. RÜCK. et WETT.; male GROT.: *secundum Dei voluntatem*. V.] *procreatus*, ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας ex Hebr. pro ἀληθινῇ, h. e. *vera probitate sanctitateque imbutus*. [CHRYSOST. illud τῆς ἀληθ. eadem ratione interpretatur; nam τάχα inquit, καὶ πρὸς τὸ ψευδὲς εἴρηται τοῦτο. Ita et CALV. et GROT. Cf. tamen RÜCK. et WETT. V.] Itaque Deus sanctus, hoc et superiori loco omnis etiam sanctitatis humanae exemplar perfectissimum dicitur.

JACOBUS Ep. I: 13 monet Christianos, in magno peccandi ac diffidendi periculo versantes, ne cul-

pam in Deum coniiciant, dicendo: *ὅτι ἀπὸ τοῦ Θεοῦ* [vel potius *ἀπὸ Θεοῦ;* nam art. *τοῦ* cum GRIESB., SCHOLZ., LACHM., TISCHENDORF. e textu eiiciendum videtur. V.] *πειράζομαι*, h. e. *a Deo solicitor*. Quod quam sit a vero alienum docet sic: *ὁ γὰρ Θεὸς ἀπείραστός ἐστι κακῶν, πειράζει δὲ αὐτὸς οὐδένα*, h. e. e vulgari interpretatione: *Deus enim ad peccata*, vel etiam *a peccatis non solicitatur, neque ipse quempiam solicitat.* Scilicet *ἀπείραστος*, quae vox alibi non occurrit, et pro qua Graeci [fere semper, (Vid. GROT. ad l.) V.] utuntur suo *ἀπείρατος*, non activa notione est accipiendum, quomodo factum est a LUTHERO, praeeunte interprete *Aeth.*, contra linguae usum et proxime subsequentia. Ita *ἀπείραστος* non est *qui non solicitat*, sed *qui non solicitatur*. Cf. POTT. ad h. l. [A. R. GEBSER, *der Brief des Jakobus* caett. ad l., WIN. *Gramm.* § 30. p. 179, et BRETSCHN. in *Lex.* V.] *Κακὰ* autem non sunt *miseriae*, quomodo visum est MORO, sed *mala* q. d. *moralia*, *peccata*, quomodo Rom. I: 30. III: 8, item 1 Tim. VI: 10, ubi tamen simul *miseriarum* ratio habenda videtur propter contextam orationem. Haec igitur vulgaris est interpretatio. Possis autem *κακῶν* etiam ducere a nom. *κακοὶ*, *maligni*, *impii*, quomodo dicuntur Matth. XXI: 41. Apoc. II: 2. Quod si fiat, Deus dicetur *ἀπείραστος κακῶν*, *qui ab impiis non solicitatur*, *nec quempiam solicitat.* Quomodocunque locum accipias, Dei praedicatur sanctitas, nulli depravationis periculo exposita.

In *Apoc.* JOH. Deus bis laudatur ἅγιος *sanctus*, semel C. IV: 8, iterumque C. VI: 10. Quandoquidem vero de priore loco disputant interpretes, praemittendus videtur posterior, quippe admodum luculentus et fere indubius. Scilicet JOHANNES C. VI: 9, 10 ἐν ἐκστάσει audit eos, qui religionis Christ. causa fuerant trucidati, vindictam a Deo postulantes hac voce: *ἕως πότε, ὁ δεσπότης ὁ ἅγιος καὶ ὁ ἀληθινός*, [vel *ἀληθινός*, reiecto ὁ cum GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHEND. V.] *οὐ κρινεῖς καὶ ἐκδικεῖς τὸ αἷμα ἡμῶν, κ. τ. λ.* h. e. *quousque, Domine sancte ac verax, non dicis sententiam ac vindicas sanguinem nostrum* caett.? Postulatur autem vindicta ab eo, qui, cum sit *sanctus*, non possit non insontes vindicare, et, cum sit *verax*, non possit non suis stare promissis ac minis. Itaque non video, quid SCHLEUSNERUM, HESSELINK. [et BRETSCHN. in *Lex.* V.] inducere potuerit, ut *ἅγιον* h. l. dictum putent Deum *venerabilem, augustum, summo honore et cultu prosequendum.* Necdum mihi probatur sententia GROTII, VITRINGAE, ROSENM. et KLINKENB., sibi persuadentium, non Deum, sed JESUM CHRISTUM h. l. appellari *τὸν δεσπότην*, prouti 2 Petr. II: 1. Obstat enim imaginum in hac libri parte propositarum ratio. Scilicet CHRISTUS passim pingitur tamquam *agnus* pro hominibus *mactatus*, cui uni data sit potestas aperiendi librum decretorum divinorum, C. V: 6—14. VI: 1, 16; Deus vero proponitur ceu Dominus supremus, throno insidens, C. IV: 3, 8--11. V: 1, 7, 9, 10, 13. Ita-

que *δεσπότου* appellatio in his imaginibus, non JESU CHRISTO, sed ipsi Deo propria est dicenda, prouti Luc. II: 29. Act. IV: 24. Jud. 4, [de quo tamen ultimo l., reiecto *Θεὸν* cum GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHENDORF. dubitari possit. V.] Id quod vidit iam MARCKIUS et plerique probant interpretes. Cf. DONKER CURTIUS *Spec.* l. p. 46, 47. Sed satis dictum est de h. l.

Veniamus ad alterum, in ipsa hac phantasia occurrentem C. IV: 8. Hic occurrunt nobis quatuor *ζῶα*, non *animalia*, sed *animantia*, *animata (levende wezens)* ab EZECH. C. I: 5 dicta חיות, naturae intelligentes, sine intermissione dies et noctes Deum sic laudantes: *ἅγιος*, *ἅγιος*, *ἅγιος Κύριος ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ κ. τ. λ.* Qua in laudatione plerique interpretes recentiores Deum dici putant *venerabilem:* nec tantum ZACHARIAE, DOEDERL., HUFNAGEL., pluresque alii antea laudd.; sed etiam SURINGAR, *diss.* laud. C. V. § 3. p. 34, qui *sine ullo dubio*, inquit, SUMMA DEI MAIESTAS et GLORIA OMNIBUS VENERABILIS *emphatice describitur;* ex parte quoque assentitur DONKER CURTIUS p. 48, 49, alteram tamen eamque consuetam adiungens notionem, ut adeo et *summa Dei perfectio*, et *veneratio* hinc orta, in voce *ἅγιος* sit cogitanda. Ac profecto *sanctitatis* notionem, in huius loci interpretatione, non esse negligendam, docere mihi videtur communis eius usus in scriptis Johanneis, Eu. C. XVII: 11. 1 Ep. II: 20, imprimis loco, quem modo

tractavimus Apoc. VI: 10. Accedit ipsa illa *sanctitatis* divinae indoles, qua nihil in Deo cogitari potest magis venerandum laudandumque. Sed qui a nobis dissentiunt, suae opinionis praesidium imprimis petunt ex JESAIAE loco C. VI: 3, quem JOHANNIS menti fuisse obversatum cuncti credunt interpretes. Ibi autem Vates, simili ἐν ἐκστάσει, audivit *Seraphos*, sibi invicem acclamantes: קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ יְהוָה צְבָאוֹת, qua in δοξολογίᾳ Deum laudari putant non tam *sanctum*, quam *summe venerabilem*, quomodo etiam interpretantur DOEDERL., ROSENM. in *Scholl.* [et PALMIUS, non quidem in *Comment. in Jes.* ubi dubitanter loquitur, sed in *Bibll.* ab eo edd. V.] ad *Jes.* l. Sed malim etiam in his Dei laudibus vulgarem *sanctitatis* notionem retinere, cum MICHAEL., DATHIO, EICHH. [et AUG. KNOBELO, in *Kurzgef. Exeg. Handb. z. A. T.* Vol. V. Lips. 1843. V.] Opponitur enim *sanctitati* divinae ipsius Vatis et populi *vitiositas*, sectt. 5, 7. Neque obstat, quod in subsequenti hemistichio additur: *plena est tota terra* כְבוֹדוֹ *eius laude, gloria:* alterum enim alteri, per parallelismi leges, apte respondet, quamquam diversarum vocum diversa sit significatio: Deus autem propterea ubique est laudandus, quod sit sanctissimus.

DEUS IUSTISSIMUS.

JOH. XVII: 25. ROM. VII: 12, 13. II: 5—11.
2 THESS. I: 6, 7. 1 JOH. I: 9 ET ALIA LOCA.

Deus in N. T. saepius dicitur *δίκαιος* eique tribuitur *δικαιοσύνη*. Unde plerique olim Theologi effecerunt, Deum dici *iustum*, eique *iustitiam* suum cuique tribuentem adscribi. E recentioribus vero non pauci docuerunt, variam et parum constantem esse harum vocum significationem in N. T. libris, quippe accommodatam ad rationem Hebraeorum, in usu vocum צַדִּיק, צֶדֶק et צְדָקָה. Unde exortus est magnus virorum dd. dissensus in interpretandis locis, quibus hae voces s. de Deo, s. de hominibus, s. de quibuscunque rebus adhibentur. Praeter Lexicographos cum V., tum N. T. conferri merentur CASP. GOTTL. LANGEN, *von den worten Gerecht, Gerechtigkeit, u. Rechtfertigen*, quae diatribe inserta est eius *Exeg. Versuche* caett. P. III. Chemn. 1772. p. 434—555. ZACHARIAE *Bibl. Theol.* Vol. I. a. 1775. p. 363—378. KOPPII *Exc.* IV. adi. interpret. ep. ad *Gal. de vocibus δικαιοσύνη et δικαιοῦσθαι ap. Paulum*, Gott. 1778. STORRIUS *de vario sensu vocis δίκαιος et cognatarum in N. T.* Tub. 1781, repet. in *Opuscc.* eius *acadd.* Vol. I. p. 188—252. CAR. CHRIST. TITTMANNUS in diatr. *de vocabulo* IUSTIFICATIO, quae partem constituit *Programmatis*, a. 1784 ed. *de vocabulis oeconomiae*

salutis, estque repetita in *Opuscc.* eius *Theoll.* Lips. 1803, p. 322—378. ZIMMERMANNUS in *Comment. de vi atque sensu phraseos δικαιοσύνη in N. T. cum exegesi locorum huc pertinentium* Marb. 1789. SCHROEDERUS, in *Disp. de significatibus verborum δίκαιος, δικαιοσύνη, δικαιόω, δικαίωσις, δικαίως*, et WEBERUS, quo praeside haec disp. fuit defensa Viteb. 1791, in *Gratulatione* ad Auctorem; JO. VAN VOORST in *Annotatt. in ll. selecta N. F.* Spec. II. Lugd. Bat. 1811 et B. VAN WILLES *Proeve ter bepaling van den zin der woorden δίκαιος, δικαιοῦν, δικαιοῦσθαι, δικαιοσύνη, κ. τ. όμ. in sommige pll. van 't N. V.* ed. in *Bijdr. tot de beoef. en gesch. der Godgel. Wetensch.* Amst. 1819. [Vol. VII. p. I. V.] p. 1—83. [BORGER ad Gal. II: 16. p. 144 sqq. WINER. *Ein Beitrag zur Verbesserung der Neutestamentl. Lexicographie,* Erl. 1823, p. 12—14. *Godgel. Mengel. in Brieven* caett. in *Godgel. Bijdr.* 1837. Vol. XI. P. III. p. 359—387. RÜCK., WETT., FRITZSCH. ad Rom. I: 17, et quos hic laudat USTERI *Entwick. des Paul. Lehrbegr.* p. 86 sq. ed. 4 et WINZERI *Progr. de vocc. δίκαιος, δικαιοσύνη* et *δικαιοῦν in P. ad Rom. ep.* Lips. 1831. 4. V.] Nos paucis contenti erimus observatis, quae ad praesentem causam potissimum facere videantur.

Hebraeorum igitur צַדִּיק pp. notat *rigidum*, qui flecti se non patitur, et *rectum*: hinc vero *iustum, aequum*, item *constantem* et *veracem*. Cf. ALB. SCHULTENS. *de ling. Hebr. hodiernis defectibus* §§

214–228 et in *Vind.* h. Opusc. P. II. Sect. 11. § 3, item in *Opp. min.* p. 280 sq. GER. KUYPERS in *Diss. ad varia V. T. loca ex dialectis vindicata et illustrata*; C. IV. § 1, repet. in *Syll. Diss. sub Schultensiis et Schroed. defens.* p. 562 sq. *Iustitiae* et *aequitatis* notioni vicina est notio *benignitatis* erga miseros et afflictos, *liberalitatis* erga egenos, hinc et *eleemosynae*, quas notiones voci צֶדֶק et צְדָקָה tribuunt in nonnullis V. T. locis BEZA in *ann.* ad Matth. VI: 1. JOH. DRUSIUS, *Ebraicarum Quaestt.* L. II. Qu. 6. et in *Praeteritis* ad 2 Cor. IX: 5. GROT. in *ann.* ad Rom. III: 25. JOH. VORSTIUS *de hebraismis N. T.* C. II. § 18. LUD. DE DIEU *Crit. s.* ad Ps. CXII: 5 et Dan. IV: 27. CAMP. VITRINGA *de Synag. vet.* L. III. P. I. C. 12. p. 782–794. ALB. SCHULTENS, in *Comm. ad Prov.* X: 2 et XIV: 44. HERM. VENEMA in *Comm. ad Mal.* p. 518–520. JO. DAV. MICHAELIS in *Supplem. ad Lex. Hebr.* p. 2066–2068. JO. AUG. ERNESTI *Opuscc. Philoll. et Critt.* p. 210, 272, pluresque alii. Quibus tamen contradicunt HIER. SIMONIS VAN ALPHEN, in ann. ad *interpret. belg. Dan.* IX. p. 199–204. HERM. REINERS, *Exerc. de vocum iusti et iustitiae multiplici sensu in quibusdam scripturae ll.* inserta *Bibl. Brem.* cl. VI. p. 385–406 et EMO LUCIUS VRIEMOET in *Obss. miscc.* p. 78–80.

Graecis δίκαιος, de cuius origine cf. VALCKEN. in *Schol.* ad Hebr. I: 9, dicitur *iustus*, *aequus*, *probus*, *pius*: δικαιοσύνη *iustitia*, *aequitas*, *probitas*,

pietas, *virtus*; etenim, ut est in THEOGNIDIS *sententiis*, vs. 147:

'Εν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι.

Atque in eo consentiunt cuncti. Sed disputatur de notione *benignitatis*, *beneficentiae*, *clementiae*, *misericordiae* et *eleemosynae*, ex Hebraeorum ratione vocibus δίκαιος et δικαιοσύνη nonnumquam in N. T. tribuendane an neganda. Qui pro ea notione pugnant, non contemnendum sententiae suae praesidium habent in 2 Cor. IX: 9, 10, ubi iam BEZA δικαιοσύνην vertit *beneficium*, probantibus *Glossatoribus Belgis*, imprimis propter Ps. CXII: 9, unde PAULLUS hanc vocem duxit. [Cf. tamen RÜCKERT. ad l. V.] Minus iis prodest Matth. VI: 1, ubi pro vulg. ἐλεημοσύνην legendum esse δικαιοσύνην multi viderunt, et argumentis abunde probavit GRIESB. in *Comm. Crit.* ad h. l. [quod recte igitur LACHM. quoque et TISCHEND. in textum receperunt. V.] Etenim δικαιοσύνη non necessario ad unam beneficentiam erga egenos, sectt. 2—4 laudatam, restringenda est, sed referri etiam potest ad preces sectt. 5—15, et ieiunia sectt. 16—18 commendatas, ut adeo indicet quodcunque *benefactum*. Cf. BEZA et interpretatio nostra vernac. *orationis mont.* [nec non FRITZSCH. ad l. qui praeclare: »significat," inquit, »ἡ δικαιοσύνη (Tob. 14: 11. 2 Cor. 9: 10), ut Hebr. צְדָקָה, Prov. 11: 4 et Chald. צִדְקָה (cf. BUXTORF. *Lex. talm.* p. 1890) *beneficentiam*, non alia de causa, quam quod *benignitas* praeclarissimae virtutis laude celebrabatur,

maxime a posterioribus Judaeis, qui mirificam illi vim tribuerent (v. BERTHOLDT ad Dan. 4: 4." V.]. Parum etiam eos iuvat Matth. I: 19, ubi JOSEPHUS sponsam MARIAM ignominiae exponere nolens, dicitur *δίκαιος probus*, *aequus*, quamquam multis interpretibus, [in his FRITZSCHIO quoque V.] dici videtur *benignus*, *lenis*, *clemens*, *humanus*, praeeunte CHRYSOST. Quodsi vero concedamus, his ll. *benignitatem*, *beneficium* tribui *hominibus δικαίοις*, nondum ea notio huic voci et affini *δικαιοσύνη* tribuenda erit, ubi de *Deo* fit sermo. Homines enim, nisi erga naturae suae socios sese *beneficos* et *liberales* praestent, eo ipso *humanitatis* officia negligunt et *iniqui* sunt habendi. Sed longe diversa est Dei ratio, nihil hominibus debentis, cuncta in nos beneficia gratuito conferentis. *Μὴ ἄδικος ὁ Θεὸς ὁ ἐπιφέρων τὴν ὀργήν; μὴ γένοιτο*, inquit P. Rom. III: 5, 6, *ἐπεὶ πῶς κρινεῖ ὁ Θεὸς τὸν κόσμον;* Omnium vero minime ea *benignitatis* notio ferri potest in hac ipsa epistola, in qua consulto a se invicem disiunguntur divina *iustitia* et *benignitas*. Et haec quidem passim laudatur, quoties Deo tribuitur *ἀγαπὴ* C. V: 8, *χρηστότης* C. II: 4, *ἀνοχὴ* ib. et III. 26, *μακροθυμία* C. II: 4. IX: 22, *ἔλεος* C. IX: 15, 16, 18. XI: 32, *οἰκτιρμὸς* C. IX: 15. XII: 1, *χάρις* C. III: 24. IV: 16. V: 2, 15, 17, 20, 21. XI: 5, 6, *χάρισμα* C. V: 15, 16. VI: 23. XI: 29. Ab his vero disiunguntur *ὀργὴ καὶ ἀποκάλυψις δικαιοκρισίας* C. II: 5, *δικαίωμα* C. I: 32. II: 26. V: 16, 18, *κατάκριμα*

C. V: 16, 18. Porro cum in hac epistola *δίκαιος* et *δικαιοσύνη*, quando de *hominibus* adhibentur C. I: 17. II: 13. III: 10. IV: 3–9. V: 7, 19. VI: 13, 16, 18–20, numquam notionem *benignitatis* admittant, difficulter credimus, eam his tribuendam esse vocibus, quando de *Deo* fit sermo. Loca vero C. I: 17. III: 5, 21, 22, 25, 26, quibus inesse putant benignitatis notionem GROT., SCHOETTG., KOPP., SCHLEUSN., TITTM., HESSELINK., quamquam alii in aliis, faciliorem singula admittunt ac flagitant interpretationem. Id ipsum valet de loco 2 Petr. I: 1, in quo recentioribus fere interpretibus Dei *δικαιοσύνη* videtur esse *benignitas*. Sed nolumus his interpretandis immorari, quandoquidem alia sunt codicis s. loca, eaque satis luculenta, neque in dubium vocata a viris dd., quibus ad probandam Dei *iustitiam* tuto uti possumus.

Conservator noster in precibus, quas ultima vitae mortalis nocte fudit, referente Joh. C. XVII, Patrem suum mox *ἅγιον* dicit sect. 11, mox *δίκαιον* ib. s. 25, h. e. *iustum*, unicuique aeque distribuentem, universe recte agentem, nihil non pro sanctitate sua decernentem agentemve. CHRISTUS enim id ipsum a Patre expetebat, quod Deum sanctum iustumque largiri decebat: quod et summo iure exspectari ab eius iustitia et aequitate poterat. [Ita et CHRYSOST., CALV., GROT., V. HERWERDEN, LÜCK. et WETT. Sunt quidem, qui h. quoque loco *δίκ*. *benignissimum* interpretentur, ut SEMLER., TITTM.,

BRETSCHN. in *Lex.* (ubi pro Joh. XVII: 21 leg. 25); sed huic interpretationi, quod recte monet LÜCK., contexta oratio repugnat. Idem valet de THOLUCKII sententia, statuentis, *δίκ.* significatione non differre a τῷ *ἅγιος* sect. 11. V.] Non dissimili modo divinae naturae attributa *δικαιοσύνη* et *ὁσιότης* iunguntur Eph. IV: 24, ad quas efformari oporteat Christianos.

Nominatim in legibus ferendis laudatur Dei *iustitia.* PAULLUS Rom. VII: 12: *ὁ μὲν νόμος*, inquit, *ἅγιος, καὶ ἡ ἐντολὴ ἁγία, καὶ δίκαια, καὶ ἀγαθή.* In quibus lex *ἁγία* dici universe videtur, quae sit *sine* ullo qualicunque *vitio; δίκαια*, quae nihil nisi quod *iustum* sit et *aequum* postulet; *ἀγαθὴ* vero, quae sit *utilis* et *proficua*, id quod docent mox subsequentia: *τὸ οὖν ἀγαθὸν ἐμοὶ γέγονε θάνατος; μὴ γένοιτο.* [Ita et THEOD. laud. a THOLUCK. et GROT.; THOLUCK. vero haec pro synon. habet. CALV. sic distinguendum esse putat, ut *ἅγ.* significet *summa dignitate reverendum*, *δίκ.* *nullius iniustitiae insimulandum*, *ἀγαθ.* *omni vitio purum ac vacuum.* Atque eadem fere ratione exponit FRITZSCH. V.] Hanc τοῦ *δικαίου* notionem confirmant alia huius epistolae loca, quibus *τὰ δικαιώματα* et *τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου*, h. e. *iusta legis statuta* laudantur C. II: 26. VIII: 4, quomodo et *τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ* C. I: 32 est *iustum Dei statutum.*

Dei iustitiam in iudicio de hominibus ferendo,

atque adeo in distribuendis virtutis praemiis et flagitiorum poenis, laudat PAULLUS Rom. II: 5—11. Orationem inde ab initio huius cap. inflexerat ad eos, qui, quamvis Dei et religionis notitia essent imbuti, et flagitia damnarent naturae contraria, C. I. memorata, nondum tamen ipsi vitam instituebant ad legis divinae normam, ipsique perpetrabant, quae in aliis damnabant. Hos dixerat ἀναπολογήτους sect. 1, coll. I: 20, h. e. *non excusandos;* negaverat fore, ut hi effugiant τὸ κρίμα τοῦ Θεοῦ, *Dei* iudicis *sententiam*, quae futura sit κατὰ ἀλήθειαν, h. e. *e vero*, atque adeo *iusta* sectt. 2, 3. Hos postquam sect. 4 monuerat, ne spernerent benignitatem et tolerantiam, qua Deus eos voluerat ad resipiscendum inducere, sic alloquitur sectt. 5—11: *Pro duritie tua animoque non emendabili, multam tibi ipse congeris iram, in diem*, [ἐν ἡμέρᾳ pro εἰς ἡμέραν sumto cum CALV., GROT. all. Sed vid. FRITZSCH., WETT. et WIN. *Gramm.* § 54. p. 390 sq. V.] *quo irascetur iustamque sententiam palam faciet Deus*, [quam interpretationem praeferendam esse censeo FRITZSCHII sententiae; qui, recepto καὶ inter ἀποκαλ. et δικαιοκρ. hoc quidem ad Deum, illud vero ad CHRISTUM refert: nam, ubi solemnis CHRISTI de coelo reditus significatur, additur τοῦ Κυρίου Ι. Χ. Vid. 1 Cor. I: 7. 2 Thess. I: 7. V.] *unicuique pro factorum ratione retributurus. His quidem, qui in benefaciendo perseverantes* [καθ᾽ ὑπομονήν. Cf. de h. v. GROT. V.] *gloriam et honorem et immortalitatem quaerunt*,

vitam aeternam; iis vero, qui sunt contentiosi, [vel *malitiosi*. Cf. FRITZSCH. Vid. et RÜCK. et THOLUCK. V] *et veritati quidem non obtemperant, sed obtemperant improbitati, vehemens* imminet: [vel ἔσται. Vid. GROT., FRITZSCH. et WETT. Cf. et de h. verborum structura THOLUCK. V.] *indignatio et ira; cruciatus et angor cuivis homini* [ita enim vertenda sunt ἐπὶ πᾶσαν ψυχ. ἀνθρ., quod recte contra RÜCK. probavit FRITZSCH. V.] *male agenti, Judaeo primum, deinde etiam Graeco; gloria vero et honos et felicitas* tribuetur *cuivis bene agenti, Judaeo primum, deinde et Graeco. Deo enim facies non accepta est.* Laudat igitur Apostolus Dei δικαιοκρισίαν, *iustum iudicium, iustam sententiam*: ab eoque abesse dicit προσωποληψίαν (quae vox praeterquam h. l. occurrit Eph. VI: 9. Col. III: 25. Jac. II: 1) s. Deum non esse προσωπολήπτην Act. X: 34 eumque κρίνειν ἀπροσωπολήπτως, 1 Petr. I: 17, h. e. interprete PAULLO, Gal. II: 6, Deum πρόσωπον ἀνθρώπου οὐ λαμβάνειν, *non faciem hominis accipere*, h. e. remoto tropo, *hominibus non favere propter faciem*, s. conspecta tantummodo facie: quomodo scilicet solent iudices, externam hominum formam et speciem intuentes, animum non perspicientes, et, antequam causa satis sit cognita, benignum ferentes iudicium de his, quorum facies et habitus externus ipsis praeplacet. Est autem πρόσωπον λαμβάνειν forma dicendi Hebraea, Deut. X: 17. 2 Chron. XIX: 7. Luc. XX: 21, non vertenda per *accipere*, vel *respicere personam*, quomodo

multi, in his etiam [CALV., GROT. V.] *Belgae* interpretes, reddiderunt, neque etiam satis accurate reddita per *partium studio duci*, vel similia. *Προσωποληψίαν* autem opponi *δικαιοκρισίᾳ* manifestum est. [Vere igitur CHRYSOST.: *οὐ γάρ ἐστι προσωπολ. π. τ. Θεῷ· τουτέστιν*, inquit, *οὐ προσώπων ποιότητα, ἀλλὰ πραγμάτων ἐξετάζει διαφοράν.* V.] Porro *ὀργὴ* et *θυμὸς* sectt. 5 et 8, Deo adscribuntur *ἀνθρωποπαθῶς*, ut indicent *iustam* eamque *vehementem indignationem*, convenientem Deo sanctissimo, humanis affectionibus haudquaquam turbato, sed nullum non malum aversanti, damnanti, eiusque fastidium iusto tempore ac sine mora demonstranti supplicio horrendo. [Recte CHRYSOST.: *ἵνα μή*, inquit, *ἀκούσας ὀργήν, νομίσῃς πάθος, ἐπήγαγε δικαιοκρισίας τοῦ Θεοῦ.* Ita et GROT. V.] Est igitur hic locus valde insignis propterea quod et praemiorum et poenarum distributionem adscribit Deo, pro iustitia sua spretam benignitatem et lenitatem vindicanti, severe puniendo contumaces, simul autem resipiscentes virtutisque studiosos beatissima sorte remunerando.

Similis in hac causa est locus 2 Thess. I: 6, 7, ubi Christianis *Thessalon.*, religionis causa multa mala passis, PAULLUS: *δίκαιον παρὰ Θεῷ*, inquit, *ἀνταποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν ὑμᾶς θλίψιν, καὶ ὑμῖν τοῖς θλιβομένοις ἄνεσιν μεθ' ἡμῶν ἐν τῇ ἀποκαλύψει τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ κ. τ. λ.* h. e. *iustum est apud Deum*, s. Deus pro sua iustitia vult, [vel *Deus*

iustum iudicat. SCHOTT. ad l. παρὰ Θεῷ interpretatur *iudice Deo*, quae interpretatio, etsi male provocat ad Matth. XIX: 26, h. l. ferri potest. V.] *retribuere afflictionem his, qui vos affligunt, vobis vero, qui affligimini, relaxationem* [ἄνεσιν egregie oppos. τῇ θλίψει. V.] *nobiscum, quando manifestus erit Dominus* JESUS, caett. Itaque distributio cum praemiorum, tum poenarum fiet aliquando pro *iustitia* divina, qua in distributione PAULLUS sect. 5, τὴν δικαίαν κρίσιν τοῦ Θεοῦ laudaverat. [Nihil enim suadet, ut consuetam v. δίκαιος notionem cum nonnullis missam faciamus. Cf. SCHOTT. ad l. Praeclare autem CALV. ad h. l. »in hac bonorum," inquit, »et malorum declaratione clarius »exprimere voluit, quam iniqua et praepostera »esset mundi gubernatio, nisi Deus poenas et prae»mia in aliud iudicium differret: nam hoc modo »mortuum esset Dei nomen. Itaque eum officio suo »virtuteque spoliant, quicunque non intenti sunt »ad hanc, de qua PAULUS loquitur, iustitiam." V.] Similiter in oratione ad *Athenienses* Act. XVII: 31 docet Apostolus, Deum statuisse ἡμέραν h. e. *certum tempus*, quo τὴν οἰκουμένην h. e. *telluris incolas* sit iudicaturus ἐν δικαιοσύνῃ, h. e. *iuste*, *ex aequo*, atque adeo singulis, pro ratione factorum et delictorum, praemia poenasque sit distributurus. Proinde etiam PETRUS 1 Ep. II: 23 Deum dicit τὸν κρίνοντα δικαίως, et C. I: 17 ἀπροσωπολήπτως κρίνοντα κατὰ τὸ ἑκάστου ἔργον. Quid? quod *iniustus* censendus foret Deus, nisi praemia distribuat

ipsum colentibus ad eiusque legem vitam instituentibus, docente PAULLO, Hebr. VI: 10, ubi οὐ γὰρ, inquit, ἄδικος ὁ Θεὸς ἐπιλαθέσθαι τοῦ ἔργου ὑμῶν, h. e. *non iniustus est Deus, ita ut obliviscatur operis vestri*, neque illud remuneret: quapropter etiam C. XI: 6 credendum esse dicit, Deum esse μισθαποδότην, h. e. *remuneratorem*, proprie *qui mercedem propositam persolvat:* dicitur autem μισθὸς non tantum de *virtutis praemio*, ut 1 Cor. III: 14. IX: 17, 18; sed etiam de *impietatis poena*, ut 2 Petr. II: 13, [15. V.] unde etiam in ep. ad *Hebr.* μισθαποδοσία in utramque sumitur partem C. II: 2. X: 35. XI: 26.

Nonnumquam et Dei *iustitia* laudatur in praestandis promissis. Etenim *iusti* est stare promissis, quamvis etiam id, quod promiseris, gratuitum sit beneficium: et quicunque aliquid cum interposita conditione ab altero praestanda promiserit, iniustus foret, nisi, praestita ab altero conditione, fidem datam servaret. Hactenus *iustitia* et *veracitas*, s. *fides* sibi invicem arctissime sunt iunctae. Itaque hanc in sententiam interpretor *Johanneum* illud 1 Ep. I: 9: *si confiteamur peccata*, πιστός ἐστι καὶ δίκαιος scil. Deus, h. e. *fidelis est et iustus*, [ἵνα ἀφῇ. Vid. de part. ἵνα WIN. *Gr.* § 57. p. 431 sq. V.] *qui nostra nobis condonet peccata, nosque ab omni purget iniquitate.* Promisit enim Deus poenarum remissionem serio peccata dolentibus ac confitentibus. Eaque *fidelitatis* s. *veracitatis* cum

iustitia coniunctio haud est infrequens in stylo *Johanneo*. Cf. Apoc. XVI: 7. XIX: 2. Itaque non est, quod cum [GROTIO atque V.] aliis interpretibus Deum δίκαιον dictum putemus, vel pro *benigno*, vel pro *veraci;* [aut δίκαιος positum existimemus pro δικαιῶν: quod ipse CALV. negavit, recte monens, Deum, »quia se verbo suo nobis »constrinxit, iustum censeri non velle, nisi ignoscat." Cf. inprimis LÜCK. ad l. ed. 2. V.]

DEUS BENIGNISSIMUS.

1 JOH. IV: 8, 16. MATTH. VI: 9. VII: 9—11. ROM. VIII: 14—17ᵃ. JOH. III: 16 ET ALIA LOCA.

Dei *benignitas* diversis in N. T. dicitur vocabulis. Generatim laudatur Dei ἀγάπη *amor*, quo hominibus bene vult ac benefacit, hominumque felicitate delectatur Rom. V: 5, 8. VIII: 39. 2 Cor. XIII: 13. 1 Joh. III: 1. IV: 9, 16. (quamvis alibi C. II. [5. V.] 15. III: 17. V: 3 ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ sit *amor, quo Deus amatur*. [cf. WIN. *Gramm.* § 30. p. 171. V.]), diciturque ille *amor* propter *magnitudinem*, ἡ πολλὴ ἀγάπη Eph. II: 4. Deus proinde dicitur homines ἀγαπᾶν Joh. III: 16. Eph. II: 4. 1 Joh. IV: 10, 11, 19, al. et φιλεῖν Joh. XVI: 27. Quae duo verba immerito habita

sunt [a TITTM. de *Synon. in N. T.* L. I. p. 50—55 aliisque V.] sic differre, ut hoc illo sit significantius; nam JOHANNES utroque usus est in eadem contexta oratione, ad unum verbum Hebr. אָהַב interpretandum, Eu. C. XXI: 15. [quem l. alii quidem afferunt ad oppositam sententiam probandam. Cf. e. c. LÜCK.; sed vid. WETT. ad l. V.] Cf. etiam C. III: 35, [et X: 17. V.] cum V. 20. Hinc Deo tribuitur φιλανθρωπία *amor erga homines* Tit. III: 4. Homines autem *a Deo amati* ac singularibus ab eo beneficiis ornati dicuntur ἠγαπημένοι scil. a Deo Rom. IX: 25. Col. III: 12, ἀγαπητοὶ Rom. XI: 28 et ἠγαπημένοι ὑπὸ Θεοῦ 1 Thess. I: 4. Quemadmodum enim *Thessalonicenses* 2 Ep. II: 13 dicuntur ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ Κυρίου, ita h. l. ἀδελφοὶ ἠγαπ. ὑπὸ Θεοῦ, ut adeo minus recte [cum nonnullis interpretibus, ad quos tamen dubito an referendus sit cum SCHOTTO CHRYSOSTOMUS. V.] post ἠγαπημένοι ponatur interpunctio, et verba ὑπὸ Θεοῦ ad subsequens τὴν ἐκλογὴν ὑμῶν trahantur in ed. BEZAE, quam secuti sunt interpretes Belgae et *Elzevirii*. [Cff. WOLFIUS in *Cur.* et SCHOTTUS ad l. V.]

Porro Deus *beneficus*, *benignus*, dicitur χρηστός, proprie *utilis*, hinc is, *qui utilitatem praebet* Luc. VI: 35. 1 Petr. II: 3 cl. Ps. XXXIV: 9. Eique tribuitur χρηστότης *beneficentia*, *benignitas*, pp. *utilitas*, hinc *habitus*, *quo propensus est ad benefaciendum*, Rom. II: 4. XI: 22. Eph. II: 7. Tit.

III: 4, item τὸ χρηστὸν, concretum pro abstr. positum Rom. II: 4 id. q. χρηστότης, ut et πλοῦτος τῆς χρηστότητος ibid. h. e. *copia benignitatis* s *copiosa, abundans beneficentia.*

Quandoquidem Dei *amor* et *benignitas* hominibus miseris et indigentibus divino auxilio contingit, dicitur ea ἔλεος *misericordia*, Luc. I: 50, 54, 58, 72. 1 Tim. I: 2. Tit. III: 5. Hebr. IV: 16, al., item πολὺ ἔλεος 1 Petr. I: 3. Ipse Deus dicitur ἐλεεῖν, *misereri*, *misericors esse*, Rom. IX: 15, 16, 18. XI: 32. Phil. II: 27, πλούσιος ὢν ἐν ἐλέει Eph. II: 4, *dives misericordia*, h. e. *valde, abunde misericors;* Eique per ἀνθρωποπαθείαν tribuuntur σπλάγχνα ἐλέους Luc. I: 78 *viscera misericordiae*, id. q. *pectus misericors*, vel *intima misericordia*. Itaque nollem, SCHLEUSNERUM in *Lex.* v. σπλάγχνον, n. 2 scripsisse, σπλάγχνα, iunctum substantivis, quibus *amoris*, *misericordiae* et *benignitatis* notio inest, vim superlativi habere, ut adeo σπλάγχνα ἐλέους *summam* indicent *misericordiam*. [Cf. BRETSCHN. ad v. V.] Eadem *misericordia* divina dicitur οἰκτιρμὸς Rom. XII: 1, (etenim numerus plur. οἰκτιρμοὶ et sing. οἰκτιρμὸς sine discrimine adhibentur ad imitationem Hebr. רַחֵם et רַחֲמִים. Cf. Phil. II: 1. Col. III: 12, [ubi cum GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHEND. pro vulg. οἰκτιρμῶν legendum videtur οἰκτιρμοῦ. V.] Hebr. X: 28. Vid. ERNEST. *Inst. interpr. N. T.* P. I. C. V. § 9 et ABRESCH. *ad Hebr.* p. 29), Deus autem

οἰκτείρειν Rom. IX: 15 et *οἰκτίρμων* Luc. VI: 36. Jac. V: 11, ubi et *πολύσπλαγχνος* audit, h. e. *valde misericors:* quod enim in aliis est codd. *πολυεύσπλαγχνος*, quamvis a MILLIO *Prolegg.* § 1108 probatum, ortum videtur, iudice MATTHAEIO ad h. l. et FISCHERO, in *Prol. de vitiis Lex. N. T.* p. 204, e coniuncta duplici lectione *πολύσπλ.* et *εὔσπλαγχνος*, *misericors*, quae vox ea significatione occurrit Eph. IV: 32 et 1 Petr. III: 8. Denique et Deus dicitur *ὁ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν pater miserationum* 2 Cor. I: 3, h. e. *pater summe misericors.* Cf. GLASSII *Phil. s.* L. I. Tr. I. Can. 8, et ERNEST. *Inst.* l. l. § 10.

Cum vero Dei beneficia tribuantur hominibus indignis, nihil umquam boni meritis, hinc laudatur saepenumero Dei *χάρις*, *gratuitus favor*, *benignitas*, *beneficentia gratuita*, ut Rom. V: 15. XI: 5, 6. 1 Cor. XV: 10, al., *χάρις ἡ σωτήριος* Tit. II: 11, *ὑπερβάλλων πλοῦτος τῆς χάριτος* Eph. II: 7, *περισσεία τ. χάριτος* Rom. V: 17, et Deus dicitur *ὁ Θεὸς πάσης χάριτος* 1 Petr. V: 10. Aliquando tamen *ἡ χάρις* Dei *beneficium*, s. *donum e gratuito favore profectum*, indicat 2 Cor. VI: 1 et IX: 8, ac permutatur cum *χάρισμα* 1 Petr. IV: 10, quo Dei *beneficia gratuita* dicuntur Rom. V: 15, 16. VI: 23. XI: 29. Unde *ἡ χάρις πλεονάσασα* 2 Cor. IV: 15 est *cumulatum Dei beneficium:* et *ἡ ὑπερβάλλουσα χάρις τοῦ Θεοῦ* C. IX: 14 est *praestantissimum Dei donum* s. *beneficium.* Cf. JAC. JUST. SCHOL-

TEN, *Spec. Herm. de diversis significatt. v. χάρις in N. T.* Trai. ad Rh. 1805. [BORGER ad *Gal.* p. 130, 167. V.]

Denique cum Deus benignissimus *toleret* homines peccantes, poenasque commeritas differat, laudatur Dei *ἀνοχὴ* Rom. III: 26, h. e. *tolerantia*, *lenitas*, et *μακροθυμία longanimitas* C. IX: 22. 1 Petr. III: 20, et *πλοῦτος τῆς ἀνοχῆς καὶ τῆς μακροθυμίας* Rom. II: 4. Cf. paulo ante dicta de h. l. Hinc et Deus dicitur *μακροθυμεῖν* Luc. XVIII: 7. 2 Petr. III: 9.

Quanta sit Dei benignitas nemo rectius intellexit, nemo significantius professus est, quam JOHANNES Apost., qui 1 Ep. IV: 8, 16: *ὁ Θεὸς*, inquit, *ἀγάπη ἐστὶ*, quo doceat, Deum esse humani generis amantissimum, quin et nihil in Deo esse ab amore alienum, Deum omnibus omnino benevelle et benefacere [vel, quae CALVINI interpretatio est, »Eius naturam esse homines diligere," quomodo et LÜCK. gravissimum hoc Apostoli dictum exponit ad sect. 8. V.] Docet autem contexta oratio, JOHANNEM eo imprimis nomine laudare *τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ*, quod Deus nobis, ipsum nequaquam amantibus, sed contra legem divinam peccantibus, peccandoque miseris factis morteque adeo dignis, Filium suum unigenam dederit, qui poenarum immunitatem vitamque aeternam nobis tribueret.

Summae benignitatis notio inest quoque appellationi *Patris*, et *Patris coelestis*, saepius in N. T. usurpatae: licet simul ei insit notio *Procreatoris*, cui vitam et omnia nostra debeamus, in quo et ipsum est benignitatis argumentum; ut adeo Deus, vitam bonaque omnia liberaliter largiens, clementer cum hominibus agens, hoc nomine dicatur *Pater*. Iccirco Conservator noster discipulos suos Deum iubet compellare sic: *πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς* Matth. VI: 9. Huic enim compellationi inesse *benignitatis* significationem, tuto colligas e sect. 26, ubi cura Dei paterna in largiendis rebus, ad vitam necessariis laudatur, item e C. VII: 9—11, coll. Luc. XI: 11—13, ubi, comparatione facta cum parente humano, Dei laudatur benevolentia in iis donandis, quibus indigent precantes. Simili comparatione utitur CHRISTUS Luc. XV: 11 sqq., ut Dei benignitatem et facilitatem ad condonanda hominum delicta commendet exemplo patris, filio suo, sua ipsius culpa misero et ad paternam clementiam confugienti, delicta condonantis.

Illustris etiam hac in causa est PAULLI ratiocinatio Rom. VIII: 14—17[a]: *Quotquot Dei Spiritu aguntur*, ad pietatis studium, [CHRYSOST.: *τουτέστιν*, inquit, *ὅσοι παρὰ πάντα τὸν βίον οὕτω πολιτεύονται*, monetque, Ap. ita scripsisse, ut ostenderet, *ὅτι οὕτω βούλεται αὐτὸ (πν. Θ.) κύριον εἶναι τῆς ἡμετέρας ζωῆς, ὡς τὸν κυβερνήτην τοῦ πλίου, καὶ τὸν ἡνίοχον τοῦ ζεύγους τῶν ἵππων*. V.] *Dei sunt filii;* [LACHM.

et TISCHEND. e nonnullis Codd. et Patrum ss. dant *υἱοί εἰσιν Θεοῦ*; sed vulg. lectio cum FRITZSCHIO aliisque retinenda est. »In loquutione" autem »*υἱοὶ Θεοῦ* h. l. hominum Deo prae ceteris carorum ac proinde beneficiis ab eo cumulandorum notio (Gal. IV: 6, 7) non, ut alias (Matth. V: 45), similitudo cum Deo spectatur, quam ii referant, qui Dei filii vocentur" quod recte monet FRITZSCH. Conferri quoque potest Orat. mea s. de h. d. in *Leerredenen*, p. 285 sqq. V.] *non enim accepistis πνεῦμα δουλείας spiritum servitutis*, h. e. qui servos, atque eo animo esse iubeat, quo sunt servi erga heros, Deumque adeo extimescatis tamquam dominum severe delicta punientem. [Cf. FRITZSCH. V.] Non eum accepistis spiritum, [qui ex lege concipi solet. V.] quo *denuo* [*πάλιν*, quod recte contra MILL. vindicat FRITZSCH. V.] in eiusmodi *metum* incidatis; *sed accepistis Spiritum υἱοθεσίας, quo filiorum loco sitis constituti*, atque ita animati, ut oportet esse filios, [sic enim interpretanda est v. *υἱοθεσία*. Vid. quae contra RÜCK., USTER. alios vere et acute disputat FRITZSCHIUS. V.] *per quem* igitur Spiritum [qui ex Evangelio oriundus est; vel *cuius impulsu* V.] *clamamus: abba, o Pater!* (¹) h. e. omni fiducia, amore ac pietate Deum ceu Patrem benignissimum adeamus, ab eoque quaecunque nobis profutura

---

(¹) De usu Nom. cum art. (ὁ πατήρ) pro Vocat. v. WIN. *Gramm.* § 29, p. 169 sq. Caeterum de form. dicendi ἀββᾶ, ὁ πατήρ vid. disputata a FRITZSCHIO. V.

efflagitemus. *Ipse ille Spiritus* divinus intus agens, et hunc pietatis amorem certamque fiduciam in animis nostris incendens, *animo nostro testimonium praebet;* quo certo sciamus, *nos esse* dilectos *Dei filios*. [»Non simpliciter dicit" (Ap.) quod recte monet CALV. ad l. »testem esse Spiritum Dei spiritui nostro, sed compositum verbum usurpat, quod vertere liceret *contestatur*, nisi aliud Latinis esset *contestatio*. Intelligit autem PAULLUS, Spiritum Dei tale nobis testimonium reddere, ut eo duce et magistro spiritus noster statuat firmam esse Dei adoptionem. Neque enim sponte mens nostra, nisi praeeunte Spiritus testimonio, hanc nobis fidem dictaret." Male GROT. aliique *συμμαρτυρεῖ* idem esse, quod *μαρτυρεῖ* contendunt. Vid. omnino FRITZSCH. ad l. V.] *Si vero filii*, sumus *etiam haeredes*, quibus certa facta est spes beneficiorum, quae Pater filio dilecto destinat; *haeredes quidem Dei*, *imo vero* CHRISTO *cohaeredes*, quibus adeo summa felicitas, interveniente CHRISTO, destinata est, similis eius, qua CHRISTUS iamnunc fruitur. [Nulla enim causa est, ut hereditatem cogitemus, quam CHRISTUS »tum aditurus est, quum de coelo reversus Dei filios Dei mandatu in regali et splendida conditione constituet:" quae FRITZSCHII sententia est. V.] Caeterum ad huius loci et universae orationis contextae intelligentiam proderit observasse, *τὸ πνεῦμα* simpliciter dictum sectt. 2, 4, 5, 6, 9, 10, 13, et *τὸ πνεῦμα ἡμῶν*, ib. s. 16 esse *animum* Christianorum emen-

datum; quoties autem Spiritus divinus, animum humanum emendans indicetur, toties cum aliquo dici adiuncto, *πνεῦμα Θεοῦ* sectt. 9, 14, *τὸ πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν* s. 11, *πνεῦμα Χριστοῦ* s. 9, *πνεῦμα αὐτοῦ* (*Θεοῦ*) *ἐνοικοῦν ἐν ὑμῖν* s. 11, *πνεῦμα υἱοθεσίας* s. 15, *αὐτὸ τὸ πνεῦμα* s. 16.

Laudatur imprimis Dei benignitas in salute hominum vera aeternaque, interveniente JESU CHRISTO, procurata. Praeclarum hac in causa est ipsius JESU dictum [nam illi, non Apostolo hoc dictum tribuendum esse videtur; nec video, quare media quaedam via cum LÜCKIO et WETTIO sit ineunda. Cf. *Disput.* mea in *Opp. Soc. Hag.* 1835, p. 19, 20. Add. v. WILLES, *Ophelderìng van de gezegden des H. betrekkelijk zijn lijden en sterven*, p. 24—26. et THOLUCK. ad l. V.] apud JOH. Eu. C. III: 16: *ita dilexit Deus mundum*, h. e. genus humanum, nec tantummodo Judaeos (cf. de hac v. *κόσμος* significatione nominatim h. l. singularem diss., quae est XXIV in CONR. IKENII *Diss. Philol. Theol.* Vol. I. [et STRONCK. *Spec. Hermen. Theol.* p. 149 sqq. V.]), *ut Filium suum unigenam dederit, quo quicunque huic fidem habeat, non pereat, sed vitam consequatur aeternam.* Quod quidem dictum Apostolus 1 Ep. IV: 8—10 iisdem fere verbis repetit. [Cf. STRONCK *Spec. laud.* p. 30 sq. V.] PAULLUS similiter Rom. V: 8: *Deus*, inquit, *suum erga nos amorem commendat*, [vel potius *demonstrat*, *probat*. Vid. FRITZ-

SCH. ad l. V.] *quod, quum adhuc essemus impii*, CHRISTUS *pro nobis sit mortuus.* Eph. IV: 32, *misericordiam et benignitatem* divinam laudat in remissione poenarum, [ἐχαρίσατο, de qua v. vid. BORGER. et WINER. ad Gal. III: 18. V.]; Rom. II: 4, *abundantem benignitatem, tolerantiam et lenitatem* in beneficiis, quibus peccantes Deus ad bonam frugem revocat; porro Eph. II: 4—8 *misericordiam multumque amorem, benignitatem abundantem et favorem gratuitum* in vita aeterna per CHRISTUM nobis comparata. Haec denique χάρις σωτήριος, [pro vulg. ἡ σωτήριος LACHM. et TISCHEND. dant σωτήριος V.] *illuxisse* dicitur *omnibus hominibus*, Tit. II: 11.

Attamen haec benignitas et beneficentia divina ad sapientiae et sanctitatis leges est temperata, ut adeo Deus omnibus quidem beneficus, eos tamen imprimis amet ac curet, qui benignitate eius ad bonam frugem reduci sese patiantur, CHRISTUM Conservatorem agnoscant, vitâque ad legem eius institutà colant. Sic JESUS Joh. XVI: 27: *ipse Pater*, inquit, *amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, me a Deo* [vel *a Patre*, quod exhibent alii Codd. et verss., probante TISCHEND. V.] *exiisse.* PAULLUS 1 Tim. IV: 10 *omnium* quidem σωτῆρα dixit *Deum*, μάλιστα δὲ [quam tamen coni. paucissimi tantum Codd. exhibent. V.] πιστῶν. Scilicet Deus omnes homines aeternum salvos esse iubet, *fide* JESU CHRISTO *habita*, coll. C. II: 4. I: 15, 16. Πιστὸς enim, quamvis alibi in hac epistola signi-

ficet *fidum*, *fidelem*, C. I: 12, 15. III: 1, 11. IV: 9, hoc tamen loco dicitur de eo, qui *fidem habet* Deo CHRISTOque, quemadmodum C. IV: 3, 12. V: 16. VI: 2, et in aliis epp. PAULLI, ut [2 Cor. VI: 15. V.] Gal. III: 9. Eph. I: 1. [Col. I: 2, al. V.]

PAULLUS quoque Rom. XI: 22 iubet Christianos, natu non Judaeos, *contemplari benignitatem et severitatem divinam; severitatem quidem in* Judaeos, *qui ceciderant* (h. e. pristinis beneficiis destituti erant propter ipsorum ἀπιστίαν, coll. ss. 20, 23), [vel potius *qui peccarunt*, nam πίπτειν ut alibi, ita et hîc notat *officio labi*, quod recte monet FRITZSCH. V.], *benignitatem vero in* ipsos non Judaeos, *si maneant in benignitate*, h. e. si perseverent in percipienda Dei benignitate, fide data constanterque servata, coll. s. 20. Etenim minus probabilis mihi videtur eorum sententia, [quam FRITZSCH. quoque propugnat, V.] qui τὴν χρηστότητα in eadem verborum cohaerentia dictum putant, mox de *Dei benignitate*, mox de *hominum probitate*, *pietate*, *fidelitate*. [Cf. WETT. et THOLUCK. V.] Deinde C. II: 4—6 Apostolus eo severiores minatur poenas his, qui sese benignitate, tolerantia et lenitate divina flecti reducique haud patiantur. Contra vero electis Dei amicis, Deum CHRISTUMque ad mortem usque constanter profitentibus, perpetuum Dei favorem, nullo hostium furore, nulla rerum terrestrium adversitate minuendam, promittit Rom.

VIII: 31—39. Neque ipsi hi Dei amici exemti sunt molestiis et aerumnis; verum inest iis etiam amoris divini documentum, quo scilicet discant vitia fugere et ad veram virtutem felicitatemque adspirare, docente PAULLO Hebr. XII: 5—11, ubi comparationem instituit patrem inter humanum, liberos suos castigantem, quos vere amat, et Deum, patrem *τῶν πνευμάτων*, h. e. a quo non tantum corpus, sed et animum nostrum accepimus, [alii, ut KUIN. ad l. et BRETSCHN. in Lex. v. *πατήρ*: *qui animum castigat, docet, emendat*. THOLUCK. et WETTIUS utrumque significatum putant. Aliter BLEEK. ad l. V.] qui suos castiget filios, ut sanctitatis, qua ipse pollet, participes fiant, cuiusque disciplina severior in praesenti quidem non gaudium, sed dolorem afferat, postea vero salutarem *(εἰρηνικὸν)* [Vid. KUIN. ad l. V.] fructum emendatae vitae *(δικαιοσύνης)* [Gen. apposit. vid. WIN. *Gramm.* § 48, 2. p. 336 et WETT. V.] afferat his, qui per eam sint exercitati, ut adeo ex hac ipsa castigatione constet, nos esse non spurios, sed genuinos Dei filios. *Novimus*, inquit PAULLUS Rom. VIII: 28, iis, *qui Deum diligunt, omnia ad utilitatem conducere*: [quam interpretationem copiose probavit FRITZSCH. ad l. V.]

DEUS SIBI SEMPER CONSTANS, FIDELIS ET VERAX.

ROM. XI: 29. HEBR. X: 23. 1 JOH. V: 9, 10. ROM. III: 1—8. HEBR. VI: 13—18.

ET ALIIS LOCIS.

Deum sibi semper constare, nec voluntatem suam mutare docet JAC. I: 17 l. antea laud. Consentit PAULLUS Rom. XI: 29, ubi *ἀμεταμέλητα*, inquit, *τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ*, h. e. ***Deum beneficiorum gratuitorum et invitationis*** ad salutem ***non poenitet***. [CALV. aliique *τὰ χαρ. κ. ἡ κλ.* male per *ἓν διὰ δυοῖν* dictum esse pro ***beneficio vocationis*** existimant. Vid. FRITZSCH. V.] Dicitur autem *ἀμεταμέλητος* Graecis vel res, ***cuius nos non poenitet***, vel is, ***quem non poenitet***, ut idem sit ac *ἀμετανόητος*, quo et PAULLUS usus est C. II. 5. In N. autem T. non nisi priore occurrit significatione cum hoc loco, tum 2 Cor. VII: 10, ubi *μετάνοια ἀμεταμέλητος* est ***animi vitaeque emendatio, cuius non poeniteat***. ***Vulg.*** interpres, verba pressius secutus, vertit: ***sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei.*** Luculentiorem dedit interpretationem ERASMUS, probatam a BEZA et PISCAT.: ***dona et vocatio Dei eiusmodi sunt, ut eorum illum poenitere non possit.*** Mallem: ***ut eorum illum non poeniteat;*** alterum enim, quamvis bonam, omninoque veram praebeat sententiam, plus tamen enunciat, quam inest vocabulo Graeco. Atque hoc etiam, neglectum a

recentioribus interpretibus, veluti SEMLERO, KOPPIO, MORO, JASPISIO, sensisse videntur Glossatores *Belgae*, qui cum sententiam, propter Lat. linguae inopiam non nisi paraphrasi enunciandam, uno verbo *onberouwelijk* exprimerent, in annotatione tamen eius vim indicarunt hac circumscriptione: *d. i. zoodanig, dat God van dezelve geen berouw en krijgt*, caett. CASTELLIO paulo liberius: *sunt irrevocabilia Dei munera et vocatus;* cuius ad exemplum SCHLEUSN. in *Lex.* ἀμεταμέλητον notare dicit *immutabile*, *certum*, *firmum*, *irrevocabile*, longius vero etiam aberrans addit, vocem ex adiuncto notare *optimum*, *saluberrimum;* nostrum autem locum sic vertit: *certa et immutabilia sunt Dei beneficia.* CHR. FRID. SCHMIDIUS iam dederat: *certa et firmissima.* [Ita et BRETSCHN. in *Lex.* ad v. ubi σωτηρία ἀμεταμέλητος 2 Cor. VII: 10 male vertitur: *felicitas certissime nos manens*, *s. salus immutabilis*. V.] In interpretatione, quam dedi, mutato verborum ordine, exprimere mihi videor sententiam, PAULLI menti consentaneam. Scil. quamvis homines beneficiis divinis grato animo non respondeant, eaque negligant ac contemnant, quomodo factum fuerat ab Judaeis, CHRISTUM Conservatorem repudiantibus, Deum tamen non poenitet horum beneficiorum: et quamvis ipsi illi ingrati aliquamdiu non obtemperent invitationi Dei ad percipienda ea beneficia, quomodo Judaei diffidentes ad eum usque diem Deo invitanti nondum obtemperaverant, tamen Deum non poenitet huius invitationis. Unde con-

sequitur, non desperandum esse de Judaeorum salute, eosque una cum popularibus suis et alienigenis CHRISTO fidem habentibus, beneficiorum divinorum fore aliquando participes, quamprimum scilicet a contumacia desistant, gratoque animo Dei dona accipiant, et divino Euangelii nuncio, ad hanc salutem invitanti, morem gerant.

Qui vero sibi semper constat Deus, *fidelis* etiam est et *verax*. Itaque dicitur πιστὸς *fidelis* 1 Cor. I: 9. X: 13. 2 Cor. I: 18. 1 Thess. V: 24. 1 Petr. IV: 19. 1 Joh. I: 9. Huc etiam referendus est locus Hebr. X: 23, ubi πιστὸς dicitur ὁ ἐπαγγειλάμενος, *fidelis qui promisit*. Hunc enim non esse JESUM CHRISTUM, sacerdotem, cuius modo sect. 21 facta fuerat mentio, docet cum oratio contexta, in qua paulo ante sect. 16 *foedus* laudatum fuerat, quo Deus id ipsum promiserat, in quo praestando *fides* eius est conspicua, tum etiam locus huic parallelus C. XI: 11, ubi SARA, ABRAHAMI uxor, dicitur arbitrata, Deum πιστὸν τὸν ἐπαγγειλάμενον. [Cf. et alia ll., a BLEEKIO laudd. V.] Qui autem πιστὸς est, huic tribuitur πίστις *fides, fidelitas,* Rom. III: 3 loco mox tractando. — Similiter dicitur ἀληθὴς *verax* Joh. III: 33. VIII: 26. Rom. III: 4, et ἀληθινὸς Joh. VII: 28, coll. C. VIII: 26. Apoc. VI: 10, (alibi tamen ἀληθινὸς dicitur Deus *verus,* oppositus deastris, diis fictitiis, quod monuimus ad Joh. XVII: 3.) Deoque iccirco tribuitur ἀλήθεια *veracitas*, Rom. III: 7. XV: 8. Qui vero πιστὸς est et ἀληθὴς nec mentitur, nec

fallit: quapropter Deus Tit. I: 2 dicitur *ἀψευδής*; etenim, monente PAULLO Hebr. VI: 18, *ἀδύνατον* est, *ψεύσασθαι Θεόν*.

Atque hoc nomine Deus opponitur hominibus, vel etiam anteponitur. Sic JOHANNES 1 Ep. V: 9, 10, ubi testimonium laudat, quod de JESU CHRISTO, Filio suo, Conservatore nostro, dedit Deus: *si testimonium*, inquit, *hominum* fide dignorum *accipimus*, eisque fidem habemus, quanto magis oportet nos Deo testanti credere; etenim *ἡ μαρτυρία τοῦ Θεοῦ μείζων ἐστὶν*, *testimonium Dei maius est*, h. e. *gravius*, *certius*, *fide dignius*: mox vero addit: *qui Deo* [nam var. lect. *τῷ υἱῷ*, quam recepit LACHM., glossema sapere videtur, ex praecedd. ortum. V.] *fidem non habet*, *mendacem eum fecit*, h. e. ostendit eo ipso, se testimonium a Deo profectum mendacii arguere. Esse autem in hoc epistolae l. egregiam similitudinem cum ll. ex Eu. Joh. C. III: 33. V: 34, 36, et VIII: 17, 18, observatum est a STRONCKIO in *Spec*. l. p. 27. [De particc. *μὴ* et *οὐ* vid. WIN. *Gramm*. § 59, p. 443 sq. et LÜCK. V.]

PAULLUS loco, cuius iam saepius mentionem fecimus, Rom. III: 1—8, Dei fidem vindicat contra criminationes sibi persuadentium, irritam fore Dei veracitatem et in promissis praestandis constantiam, si deinceps par ratio sit futura Judaeorum et alienigenarum, in poenarum debitarum immunitate consequenda, non benefactorum meritis, sed

fide Euangelio habita. Horum igitur dubitatio sic proponitur sect. 1: *Quaenam igitur praerogativa Judaei? aut quaenam circumsectionis utilitas?* Τὸ περισσὸν pp. id, quod *superfluum* et *abundans* est; CASTELLIO, BEZA, PISCAT. [et BRETSCHN. in *Lex.* V.] dixerunt *praestantiam;* rectius CALV., quem secuti sunt *Belgae, praerogativam,* [et GROT. *praecipuum.* V.]; paulo liberius MORUS *fructum, emolumentum:* [vere FRITZSCH. τὸ περισσὸν i. q. ἡ περισσεία Eccl. I: 3; *ornamentum, decus, Vorzug.* V.] Suadet nostram interpretationem adiunctum in simili causa, ἡ ὠφέλεια, in posteriori membro. Respondet ad hanc dubitationem Apostolus sect. 2ª, *multa,* s. *magna omnino* [s. potius *omni ex parte* κατὰ πάντα τρόπον. Vid. FRITZSCH. et WETT. V.] fuit Judaeorum praerogativa et circumsectionis utilitas. Πολὺ quamquam ex Grammatices lege congruat cum remotiori περισσὸν, referendum tamen simul est ad id, quod huic adiunctum est: τίς ἡ ὠφέλεια τῆς περιτομῆς. [Cf. tamen FRITZSCH. ad l. V.] Mox Apostolus sect. 2ᵇ largitur, in circumsectione fuisse Judaeorum praerogativam, simul autem docet, quae huius circumsectionis *praecipua* fuerit utilitas. Πρῶτον enim non est *primum;* nam nihil amplius subiungitur aut cogitando supplendum est, quod sit *secundum;* sed *praecipuum,* quomodo 2 Petr. I: 20. III: 3. [Ita et CALV. — Alterum tamen praeferunt GROT., FRITZSCH., WETT. V.] Itaque vertimus: *nam praecipuum quidem in eo fuit, quod dicta Dei rata fuerint facta.* Ex vulg. interpretatione, [quam

dedit iam CHRYSOST., probantibus CALV., GROT. V.] verba ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ reddenda forent: *quod Dei dicta iis*, scil. Judaeis *fuerint credita*, divinorumque oraculorum conservandorum cura iis fuerit commissa. Neque ea interpretatio pugnat cum dicendi consuetudine *Paullina*. Etenim 1 Tim. I: 11 τὸ εὐαγγέλιον, ὃ ἐπιστεύθην ἐγώ, dicitur *Euangelium, quod mihi est creditum*; Tit. I: 3 Κήρυγμα, ὃ ἐπιστεύθην ἐγώ, *praedicatio, quae mihi est mandata*; 1 Cor. IX: 17 οἰκονομίαν πεπίστευμαι *munus* doctoris et antistitis *mihi est commissum, impositum*; denique Gal. II: 7 πεπίστευμαι τὸ εὐαγγ. *Euangelium mihi est creditum*. Plura e ss. etiam Graecis dederunt JAC. DE RHOER ad PORPHYR. *de abstin. ab esu anim.* p. 308 et KREBS. in *Obss. Flav.* p. 273. [Cf. et WINER. *Gramm.* § 40, p. 237. V.] Neque hoc insolens est PAULLO, quod numero singulari nominis, universitatem indicantis, addatur verbum plur. numeri: exemplo sit 1 Tim. II: 15, σωθήσεται (ἡ γυνὴ) ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει, κ. τ. λ. Cf. GLASSII *Philol. s.* L. I. Tract. III. Can. I. [et FRITZSCH. ad l. V.] Itaque nihil in consueta illa verborum interpretatione, nude spectata, est culpandum. Verumtamen ei minus favent contexta oratio et scribentis consilium. Scil. in subseqq. commemoratur non favor Dei, sua Israelitarum genti oracula credentis, sed divina in praestandis promissis fides: quam utique PAULLUS in hac epistolae parte defendit. Accedunt alia epistolarum *Paullinarum*

loca, quibus Apostolus Israelitarum praerogativam in eo sitam laudat, quod iis divinae promissiones fuerint factae, cuiusmodi sunt in hac nostra ep. C. IX: 4 et Eph. II: 12. Itaque praeferenda mihi videtur alia interpretatio, qua verba ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ reddantur: *rata facta sunt Dei dicta*, nominatim vero *promissa divina*. Est ea interpretatio minus frequens, nec tamen doctorum VV. assensu destituta. E veteribus ea placuit interpreti, non quidem *Syro*, quod volunt TREMELLIUS, BEZA, ALBERTI et KOPPIUS; sed monente LUD. DE DIEU, *Arabi*, vertenti: *primum illud est verificatio*, h. e. *ratificatio verbi divini*, et e recentioribus laudato DE DIEU, HOMBERGKIO in *Parergis* s. ad h. l., ELSNERO in *Obss.* s. ad 2 Thess. I: 10, VENEMAE, quamvis dubitanti, in *Exerc. de vera Christi div.* p. 110. KOPPIO ad h. l. et ABRESCHIO ad *Hebr.* p. 343. Nemo facile dubitaverit, quin τὰ λόγια τ. Θ. in dicendi genere Hebraeo-Graeco nominatim dicantur de *promissis divinis*: manifesta enim sunt huius usus exempla apud τοὺς ό Ps. CXVIII: (Hebr. CXIX), 58, 76, 116, 169. [Ita et FRITZSCH., VATABLUM, GROT. all. secutus, oracula significari contendit, quibus Deus Messiam, felicitatis auctorem, Judaeis pollicitus est (i. q. αἱ ἐπαγγελίαι Rom. IX: 4). V.] Porro verbum ἐπιστεύθη, [quod frustra negat FRITZSCH., contendens, scribendum tum fuisse: ὅτι ἐπιστώθησαν αὐτοῖς λόγια Θεοῦ. V.] in eodem dicendi genere respondet Hebr. נֶאֱמַן *verum*, *ratum factum est*,

certum, cognitum comprobatumque est: quemadmodum Gen. XLII: 20, ubi JOSEPHUS: *adducite*, inquit, *ad me fratrem vestrum*, καὶ πιστευθήσονται τὰ ῥήματα ὑμῶν, *et dicta vestra rata erunt et comprobata.* Neque aliter cum ELSN., VENEMA et Praeceptore meo ABRESCHIO, acceperim locum 2 Thess. I: 10, ubi postrema illa, valde ab interpretibus vexata, ὅτι ἐπιστεύθη τὸ μαρτύριον ἡμῶν ἐφ' ὑμᾶς ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, missa omni parenthesi et traiectione, sic videntur vertenda: *quia eo die in vobis certo comprobata erit doctrina nostra*, h. e. quia eo tempore manifestum fiet, Euangelium, quod vobis denunciavimus, imprimis institutionem nostram de beatitatis aeternae mercede, ipso eventu in vobis veram ratamque esse. Itaque nihil obstat in consuetudine dicendi, quominus in h. epistolae ad Rom. loco eam significationem verbo πιστεύεσθαι attribuamus. ALBERTI quidem in *Obss.* ad h. l. opponit numerum plur. in ἐπιστεύθησαν, pro quo dicendum fuisset numero sing. ἐπιστεύθη, quia neutrum plur. verbo gaudet sing. apud Graecos. Sed alterum illud quoque bene est Graecum, quamquam minus frequens. Cf. exempla a D'ORVILLIO ad *Charit.* allata, p. 578 Idque a Scriptorum Hebraeo-Graecorum ratione non abhorrere, docere potest locus ex *Gen.* libro modo laud. Quae igitur bonitatem habet Grammaticam interpretatio, aptior quoque est contextae orationi. PAULLUS enim in eo est, ut Dei fidem et constantiam in promissis praestandis laudet ac defendat. *Quid*

enim, inquit sect. 3, *si qui perfidi fuerunt? Num eorum perfidia Dei fidem tollet?* Quod quam sit a vero abhorrens, significat addito sect. 4[a] *μὴ γένοιτο*, *absit*, *nequaquam*. Laudat igitur Apostolus Dei *πίστιν fidem*, *s. veracitatem*, conspicuam in praestandis iis, quae tum promisit, tum etiam minatus est. Posterius enim non minus quam prius PAULLI animo praesens fuisse, colligere licet e subseqq. Cohaerent autem, ni fallar, Apostoli cogitata hunc in modum. Circumsectione Israelitis singulari beneficio concessa, tamquam foederis divini symbolo, rata facta sunt ea, quae Deus universae genti dixit, praemia gratuito promittens *τοῖς πιστοῖς*. Hanc utique Deus fidem servat: nec mutat sententiam, quamvis ex ea gente sint perfidi, qui fidem datam fallant. [Cf. WETT. ad l. V.] Deus enim *τοῖς πιστοῖς* promissa beneficia, *τοῖς ἀπιστοῖς* poenas, quas minatus est, est distributurus. Itaque *absit*, ut Deum promissis minisque stare negemus. *Γινέσθω δὲ ὁ Θεὸς κ. τ. λ.* Ita enim sect. 4[b] interpungendam esse arbitror cum KOPPIO, ut post *γινέσθω δὲ* ponatur colon, quo e subseqq. fiant duo enunciata, sibi invicem exacte opposita: *ὁ Θεὸς ἀληθὴς (ἐστὶ)· πᾶς δὲ ἄνθρ. ψεύστης (ἐστιν)*. Etenim dura est, et, quoad equidem intelligere possum, insolens dicendi forma, quae e vulg. oritur interpunctione: *γινέσθω δὲ ὁ Θεὸς ἀληθής*, ut indicetur: *Deus habeatur verax*. At e ratione *Koppiana* posterius *γινέσθω δὲ* apte respondet priori *μὴ γένοιτο*. Itaque sententia haec erit:

contra vero sit hoc modo dictum: *Deus verax est, omnes vero homines sunt mendaces.* Sic consuetam significationem vocum disiunctarum ἀληθής et ψεύστης servandam puto, quamquam alii [ut GROT V.] illud reddere malunt *fidum*, hoc *perfidum*. [Vid. tamen FRITZSCH. V.] Quod autem de Deo verace hominibusque mendacibus dicit PAULLUS, confirmat mox allato Ps. LI: 6 e τοῖς ὁ (Ps. L: 4) accurate descripto: καθὼς γέγραπται· ὅπως ἂν δικαιωθῇς ἐν τοῖς λόγοις σου, καὶ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε, h. e. *quomodo scriptum est: ut iustus habearis in dicendo et vincas in disceptando.* Κρίνεσθαι h. media *disceptandi* significatione occurrit Matth. V: 40 et apud τοὺς ὁ Jes. XLIII: 26. Qui autem in dicendo et disceptando contra homines iustus est causamque vincit, verax est, cum mendaces sint habendi, qui ei contradicant. Itaque haec ipsa hominum perversitas facit, ut Dei veracitas magis fiat conspicua. [Quam interpretationem FRITZSCH., licet ipse vertat: *et causa vincas, quum ab hominibus in iudicium vocaris*, per loquendi usum et contextam orationem non minus ferri posse concedit: imo utram interpretationem ipse praeferat incertus est. V.] Verum Judaei, quibuscum PAULLO disputandum erat, dubitandi et calumniandi ansam ex hoc dicto capientes, obiiciebant ea, quae sectt. 6—8 in hanc sententiam scripta sunt: *si vero iniustitia nostra* [intellige *Judaeos*, non *homines* cum FRITZSCHIO. Vid. WETT. V.] in fide data non servanda *Dei iustitiam* [ita enim v. δικαιοσύνην,

vertendum, non *benignitatem*, quod aliis placuit. Vid. FRITZSCH. V.] in exsequendo ea, quae promisit et minatus fuit, *declarat* (s. *conspicuam facit*, συνίστησι, ut C. V. 8 [2 Cor. VI: 4. VII: 11. Gal. II: 18: de qua v. συνίστημι significatione vid. FRITZSCH. disputantem contra WAHL. et BRETSCHN. V.]), *quid dicemus? Nonne Deus iniustus est, quando* nobis *indignatur* poenasque infligit? *Si enim Dei veracitas perfidia mea magis declaratur eius in laudem, cur et ego amplius tamquam peccans damnor? Et nonne dicemus: faciamus mala, ut bona eveniant?* [Cf. tamen FRITZSCH., qui PAULLUM sectt. 7, 8 de *se ipso* loqui contendit. V.] Haec vero Judaeorum calumnia non semel interrumpitur verbis *Paullinis* ei repositis. Primum enim, in fine sect. 5, per parenthesin interponit: κατὰ ἄνθρ. λέγω, h. e. *hoc dico ex hominum opinione:* quomodo optime MORUS interpretatur formulam, de cuius vario usu conferri meretur BEZA. [CHRYSOST. ὡς ἄν τίς φησι, κατὰ ἀνθρώπινον διαλεχθείη λογισμόν; GROT. *usus sum verbis quorumdam apud vos;* FRITZSCH. denique: »hominis more dico, »qui non satis semper verbis diligenter excussis »caveat, ne indecora in Deum transferantur, i. e. »sit venia voci *iniusti* de Deo positae, quam mihi »indulsi more hominis, qui parum digne neque »satis subtiliter de Deo passim loquitur." V.] Mox similiter in parenthesi subiicit, sect. 6: *Absit! alias quomodo Deus profanos damnabit?* Scil. non dubitabant Judaei, quin Deus sit damnaturus (κρί-

νειν pro κατακρίνειν, ut C. II: 27), profanas gentes (τὸν κόσμον), nec dubitare poterant, quin profanorum impietate Dei iustitia foret conspicua. Quodsi igitur poena ab Judaeis perfidis danda propterea iniusta esset dicenda, quod Dei veracitas eorum perfidiâ magis declaretur, id ipsum dicendum foret de poena, quam Deus ab hominibus profanis et a religione alienis est sumturus. [Cf. tamen *et* alios *et* FRITZSCH., qui, reiecta hac sententia, v. κόσμον *homines* interpretatur, ita ut Ap. significet: »alioquin iudicium de hominibus exercere »Deus non poterit." V.] Deinde etiam PAULLUS, postquam sect. 8 inchoaverat postremam calumniae partem: καὶ μὴ scil. λέξομεν, s. ἐροῦμεν, supplendum e subseq. λέγειν, quod iam in mènte habebat, [quod frustra negat FRITZSCH., ad καθὼς βλασφημ. mente addendum esse ποιεῖν contendens. V.] per similem parenthesin interiicit: *quemadmodum per calumniam de nobis dicitur, et aiunt quidam nos dicere.* Denique PAULLUS sect. 8[b] ad omnem istam calumniam satis respondisse sibi videtur, hoc uno regerendo, *Dei sententiam* [τὸ κρίμα, i. q. κατάκριμα *condemnatio.* V.] *in huiusmodi obtrectatores esse iustam.* [Alii ὧν ad ποιήσωμεν referunt, h. m. ὧν scil. τῶν ποιούντων τὰ κακὰ, ἵνα κ. τ. λ. ut sensus sit: *homines tam scelestos iustae poenae manent:* quae sententia FRITZSCHIO et WETTIO magis placet. V.] Caeterum ἡ ἀλήθεια τοῦ Θεοῦ sect. 7 neque est *Dei maiestas*, quod KOPPIO placuit, neque ἁγιωσύνη, quod mavult AMMONIUS; sed *veracitas*,

fides Dei, qua praestat, quae praenunciavit, promisit, minatus est. Sic enim *ἀληθής* dicitur Deus, sect. 4, minime *ψευστής:* eique attribuitur *πίστις* sect. 3. Similiter *ἀλήθεια Θεοῦ* PAULLO dicitur C. XV: 8, ubi recte interpretati sunt KOPPIUS et AMMON. Neque aliter Hebr. אֱמֶת ll. a SCHLEUSN. in *Lex.* v. *ἀλήθεια* n. 5 laudd. est accipiendum.

Tandem e quam plurimis locis, quibus Dei constantia, veracitas et in promissis praestandis fides laudatur, unum commemorabimus locum Hebr. VI: 13—18, ubi Apostolus exemplo ABRAHAMI, cui Deus iureiurando suam professus fuerat benignitatem, docet, quanta fiducia oporteat nos promissiones divinas excipere, quum Deus tantopere sese ad imbecillitatem nostram demittat, ut suae voluntatis benignique de humana salute consilii perpetuitatem et constantiam declarare amplius volens, his, quibus destinata erat promissaque vita aeterna, iusiurandum interposuerit ([1]), ut per duas res immutabiles, quae sint in promissione et iureiurando, et quarum neutra ([2]) fieri potest, ut Deus umquam fallat mentiaturve, fortissimum

---

([1]) Varias v. *μεσιτεύειν* interpretationes vid. ap. KUIN. et BLEEK. Ille, BRETSCHN. secutus, vertit: *sponsorem esse*, *spondere*, ut adeo verba scriptoris reddenda sint: »promissionis veritatem spopondit iure»iurando." V.

([2]) *ἐν οἷς*, h. e. *promissione* et *iureiurando*. KUIN. male vertit *propter quae*. V.

habeamus spei fiduciaeque incitamentum, simul et dolorum continuum solatium. Cf. ad h. l. l. paraphr. ABRESCHIUS, [et, ne alios afferam, BLEEK. V.]

ANNOTATIO

IN

D. CAR. AUG. THEOPH. KEILII

ELEMENTA

HERMENEUTICES NOVI TEST.

LATINE REDDITA

CHRIST. AUG. GODOFR. EMMERLING,

§§ 21, 22.

ANNOTATIO

IN

D. CAR. AUG. THEOPH. KEILII

ELEM. HERMEN. N. T.

§§ 21, 22.

AD § 21.

Notitia Grammatices.

Grammatica est disciplina, s. ars dicendi et scribendi convenienter linguae cuiusque usui et indoli. Quicunque igitur librum est interpretaturus, hunc scire oportet indolem et usum linguae, qua liber scriptus est. Utrumque nisi probe teneat, nec veram scriptoris mentem reperire potest, neque eam legibus Grammaticis aut dicendi usu probare, aut ab adversariorum dubitationibus defendere, nec denique refellere interpretationes ab usu et consuetudine scribendi alienas. Iccirco periculosum est, ad interpretandum accedere eum, qui non bene sit peritus linguarum ad Grammaticam ἀκρίβειαν, a qua iusta linguae cuiusque

scientia venit. Etenim, ut recte animadvertit ERNESTI, *Inst. Int. N. T.* P. II. C. X. § 3: »caret »freno, quo licentia fingendi et libido torquendi »scripturas ad suarum opinionum arbitrium coër»ceri possit, vagaturque saepe incertis viis, nec »habet, ubi tuto possit consistere." [Cf. et WINER. *praef.* ad 3^{am} *Grammat. N. T.* ed. p. III—VI, et FRITZSCH. cum in *praef.* ad *Comm. in Matth. Eu.* p. XI, tum in *praef. Comm. in Ep. P. ad Rom.* praem. p. VI sq., ubi: »Quum verba," inquit, »notionum signa sint, quid scriptor senserit, nisi »eius verbis ad linguae, qua ille usus sit, regulas »diligentissime exactis, sententiarum nexu accura»tissime enucleato ipsisque sententiis summâ rel»ligione cum iis collatis, quae tum ipsi scriptori, »tum eius aequalibus placuerint, erui non potest." V.] Quod cum intelligerent Viri summi, qui sacris repurgandis operam dederunt, et qui hos proxime secuti sunt, studium linguarum Hebraeae et Graecae ad Grammatices praecepta saepe multumque commendarunt admonendo et praeeundo. »Scriptura," inquit MELANCHTHON, »non potest in»telligi Theologice, nisi prius intelligatur Gram»matice." Alia magnorum virorum dicta collegit SIXT. AMAMA, Litt. Hebr. in Acad. Franeq. Prof., in *supplice paraenesi ad Synodos, Episcopos et Superintendentes Ecclesiarum Protestantium* a. 1624 datas, *de excitandis ss. literarum studiis:* quae Paraenesis, postea recusa in *Antibarbaro* eius *Bibl.* p. 120 sqq., non parum contulisse videtur ad

excitanda in *Belgio* haec studia, quae per lites Remonstrantium et Contraremonstrantium refriguerant. Cf. ERN. l. l. §§ 1—5. [Quibus dictis *et* alia addi possunt, *et* gravissimum illud JO. VOORSTII, qui in *Orat. de* JO. AUG. ERNESTIO, *optimo post* HUGONEM GROTIUM *duce et magistro interpretum N. T.* Lugd. Bat. 1804, p. 4: »in ea nimirum," inquit, »sententia versor, eruditam interpretationem horum »librorum et fontem et firmamentum et praesi»dium verae CHRISTI doctrinae esse." Cf. et CLARISSII *Encyclop. Theol.* ed. alt. § 65. V.]

RES UNICE, monente KEILIO, AD TECHNICAM REDIT GRAMMATICAM.

Duplex est *Grammatica*, altera *historica*, altera *technica*. *Historica* docet, quae significatio verbis sit tribuenda per usum loquendi arbitrarium: *Technica*, quae significatio verbis sit tribuenda per certas leges dicendi et scribendi receptas, s. per linguae analogiam. Exemplo res fiet magis perspicua. Quid significet Gr. Θεὸς, βασιλεὺς, quid art. ὁ, ἡ, τὸ, quid verbum εἶναι, docemur non nisi testimoniis eorum, qui Graece dicunt et scribunt: nulla lex est Grammatica, qua probare possis horum verborum significationem; nulla linguae analogia, quae doceat, Θεὸν esse Lat. *Deum*, βασιλέα *regem*. Haec res non nisi historico argumenti genere probari potest; factum est historicum. Hoc igitur omne ad Grammaticam *historicam* pertinet. Ab hac diversa est Gramma-

tica *technica*, *artificialis*, quae docet significationem verborum et sententiarum, per certas leges dicendi et scribendi receptas, s. per linguae analogiam. Cum *historica* doceat, quid sit ὁ βασιλεύς, *technica* Grammatica docet, ad quamnam legem certam haec vox flectatur numero et casu, βασιλέας, βασιλεῖς esse *reges;* docet porro, quae significatio, per linguae analogiam, s. etymologiam, sit tribuenda vocibus βασιλίσσα, βασιλικὸς, βασιλεύειν, συμβασιλεύειν; docet, quomodo hae voces inter se et cum aliis coniungantur, ut ὁ Θεός ἐστι ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλέων. Atque haec *technica* pars proprie est *Grammatica*, ut animadvertit ERN. l. l. § 6. *Haec* enim ad artis et disciplinae formam tradi potest: *historica* non item. Itaque si dicamus, *Grammatices disciplinam* in interprete requiri, *res unice ad technicam redire* dicitur a KEILIO.

Sunt autem in hac technica Grammatica quatuor partes: *orthographia*, *prosodia*, *etymologia et syntaxis*. *Orthographia* docet recte legere et scribere, quae linquâ et scripturâ enunciari possint ad consuetas leges. [Vid. de illa WINER. *Gramm.* § 5, p. 42 sqq. V.] *Prosodia* illa docet pronunciare eâ syllabarum quantitate, quae e consuetudine unicuique est propria. Sed harum mentionem non facit KEILIUS, quia eae minimae sunt et a tironibus, antequam ad interpretandi artem accedant, addiscendae. Itaque *res*, ut ille ait, *redit* MAXIME *ad partem etymologicam et syntacticam*.

Etymologia proprie quidem docet ἔτυμον, *originem verborum;* sed solet latius accipi pro ea Grammatices parte, quae docet, quid verbis singulis proprium sit, quid articulis, quid nominibus, quid verbis, quid particulis. *Syntaxis* docet singulorum verborum coniunctionem ad certas leges institutam. Utriusque igitur scientia accurata est comparanda.

Illius quidem (Etymologiae) *ratione*, ut ait KEILIUS, *interpretis est*, *nosse varias vocabulorum formas*, *unde varius existat significatus*. Harum enim rerum, inquit ERN. l. l. § 8 »accurata et usu multo »firmata scientia ubi deest, facile in interpretando, »nec leviter peccatur: cuius generis exempla in»credibile propemodum est, quam multa exstent; »cum saepe parva ex eo genere observatio tollat »difficultatem, et aditum faciat non modo ad in»telligendum, verum etiam ad refellendum." Itaque discat, qui recte velit intelligere et interpretari Novum Test.:

1. *Analogiae* leges, ad quas vocabula duci solent a primitivis, literis adiectis, mutatis, detractis; item eas, ad quas vocabulorum fit compositio; denique eas, ad quas unius eiusdemque vocabuli notiones solent mutari et aliae ex aliis proficisci.

a. In legibus explicandis, ad quas vocabula duci solent a primitivis, novam ingressi sunt viam TIB. HEMSTERHUSIUS, JO. CASP. VALCKENAERIUS, JO. DAN. LENNEPIUS et EVER. SCHEIDIUS. Quorum laboribus

nondum satis usi sunt Novi Test. Lexicographi et interpretes hodierni Germani; quamvis fatear, saepe etiam lapsos esse, qui unâ etymologiâ contenti, usum verborum parum curarent. Dolemus, JACOBUM DE RHOER, dum viveret, in lucem non emisisse *Lexicon N. T. Gr. ad analogiae leges compositum*, quod a multis retro annis sibi edendum proposuerat. [Cf. WINER. *Gramm.* § 16. V.]

b. Sunt etiam certae leges, ad quas vocabulorum fit compositio, habentque hae leges suas exceptiones. Sic, ut hoc utar, solent quidem verba e praepositionibus composita ab iis singularem accipere vim, quae cuiusmodi sit docet propria harum praepositionum significatio, et similium compositorum analogia. Qua de re lectu digni sunt libelli CASP. FRID. HACHENBERGII *de signific. praepositt. Gr. in compositis*, Trai. ad Rh. 1771, 8, JO. AUG. HENR. TITTMANNI *diss. de vi praepositt. in verbis compositis in N. T. recte diiudicanda*, Lips. 1814, JO. V. VOORST *Spec. I Animadverss. de usu verborum cum praepositt. compositorum in N. T.* Lugd. Bat. 1818. [Spec. II. ibid, JO. FRIDER. FISCHER. *et* HENR. EBERH. GOTTL. PAULI *Bemerkungen über das Bedeutungsvolle der Griechischen Praepositionen in den davon zusammengesetzten verbis neben einander gestellt u. beurtheilt von* CHRIST. FRIEDR. FRITZSCHE, Lips. 1809. WINER. *Gramm.* § 56 et quos laudat, maxime ipsius scriptum *de verborum cum praepositt. composit. in N. T. usu* Part. I. II. Lips. 1834, 5. V.] Sed saepe etiam

usus fecit, ut ea vis periret, et composita nihil amplius significarent, quam simplicia verba: id quod dudum observatum est a GROTIO, BOISIO, GLASSIO in ll. N. T., et a principibus quibuscunque viris in scriptoribus Graecis. Quocirca recte ERN. l. l. P. I. S. II. C. V. § 8 docuit: »usu et »observatione constat, praepositiones non semper »significationem simplicis mutare, imo vero saepissime redundare." Verumtamen et in eo modus est tenendus; nam quod e. c. ERN. l. l. putat προγινώσκειν nihil esse praeterquam simplex γινώσκειν Rom. VIII: 29. 1 Petr. I: 20, nondum mihi persuadere possum et negat etiam KOPPIUS ad priorem locum, cui frustra contradicit SCHLEUSN. [Vid. FRITZSCH. ad Rom. VIII: 29, t. II. p. 200 sq., ubi et de loco *Petrino* disputat. V.] Manifesto certe errant, qui cum KREBSIO, in *praef.* ad novam *Lex.* SCHOETTGEN. ed. a. 1764, dicunt, »in plerisque ver»bis compositis praepositionum vim plane esse »nullam," aut cum FISCHERO, in *Prol. de notionibus iusto amplioribus, quae in Lexicis N. T. verbis e praepositionibus compositis subiectae leguntur*, Lips. 1776, rep. in *Proluss. de vitiis Lexicorum* V. »verba e praepositionibus coagmentata omnia »in libb. div. per se potestate paria esse verbis »simplicibus." Nos huius rei illustrandae causa nonnulla maxime compositorum cum ἀνά proferemus exempla. Praepos. ἀνά suam habet vim singularem in ἀναβαίνειν, ἀναβάλλεσθαι, ἀναβιβάζειν, ἀναβλέπειν, ἀναβοᾷν, ἀνάγειν, ἀναγεννᾷν, ἀναγνω-

ῥίζεσθαι, ἀναζῆν, ἀναζητεῖν, ἀναθάλλειν, ἀναθεωρεῖν, ἀνακαθίζειν, ἀνακαλύπτειν, ἀνακάμπτειν, ἀνακεφαλαιοῦν, ἀνακλίνειν, ἀνακόπτειν, ἀνακράζειν, ἀνακρίνειν, ἀνακύπτειν, ἀναλαμβάνειν, ἀναλίσκειν, ἀναλογίζεσθαι, ἀναλύειν, ἀναμιμνήσκειν, ἀνανήφειν, ἀναπαύειν, ἀναπέμπειν, ἀναπίπτειν, ἀναπτύσσειν, ἀνασείειν, ἀνασκευάζειν, ἀνασπᾶν, ἀναστατοῦν, ἀναστῆσαι, ἀναστρέφειν, ἀνατάσσεσθαι, ἀνατίτεσθαι, ἀνατρέπειν, ἀναφαίνειν, ἀναφέρειν, ἀναφώνειν, ἀναχωρεῖν, ἀναψύχειν: minime vero in ἀναγγέλλειν, ἀναγινώσκειν, ἀναδεικνύειν, ἀναδέχεσθαι, ἀναδίδοναι, ἀναζωννύειν, ἀναζωπυρεῖν, ἀναιρεῖν, ἀνακαινίζειν, ἀνακαινοῦν, ἀνακεῖσθαι, ἀναμένειν, ἀνανεοῦν, ἀναπείθειν, ἀναπληροῦν, ἀνάπτειν, ἀνασταυροῦν, ἀναστενάζειν et ἀνατρέφειν. Itaque ἀναπληροῦν e. c. pro simplici πληροῦν adhibetur Gal. VI: 2, ut adeo frustra vim singularem in eo quaesiverint CHRYSOST. et THEOPH. Cf. ad h. l. BORGER. [et RÜCKERT. V.] Ἀνασταυροῦν usu linguae Graecae non est ἄνωθεν σταυροῦν, ut exposuit quoque CHRYSOST., quin et ipse GROT., item BEZA et *Belgae* Hebr. VI: 6, [PALM. multique alii, quos commemorat BLEEK. ad l., qui et ipse huic interpretationi favet. V.]; sed simpliciter σταυροῦν, *in crucem agere*. Cf. ABRESCH. ad l. Ἀνθομολογεῖσθαι non est *vicissim confiteri*, s. *confessione respondere*, ut ERASM. et BEZA vertunt Luc. II: 38, *(Belgae* dant: *insgelijks belijden)* [PALM. *verhief ook* des Heeren *lof*. V.]; sed simpliciter *laudare*, *celebrare*, [quo sensu occurrit apud τοὺς ὀ Ps. LXXVIII (LXXIX): 13. V.] Cf. VORST. *de*

Hebr. N. T. C. V. § 9, et SUIC. *Thes. Eccl.* in v. *Ἀποθλίβειν*, ἁπ. λεγ. Luc. VIII: 45, idem est quod simplex *θλίβειν*, *urgere*, *comprimere*. [Cf. Marc. III: 9, ubi itidem de multitudine hominum *θλίβειν* adhibetur. Itaque male singularem verbo vim tribuit BRETSCHNEID., in *Lex.* ad v. interpretans: *valde urgeo, ab omni parte premo*. V.] *Διαγνωρίζειν*, ἁπ. λεγ. Luc. II: 17 idem significat quod simplex *γνωρίζειν*, neque adeo est aut *pernoscere*, quomodo ERASM. vertit, neque *divulgare*, quomodo BEZA et *Belgae*, [aut *omnibus*, *in vulgus narrare*, ut BRETSCHNEID. in *Lex.* V.]; sed vel *cognoverunt ex signis*, quomodo SEGAAR. ad h. l., vel *narrarunt*, quomodo JENSIUS in *Ferc. lit.* p. 37, LOESN. *Obss. in N. T. e Philone*, SCHLEUSN. in *Lex.* [WETT. et PALM. V.] interpretantur. Ita et *καταφιλεῖν* saepe idem est quod *φιλεῖν*, unde Euangelistae utrumque promiscue adhibent pro *osculari*, Vid. Matth. XXVI: 48, 49. [Ita et BRETSCHN. in *Lex.* ad v. et WETT. ad l. Potest tamen hoc quoque loco admitti significatio *multum osculandi*: quo sensu occurrit Luc. VII: 38, 45. XV: 20. Act. XX: 37; nam, quod FRITZSCH. recte monet, »v. 48 satis erat, dici sa»tellitibus, homini, quem JUDAS fuerit osculatus, »vim iniiciendam esse; sed h. l." (s. 49) »multa »illum et arcta oscula magistro fixisse scriptor »memoravit, credo, ut signum, de quo convene»rat, nemo non vel in tenebris animadverteret." Ipso igitur iudice verbum *καταφιλεῖν* non *osculari* significat, sed *amplexari*. V.]

c. Certae sunt leges, secundum quas unius eiusdemque verbi significationes aliae ex aliis ducantur. Cuiusmodi haec est: primas notiones a rebus corporeis plerasque esse ductas et ad animum translatas: item ea, qua verbum quod ab initio uni cuipiam rei significandae aptum erat, mox ad universum genus, aut ad res similes et quadam cognatione iunctas traducitur. Huiusmodi analogia si observatur, saepenumero consulitur simplicitati et perspicuitati interpretationis. Exemplum dedit JAC. JUST. SCHOLTEN, in *Diss. de div. significc. v. χάρις in N. T.* [p. 19 sqq. copiose probans, v. *χάριν* primum significasse »*elegantiam*, *leporem*, »*venustatem*, quae tribuitur rebus sensibus placen»tibus gratisque." V.] Cf. et MORI *Diss.* [Significavit scriptor, ni fallor, Diss. *de nexu significationum eiusdem verbi*, quae est XIII *Diss. Theol. et Philol.* Vol. I. p. 394 sqq. V.]

2. Sunt etiam cognoscendae variae formae variique usus, in diversis vocabulorum generibus, e quibus nonnulla notabimus.

a. Articuli *ὁ*, *ἡ*, *τὸ* usus diligenter est notandus, potestque is a *Belgis* et *Germanis* rectius intelligi et exprimi, quam a *Latinis*. Cf. KLUITII l. a KEILIO laud. Exemplo sit *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*, quod semper CHRISTUM indicat: cum Joh. V: 27. Hebr. II: 6. Apoc. XIV: 14 sit *υἱὸς ἀνθρώπου*. Cf. WESS. SCHOLTEN. *Spec. de appellatione τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου* Trai. B. 1809. Sic

et ὁ μονογενὴς *certum unigenam* significat Joh. I: 18. III: 16, 18. 1 Joh. IV: 9. Hebr. XI: 17; contra μονογενὴς sine art. indefinite: *een' eeniggeborene*, Luc. VII: 12. VIII: 42. IX: 38. Hinc ita etiam fuerat vertendum a nostratibus [et PALM. V.]: *een eeniggeborene eenes Vaders* Joh. I: 14. [Cf. omnino WINER. *Gramm.* § 17 sqq. V.]

b. In nominibus variae formae bene tenendae sunt.

α. Pluralis numerus solet quidem vulgo pluralitatem indicare; sed saepe etiam pro singulari sumitur. »Cum enim Scriptores antiqui, ipsius ra»tionis admonitu" (verba sunt FISCHERI *de vitt. Lex. N. T.* p. 147) »cognovissent, plur. numerum »esse non solum dignitati atque maiestati certarum »personarum, magnitudini atque praestantiae cer»tarum rerum convenientiorem, sed etiam ad de»clarandam earumdem gravitatem excellentiamque »aptiorem singulari numero, instituerunt frequen»tare istum numerum de iis rebus, quae vel diis »et regibus et aliis civitatum principibus, omni»noque claris et excellentioribus suo in genere »hominibus tribuerentur, vel certe per se essent »eiusmodi, ut multas sui cognative generis res, »vi sua et natura, complecterentur, aut magni»tudine et utilitate, aliave quadam virtute excel»lerent." Itaque saepe, ubi plur. numerus occurrit, non multae res indicantur, sed una, magna fere illa et excellens. Sic οὐρανοὶ ad Hebr. שָׁמַיִם, in N. T. est ὁ οὐρανὸς, quocum permutatur; ut adeo

ORIGENES male haec distinxerit. Cf. ABRESCH. *ad Hebr*. p. 294 sq. Sic et *τὰ σάββατα* in his libris promiscue dicuntur, ac *τὸ σαββατόν*. Ita et *vestem honoratiorem*, *pallium* Scriptores *Alexandrini*, atque adeo N. T. Scriptores *τὰ ἱμάτια* dixerunt, ut Hebraei בְּגָדִים a sing. בֶּגֶד, et שְׂמָלוֹת a sing. שִׂמְלָה, pro sing. *ἱμάτιον*, ut Matth. XXIV: 18, [XVII: 2, XXVI: 65. XXVII: 31. V.], ubi nostrates vertunt: *kleederen*, [et ipse FRITZSCH. *vestimenta;* recte PALM. primo loco: *kleed*. Cf. et WETT. ad l. V.] Porro *οἱ οἰκτιρμοὶ benignitates* Rom. XII: 1. 2 Cor. I: 3, al. pro sing. *οἰκτιρμός*, ad Hebr. רַחֲמִים et חֲסָדִים; uti et *οἱ αἰῶνες* et *ὁ αἰὼν* de *mundo* sine discrimine dicuntur, ut Hebr. עוֹלָם et עוֹלָמִים Hebr. I: 2. Matth. XXIV: 3, al. Cf. GLASS. *Philol. s*. ed. DATH. I. p. 62 sq. ABRESCH. [et BLEEK. V.] ad l. ep. ad Hebr. Et de universo hoc genere vid. FISCHERI Prol. VI, VII, GLASS. l. l. p. 58—66. [et WINER. *Gramm*. § 27, n. 3. V.]

b. Nomina deminutiva saepe idem valent, quod absoluta. Etsi enim deminutiva a Graecis et inventa sunt et usurpata maxime propterea, ut parvitatem brevitatemque personarum et rerum significarent, tamen paulatim, ut fit, ab iis ita posita sunt, ut nunc amoris, blanditiarum et adulationis, nunc illusionis, extenuationis et contemtus essent indices; imo vero etiam simpliciter res ipsas et personas denotarent, atque adeo idem valerent, quod absoluta nomina. Sic *θηρίον* demin. a *θὴρ*

omne genus *ferarum* notat, etiam *vastarum* et *immanium*, et φορτίον omnis generis *merces* et onera navibus imposita significat, quamvis sit demin. a φόρτος. Hanc igitur rationem in usurpandis deminutivis etiam scriptores N. T. secuti sunt. Sic filia mulieris *Chananaeae*, cui JESUS sanitatem reddidit, a MARCO non solum θυγάτριον dicitur C. VII: 25, sed etiam θυγάτηρ s. 26, 29, quomodo eam MATTH. quoque dixit C. XV: 22, 28. Itaque ex uno hoc θυγάτριον aetas filiae illius effici non potest: [at probabilis tamen est *filiolae* interpretatio. Cf. Marc. V: 23, coll. sectt. 35, 39, 40, 42. V.] *Pisces*, quibus CHRISTUS sedavit famem plurimorum hominum, a JOHANNE dicuntur ὀψάρια, demin. ab ὄψον, *obsonium*, hinc per synecd. *pisces*, C. VI: 9, 11; sed iidem a caeteris Euangelistis, qui hanc primam cibationem mirificam omnes notarunt, dicuntur formâ absolutâ ἰχθύες, Matth. XIV: 17, 19. Marc. VI: 39, 41, 43. Luc. IX: 13, 16. Itaque non oportet ex eo demin. vocabulo efficere, hos pisces fuisse *pisciculos* e minimo eorum genere: [attamen deminitivum fortasse usurpatum est cum ab ANDREA, adiiciente: ἀλλὰ ταῦτα τί ἐστιν εἰς τοσούτους; tum a JOH., magnae hominum multitudinis ratione habita. V.] Ita et in parabola Matth. XI: 16 παιδάρια [vel παιδία, quod GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHEND. in textum receperunt. V.] dicuntur, et Luc. VII: 32 παιδία, qui potuerant παῖδες dici. Certe παιδάριον, quod attulit *panes* et *pisces*, quibus CHRISTUS ad mirificum illum, de

quo modo dixi, cibatum usus est, minus *puerulus*, quam *adolescens* fuisse videtur, Joh. VI: 9. [Cf. BRETSCH. in *Lex.* ad vv. παιδάριον et παιδίον. V.] Et παιδίσκη, similiter demin. a παῖς, Pontificis CAIPHAE ianitrix, quae PETRO Apostolo incutere timorem potuit, Matth. XXVI: 69. Marc. XIV: 66, 69. Luc. XXII: 56. Joh. XVIII: 17, fuit *ancilla*, *famula*, quae etiam apud τοὺς ό dicitur παιδίσκη. [Loca ex interpret. τῶν ό dat BRETSCHN. sub v. V.] Quominus autem haec deminutiva vis vocabulorum urgenda sit in N. T., facit usus deminutivorum apud *Hebraeos* et *Aramaeos* sive rarior, sive nullus. Cf. FISCHER. *de vitt. Lex.* Prol. X. § 2 et DATH. in GLASSII *Philol. s.* II, 1292 sq.

c. In verborum formis iubet KEIL. in not. *a.* maxime attendere ad *verba media*, et laudat KÜSTERI, CLERICI ac DRESIGII de his scripta opuscula, iunctim a FISCHERO edita. Neque enim verborum mediorum potestas solet ita ab omnibus tradi, ut admonitiones et exercitationes ad eam cognoscendam et in interpretatione N. F. adhibendam superfluae haberi possint. Olim quidem huius formae vis in eo tantum consistere dicebatur, ut alia tempora active, alia passive; imo eadem tempora modo active, modo passive caperentur. Sed LUD. KÜSTERUS, vir Graece scientissimus, novam ingressus est viam, ed. Paris. 1714, repet. Lugd. Bat. 1717 libello, quem *aureum* dixerunt ALBERTI, *Obss. Philol. in ss. N. F. ll.* p. 8, D'ORVILLIUS in *Vann. Crit.* p. 240 et KREBS. in *Obss. N. T.*

p. 93 sq., *de vero usu verborum mediorum ap. Graecos, eorumque differentia a verbis act. et pass.* Hic igitur, multis veterum locis in medium allatis, ostendit, verbi medii usum non solum consistere in simplici, vel activa, vel passiva significatione; sed in virtute quadam, quae inter utramque media esset, s. quae simul active, simul passive esset intelligenda, atque adeo *reciprocam* faceret significationem. KÜSTERI sententiam destruere conatus est JO. CLERICUS, in *Bibliotheq. anc. et mod.* T. V. P. II. p. 237 sqq., probare cupiens, verba media neque formatione, neque significatione, (de qua tantum locutus fuerat KÜSTERUS), differre ab activo et passivo. KÜSTERI partes secutus, CLERICO se obiecit CHRISTOPH. WOLLIUS, utroque longe inferior, neque huic liti dirimendae par. Hic igitur a. 1733 denuo in lucem emisit KÜSTERI libellum, una cum CLERICI disputatione e Francico sermone in Lat. conversa. Addidit ERASM. SCHMIDII Progr. *de verbis Graecorum mediis*, nihil ad hanc litem conferens, sed exemplis tantummodo probans, has formas non modo active, sed etiam interdum passive esse accipiendas. Tandem praeter notulas superioribus opusculis adspersas, subiecit suam *de verbis Graecorum mediis dissertationem, exemplis, cum sacris, tum profanis illuminatam*, in qua contendit, verba media non tantum *significatione*, sed etiam *formatione* ab activo et passivo esse diversa. Sed, quod prospere satis cesserat KÜSTERO, male CLERICO, WOLLIO cessit

pessime, iudice LENNEPIO, *de Analog. ling. Gr.* Cap. VIII. Vel sic tamen WOLLIUS repetiit suum libellum, summoque HEMSTERHUSIO obtulit, a. 1752, additis cum curis suis posterioribus, tum etiam excerptis ex annotationibus SAM. CLARCKII ad HOMER., quibus hic, ad KÜSTERI exemplum, reciprocam verborum mediorum vim in Poëtae locis animadvertit, iisque hoc interpretationis subsidio lucem affudit. SEGIM. autem FRID. DRESIGIUS, qui a. 1742 tristi morbo, vique sibi facta, occubuit, (Cf. AD. HENR. DRESIGII *epist. ad* JOH. FRED. FISCHERUM data, praem. *Comm.* mox laud.), ante mortem *Commentarium* quoque scripserat *de verbis mediis N. T.*, quem FISCHERUS edidit, Lips. 1755, additis denuo KÜSTERI libello et CLERICI dissertatione, quam DRESIGIUS quoque e Francico in Lat. sermonem verterat. In hoc igitur Commentario Vir doctus, iudice FISCHERO, in *Praef.* p. XVIIII verborum mediorum N. T. vim et naturam ad KÜSTERI exemplum ita explicavit et demonstravit, ut nullus alius liber repertus videatur, ubi tam copiose et accurate de iis sit expositum. Verumtamen, iudice eodem, ad demonstrandos verborum significatus nimis multa loca e SS. Graecis recentioribus, ut AELIANO, HERODIANO, PLUTARCHO, aliis attulit, e quibus tamen addisci linguae Graecae vera indoles haud potest, utpote qui saepe discedant ab usu veterum et probatissimorum scriptorum. Deinde etiam FISCHERO non placere potuit consilium, verba Novi Test. media e solis SS.

Graecis illustrandi. Etenim quum Scriptores N. T. etiam in usurpandis et adhibendis verbis mediis interpretes Alexandrinos V. T. secuti fuerint, non ipsos SS. Graecos, eademque adeo, quae illi, verba Graeca expresserint, non melius vis verborum mediorum N. T. demonstrari posse videtur, quam si ostendas, quodnam sit illud verbum Hebr., quod reddiderint Graeco, et quae sit verbi illius Hebraici potestas; nam sic et Graeci vera vis et notio quin possit cognosci, nemo dubitaverit. Docuerunt id praeter alios PETR. KEUCHENIUS et ipse FISCHERUS in *ann. ad* STOCKII *Clavem ling. s. N. T.*

Ex his igitur, ad analogiam linguae Graecae a KÜSTERO, et qui eum secuti sunt, erutis, verba media habent significationem *reciprocam*, qua aliquid indicatur, quod quis sibi ipse infert, a se ipse patitur, quod in se ipse peragit, cui se sponte offert. Atque ita passim in N. T. adhibentur. Exemplis nonnullis defungar. Qui alium tondet, ut pastor ovem, dicitur κειρεῖν, qui tondetur ab alio κείρεσθαι; sed vi media κείρεσθαι etiam is dicitur, qui vel *se ipse tondet*, vel se sponte *alii offert tondendum*. Sic PAULLUS Act. XVIII: 18, dicitur κειράμενος τὴν κεφαλὴν, non *quum totondisset caput*, ut cum BEZA et PISCAT. vertunt *Belgae*, quin et ipse MORUS, [PALMIUS et WETT.; verum *quum sibi totondissit caput*, prouti interpretatur WINER. *Gramm.* § 40, p. 231. 3. V.]; vel *quum se tondendum praebuisset*, quomodo WOLLIUS, DRESIGIUS, SCHLEUSN., HAMELSV., CLARISSIUS, [BRETSCHNEID. in *Lex.* V.] Si-

militer 1 Cor. XI: 6. — Nostrates [uti et PALM. et WETT. V.] rectius vim medii verbi expresserunt Act. XXII: 16, in ἀναστὰς βάπτισαι καὶ ἀπόλουσαι, non vertentes cum BEZA: *baptizare et ablue peccata;* sed *laat u doopen en afwasschen.* Atque sic βαπτίζεσθαι saepius significat *se baptizandum curare*, quamvis raro ita vertant interpretes, ut Joh. III. 23. Act. XVIII: 8, et 1 Cor. XV: 29: [de 1 Cor. X: 2 vid. ipse WINER. l. l. p. 233. V.] Ita et ἀπογράφεσθαι Luc. II: 1, 5 est *se censendum praebere.* [Vid. WINER. l. l. p. 232, 4. V.] Sed haec facilia sunt. Sunt vero etiam aliae significationes, quae quomodo verbis mediis sint attributae nemo facile videbit, nisi propriam activorum vim et reciprocam mediorum virtutem cognoverit. Hinc variae verbi ποιεῖσθαι; [de quo cf. WINER. l. l. p. 234. V.] significationes pendent, quando sermo est de eo, quod quis *sibi ipse facit.* Sic πρόνοιαν ποιεῖσθαι est *sibi curare* Rom. XIII: 14; κοπετὸν π. *luctum sibi facere*, *lugere*, Act. VIII: 2; μνείαν π. *mentionem sibi facere*, h. e. *meminisse, recordari*, Rom. I: 9. Eph. I: 16. Illudque discrimen activi et medii, ut in aliis loquendi formulis, ita nominatim in ποιεῖν et ποιεῖσθαι a SS. ἑβραιζοῦσι numquam non observari dudum monuerunt LOESN. ad Matth. XXVI: 65. Marc. II: 23, KREBS. *Comm. ad decr. Rom. pro Judd.* p. 269, 290, ABRESCH. in *ep. ad Hebr.* p. 21. Nemo vero latius rem exposuit, quam DRESIGIUS. Sed neque in his satis diligens est SCHLEUSN. Sic ἀποτάσσεσθαί

τινι Act. XVIII: 18, 20. 2 Cor. II: 13, recte quidem vertitur *valedicere alicui;* sed monendum erat, [quod recte monitum est a BRETSCHNEID. in *Lex.* V.], proprie id significare *sese ab alio seiungere.* Ἀσπάζεσθαι τινα, quo nihil est frequentius in N. T., dicitur recte *salutare aliquem;* sed formulae vim is demum intelliget, qui sciat indicari *salutationis* genus *blandum, amicum,* proprie illud, quo quis alterum complectitur, facitque, ut alter ipsum complectatur, docente SCHEIDIO, *Animadv. ad anal. linguae Gr.* p. 435 sqq. [Cf. omnino de verborum mediorum vi WINER. l. saepius iam laud. p. 228 sqq. et quos laudat scriptores p. 230. V.]

HUIUS (Syntaxeos) RESPECTU, verba sunt KEILII, PRAECIPUE GNARUS ESSE DEBET (interpres) LEGUM, UNDE IUNCTURAE VOCUM PENDENT.

Syntaxis, structura, ea est Grammatices pars, qua voces συντάττονται, h. e. inter se ordinantur et ad integram dictionem vel sententiam coniunguntur. Si igitur *Etymologiae* notitiâ opus est interpreti, multo magis necessaria est συντάξεως scientia, non modo hactenus, ut ordinem verborum recte invenire possimus, in quo saepe est magna vis ad bene intelligendum, sed etiam ut modos cuiusque verbi, etiam particulae struendae teneamus. Hos enim construendi modos qui bene tenet, facilius iudicabit, utrum bene Graeca sit phrasis, necne, promtiusque intelliget constructionis vim et sensum. Qui vero hac caret scientia, et constructionis Gr. vel Hebr. formas,

verbum de verbo vertendo in quamcunque aliam linguam, interpretatur, is saepenumero peccat necessario propter dissimilitudinem linguarum: cuius generis peccatis plenos esse interpretum libros testatur ERN. l. l. P. II. C. X. § 9. Nec potest quis, hac scientia destitutus, peccata Interpretum et Criticorum vel agnoscere certa ratione, vel convincere. Itaque interpres, ut recte monet KEILIUS, *gnarus esse debet legum, unde iuncturae vocum pendent*. Habet enim, ut quaeque alia lingua, ita quoque Graeca certas coniungendarum vocum leges, contra quas nihil temere aut fingendum, aut admittendum est. Hae igitur leges tenendae sunt, una cum iis aberrationibus et anomaliis, quas scriptores Graeci subinde admittunt. Neque in linguae Graecae *συντάξει* est subsistendum, sed etiam ratio habenda est linguae Hebr., cuius formas in construendo frequenter imitantur N. T. Scriptores, imprimis eas, in quibus praeeuntes habuerunt interpretes Alexandrinos. Iccirco KEILIUS in not. *b*. non tantum commendat VIGERI librum, HOOGEVEENII nostratis, ZEUNII et HERMANNI Germanorum curis auctum et emendatum, ad intelligendos Graecae dictionis idiotismos praecipuos; sed etiam ac praecipue STORRII *Obss. ad analog. et synt. Hebr. pertinentes*, cui equidem addendam putem N. G. SCHROEDERI *Syntaxin*, quae posteriorem partem constituit *Fundamentorum linguae Hebr.*, estque ea facilis intellectu. Sed in eo praestat STORRII liber, quod Hebr. linguae indolem ad N.

T. referat. [Iam vero prae omnibus legendum esse WINERUM, qui in *Grammat.* P. III copiose de *Syntaxi* exposuit, quis nescit. V.]

Equidem e multis unum genus constructionum afferam, profectum e paucitate adiectivorum, quam compensant Hebraei maxime adhibitis substantivis, ponentes adeo abstracta pro concretis. Id vero non uno fit modo.

Aliquando duo substantiva iunguntur nuda copula, quorum alterum adiectivi vim habet. Ita *ἓν διὰ δυοῖν, unum pro duo* dicitur, eaque dicendi forma propterea *hendiadys* vocatur. Cf. STORR. p. 238—241. GLASS. ed. DATH. p. 18, 19. [FRITZSCH. *Excurs.* IV *de figurae ἓν διὰ δυοῖν natura et rationibus*, adi. eius *Comment. in Ev. Matth.* p. 853—858. V.] Quemadmodum igitur Hebr. *finis et exspectatio* Jer. XXIX: 11 est *finis exspectatus*, s. *exoptatus*, ita Act. XXIII: 6 *ἐλπὶς καὶ ἀνάστασις νεκρῶν* est *sperata mortuorum resurrectio*, [vel *ἐλπὶς τῆς ἀναστάσεως*, quod monet BRETSCHNEID. in *Lex.* ad v. *ἐλπίς*. V.] videnturque Act. XIV: 13 *ταῦροι καὶ στέμματα* esse *tauri coronati* s. *vittati;* [ad quem tamen locum conf. WETT. V.] Sed in his modus est servandus, nec ultra analogiae et usus leges progrediendum; quomodo fit ab iis, qui Joh. XIV: 6 duplicem hendiadyn sumunt.

Aliquando e duobus substantivis, quorum unum pendet ex altero, vel prius, vel posterius loco adiectivi positum est.

Exempla *prioris* substantivi, loco adiectivi positi, haec sint: *multitudo gentium* pro *multis gentibus*, Gen. XVII: 4, *multitudo curruum* pro *multis curribus*, Jes. XXXVII: 24. Ita et in N. T. *ἡ μωρία τοῦ κηρύγματος* est *stulta praedicatio*, habita ab hominibus, 1 Cor. I: 21; *ἡ ἐπαγγελία τοῦ πνεύματος*, *promissus Spiritus*, Gal. III, 14; *τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου*, *plenum*, *completum tempus* C. IV: 4; *οἰκοδομὴ τῆς χρείας*, *usus aedificans*, Eph. IV: 29; *καινότης ζωῆς*, *nova vita*, Rom. VI: 4; *βάθος γῆς*, *profunda terra*, Matth. XIII: 5; *ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως*, *summa*, *eximia vis*, 2 Cor. IV: 7. Alia dabunt exempla GLASS. ed. DATH. I: 23. 24, SCHROED. *Synt.* reg. VII. n. 2. STORR. p. 236, not.* ABRESCH. ann. in ep. *ad Hebr.* p. 224 sq. [deditque ipse scriptor *Animadvv. de ll. N. F.* p. 202 sq. Cf. et WINER. *Gramm.* § 34. n. 2. a. V.]

Exempla *posterioris* substantivi, loco adiectivi positi, haec sunt: *petra fortitudinis*, pro *fortis*, Ps. XXXI: 3; *ager desiderii* pro *desideratus*, Jer. XII: 10; *lupi vesperae* pro *vespertini*, Hab. I: 8. Sic in N. T.: Luc. XVI: 8, *οἰκονόμος τῆς ἀδικίας*, *dispensator iniustus;* C. XVIII: 6, *κριτὴς τῆς ἀδικίας*, *iudex iniustus;* Rom. VII: 24, *τὸ σῶμα τοῦ θανάτου*, *corpus mortuum*, s. *mortale;* C. VIII: 3, *σὰρξ ἁμαρτίας*, *caro peccans*, vel *peccato obnoxium;* ibid. s. 36, *πρόβατα σφαγῆς* ad Ps. XLIV: 23, *oves mactandi;* Eph. IV: 22, *ἐπιθυμίαι τῆς ἀπάτης*, *cupiditates dolosae*, *deceptrices;* ibid. s. 24, *δικαιο-*

σύνη καὶ ὁσιότης τῆς ἀληθείας *probitas et sanctitas vera;* Col. I: 13, ὁ υἱὸς ἀγάπης, *filius dilectus;* 2 Thess. II: 10, ἀπάτη τῆς ἀδικίας *fraus iniusta;* Jac. I: 18, λόγος ἀληθείας, *doctrina vera.* Vid. alia ap. GLASS. I: 25—27. SCHROED. *Synt.* reg. VII, n. 1. STORR. l. l. p. 232—234. ABRESCH. ad *Hebr.* p. 225, 228, [Cf. WINER. l. l. § 34. n. 2. b. V.]

Sed et gnarus esse debet interpres, monente KEILIO, *usus particularum.*

Usus particularum, h. e. praepositionum, adverbiorum, coniunctionum et interiectionum in N. T. partim est Graecus, partim ad Hebr. rationem factus. Et de Graeco quidem earum usu multa notatu digna congessit HOOGEVEENIUS in l., quem KEIL. in not. *c.* adduxit. Qui autem Hebraeum usum vult cognoscere, adeat NOLDII librum, quo *Concordantiam particularum Ebraico-Chald.* exponit, Jenae 1734, et GLASSII, STORRII ac SCHROEDERI ll. laudd. [inpr. WINER. *Gramm.* §§ 50—61. V.] E paucitate particularum Hebraei sermonis, comparati cum Graecae linguae ubertate, ducendum hoc est, quod N. T. scriptores uni praepositioni et coniunctioni multiplices tribuant significationes, quarum pars Graecis insolita, sed ad Hebr. consuetudinem facta est. Notissimus est varius ille coniunctionis καὶ usus in N. T., quae fere omnes coniunctionum species exprimit, pro contextae orationis varietate, plane ut Hebr. ו. Notus item

multiplex usus praepositionis ἐν, positae ad imitationem Hebr. ב, pro εἰς, διά et ἐπί, item inservientis exprimendis diversis casibus. Sed haec sigillatim persequi nunc non licet. [Cf. tum de coni. καί WINER, *Gramm*. § 57, n. 1, 2, tum de praepos. ἐν id. ibid. § 52, a. § 54, n. 4, 5. § 55, 1. d. § 30, 3, ann. 5, p. 178. § 31, n. 5. § 32, n. 3. V.]

Gnarus itidem esse debet interpres, ut ait KEIL. *figurarum, quae dicuntur, grammaticarum*.

Aliae enim sunt figurae *grammaticae*, aliae *rhetoricae*, de quibus posterioribus dicendum erit ad § 22. Figurae grammaticae potissimum sunt quinque: 1. *ellipsis*, 2. *pleonasmus*, 3. *enallage*, 4. *hypallage*, 5. *synchysis*. De tribus posterioribus cum nihil dicat KEILIUS, in eo ERNESTIUM secutus P. II. C. X. § 10, pauca duntaxat a me monenda sunt.

Enallage, ἐναλλαγή, est *commutatio*, qua [genus V.], numeri, casus, personae, tempora et modi inter se permutantur: [*generis*, e. c. Matth. XXVIII: 19, μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτούς, al. V.]: *numeri*, e. c. Gal. IV: 6, ὅτι δέ ἐστε υἱοί, s. 7, ὥστε οὐκ ἔτι εἶ δοῦλος, s. 8, ἀλλὰ τότε μὲν, οὐκ εἰδότες Θεὸν, ἐδουλεύσατε; Hebr. II: 9, ὑπὲρ παντὸς pro πάντων: *casus* Luc. I: 55, *locutus est* Deus πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν, τῷ Ἀβραὰμ καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ: *personae* Rom. VII: 4, 5, καὶ ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ—ἵνα

καρποφορήσωμεν τῷ Θεῷ. Ὅτε γὰρ ἦμεν κ. τ. λ. *temporis* Matth. XXIV: 40 δύο ἔσονται ἐν τῷ ἀγρῷ, ὁ εἷς παραλαμβάνεται, καὶ ὁ εἷς ἀφίεται· *modi*, 1 Cor. X: 6, *haec nobis exempli loco esse debent* εἰς τὸ μὴ εἶναι ἐπιθυμητὰς κακῶν, s. 7, μηδὲ εἰδωλολάτραι γίνεσθε, ss. 8, 9, μηδὲ πορνεύωμεν—μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Χριστόν, s. 10, μηδὲ γογγύζετε. Vid. GLASS. l. l. p. 647—652. Frustra igitur omnes huius modi enallagas negavit FRANC. WOKENIUS, qui, postquam *Textum V. T. — ab Enallagis liberatum* ediderat, Lips. 1726, similiter in eo laboravit, ut *Enallagas e N. T. — praecipuis et plurimis locis, ubi cum specie quadam adesse credebantur, exterminaret*, Vitenb. 1730, 8. [Cf. WINER. *Gramm.* § 21, n. 1, 2. § 27, n. 1. § 28, n. 2. § 47, n. 1, a. b. § 51, n. 2, 5. V.]

Hypallage, ὑπαλλαγή, *submutatio* nominatim dicitur ea vocum transpositio, qua de uno dicitur, quod dicendum erat de altero: ut Act. XXI: 3, ἀναφανέντες δὲ τὴν Κύπρον, *cum apparuissemus Cypro*, pro ἀναφανείσης δὲ ἡμῖν τῆς Κύπρου, *cum apparuisset nobis Cyprus*. Attamen saepe etiam pro hypallagis sunt habita ea, quae recte omnino videntur constructa. Cuiusmodi nonnulla videntur a GLASS. notata p. 128, 652—659, et ab ABRESCH. in ann. ad *Hebr.* p. 145, 353. Nullam plane admittit hypallagen WOKENIUS, cuius *Pietas critica — in hypallagis — e sanctuario utriusque foederis tollendis — occupata*, edita est, Vitenb. 1718, 8. [Nullam certam iudicat WINER. Vid.

eius *Gramm.* § 65, p. 519 sq. et, quod laudat, *Progr. de Hypallage et Hendiadyi in N. T. libris*, Erlang. 1824, 4. Cf. et FRITZSCH. *Exc.* I. *ad Marc.* p. 759 sqq. V.]

Synchysis, *σύγχυσις*, *confusio*, *commixtio* dicitur, quando transversa ponuntur verba, *ὕστερον πρότερον*, *ὑπερβατὸν*, *traiectus verborum ordo*, *ὑστέρωσις*, *μετάθεσις*, *ἐμπλοκὴ (nodus)*. Sic Philem. s. 5 audivisse se dicit PAULLUS PHILEMONIS *τὴν ἀγάπην καὶ τὴν πίστιν πρὸς τὸν Κύριον Ἰησοῦν, καὶ εἰς πάντας τοὺς ἁγίους*, ubi *ἡ πίστις* videtur esse referenda ad JESUM CHRISTUM, *ἡ ἀγάπη* ad sanctos. [Cf. WINER. *Gramm.* § 54, n. 2. V.] In particulis eiusmodi metatheses notavit plures ABRESCH. ad *Hebr.* p. 35, 347. In vocibus coniunctis MARCUS imprimis eas admittit, ut docere possunt exempla C. III: 21. XI: 13. XII: 12. XVI: 3, 4. Vid. ABRESCH. l. l. p. 47. Multa alia in medium attulit GLASS. p. 659—668. WOKENIUS vero nullam plane admittendam censuit, cuius *Pietas critica — contra synchyses — agendo, eas ex utriusque F. textu — proscribere nititur*, Vitenb. 1720, 8. [Cf. WINER. l. l. § 65, n. 3-6. V.]

De duabus prioribus figuris Grammaticis KEILIUS nominatim mentionem facit, dicens: *inter quas omissio nonnullarum vocum aliarumque redundantia prae caeteris eminent.*

Omissio illa dicitur *ἔλλειψις*, *praetermissio*, ad quam cognoscendam, quoad Graecum sermonem,

recte commendavit KEIL. LAMB. BOSII librum *Ellipses Graecae* inscriptum, s. *de vocibus, quae in sermone Gr. supprimuntur*, primum ed. Franeq. 1712, deinde in *Germania* saepius repet., primum a CHRIST. SCHOETTGENIO, deinde ab JO. FRED. LEISNERO, tandem a GOD. HENR. SCHÄFERO, Lips. 1808. [Alias etiam editt. commemoratas v. a WINER. *Gramm.* § 66, n.** V.] De *Ellipsibus* vero *Hebraicis* singularis est CHRISTOPH. THEOD. WALTHERI liber, cura SCHOETTGENII ed. a. 1740, in quo BOSII rationem videtur imitatus, iudice DATHIO ad GLASS. l. l. p. 608. Sunt autem eae ellipses triplicis fere generis: 1. cum *plane non* exstat in contexta oratione, quod cogitatione supplendum est; 2. cum exstat quidem, sed tecte in voce coniugata, contraria, vel analoga; 3. cum extat aperte in iis, quae praecedunt, vel sequuntur. Singulorum generum exempla praeter BOSIUM et WALTHERUM, attulerunt GLASS. et DATH. Nos nonnulla afferemus exempla.

1. Saepe nullum quidem exstat in contexta oratione verbum, quod sit supplendum, sed non difficulter tamen id intelligitur ex rei, de qua sermo est, indole. Sic, quando dictorum factorumque *divinorum* fit mentio, *Dei* nomen reticetur; si de factis dictisque *humanis* sermo est, *hominum* nomen supprimitur. Et *Dei* quidem e. c. Matth. XXVI: 64. Marc. XIV: 62: *videbitis filium hominis sedentem ad dextram* τῆς δυνάμεως scil. τοῦ Θεοῦ, quod et additum est a LUCA, in loco parall. C. XXII: 69; atque ita Hebr. גְבוּרָה sine adiecto

Dei nomine adhibetur. Cf. VITRINGA, *Obss. s.* L. II. C. V. § 8, [nisi malis statuere cum FRITZSCHIO ad l., *τὴν δύναμιν* vocari *Deum*, »abstracto pro »concreto, *(ὁ δυνατὸς potens κατ' ἐξοχὴν)* locato." V.] 1 Cor. VI: 16, *erunt*, *inquit* scil. Deus, *duo illi una caro;* uti et Eph. IV: 8. V: 14. Jac. IV: 6, nisi in hac formula *διὸ λέγει* velis supplere: *ἡ γραφή*. — *Hominum* vero, e. c. Matth. V: 11: *beati eritis*, *quando conviciati vobis fuerint*, scil. homines. Luc. XII: 20: *demens! hac nocte repetent vitam tuam abs te.* C. XVI: 4: *scio*, *quid facturus sim*, *ut*, *cum a dispensatione remotus fuero*, *me in domos suas recipiant.* C. XVIII: 15: *adducebant ad eum parvulos.* Res ipsa satis docet, quid supplendum sit. Atque ita facile intelligitur, ubi quis simpliciter dicatur *mittere*, cogitandum esse *nuncium*, ut Act. XIX: 31, aut quando *sibi sternere* dicitur, supplendum esse *lectum*, ut Act. IX: 34, aut quando *gustare* perhibetur, cogitatione addendum esse *cibum*, ut C. X: 10.

2. Saepe verbum, quod cogitatione supplendum est, latet s. in voce coniugata, s. in analoga, s. in constructa, s. in contraria. In voce *coniugata* e. c. Rom. XIII: 7: *reddite omnibus τὰς ὀφειλὰς*, *quod debetis*, *τῷ τὸν φόρον*, *τὸν φόρον*, *cui tributum*, scil. *ὀφειλομένῳ debetur*, *tributum.* Participium hoc latet in nomine *ὀφειλάς*. [WINER. *Gramm.* § 66, p. 529, supplendum esse putat *ἀποδιδόναι κελεύοντι* i. e. *αἰτοῦντι*. Atque ita et FRITZSCH. ad l., qui tamen monet, non *αἰτοῦντι*, sed *ἀπαιτοῦντι*

cogitatione adiiciendum esse. V.] In voce *analoga* Rom. XIV: 21: *bonum est, non edere carnem, nec bibere vinum, neque* scil. quicquam facere, *quo frater tuus offendatur*. [Ita et WINER. l. l. p. 523. Quod licet minime improbet FRITZSCH. ad l., ipse tamen eorum sententiam praefert, qui cogitando addendum esse statuunt *φαγεῖν ἢ πιεῖν τοῦτο*. V.] Joh. VII: 39: *nondum erat Spiritus s.*, scil. datus: id quod patet ex antegressis, ubi de accipiendo Spiritu s. sermo fuerat. [Vid. var. lectt. ap. GRIESB., quae tamen omnes pro gloss. sunt habendae, *ἐπ᾽ αὐτοῖς, ἐπ᾽ αὐτούς, δοθέν, δεδομένον*, quod ultimum LACHM. in textum recepit. Sed cf. WETT. ad l. V.] In *constructa* voce: ita simpliciter *ὁ, ἡ, τὸ* saepius adhibetur intellecto nomine substantivo, vel participio, e. c. quando Pater noster dicitur Matth. VI: 9, al. *ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς*, suppl. *ὤν*· Hebr. II: 17 CHRISTUS *fidelis* vocatur *Pontifex*, *quoad τὰ πρὸς τὸν Θεόν*, scil. *ἀνήκοντα πράγματα*· Similiter C. V: 1. - In *μίαν σαββάτων* Matth. XXVIII: 1, al. supplendum est *ἡμέραν*, *primum hebdomadis diem*, quod et additur Joh. XX: 19. Ita et in *ἑβδομῇ* Hebr. IV: 4, in *ἡ πεντεκοστῇ* Act. II: 1, in *ἡ αὔριον* Luc. X: 35. In *contraria* denique voce, e. c. 1 Cor. XIV: 34: *mulieres vestrae in conventibus sileant, neque enim licet iis loqui, sed (δεῖ, oportet) eas subditas esse.* 1 Tim. IV: 3, ubi impostores notantur, *κωλυόντες*, *prohibentes contrahere matrimonium, (κελευόντες, iubentes) abstinere cibis.* [Cf. WINER. l. l. p. 541.] Similiter C. II: 12..

3. Saepe id, quod supplendum est, vel ex antecedentibus intelligitur, vel e subsequentibus. Ex *antecedentibus*, e. c. Luc. XXII: 37: τὰ περὶ ἐμοῦ, scil. γεγραμμένα ex eadem sect., τέλος ἔχει. Marc. XII: 27: οὐκ ἔστιν ὁ Θεὸς scil. Θεὸς, quod additur in loco parall. Matth. XXII: 32, νεκρῶν, ἀλλὰ Θεὸς ζώντων, [vel simpliciter ζώντων, reiecto Θεὸς cum GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHENDORF. V.] Eadem est ellipsis Luc. XX: 38. Rom. III: 29. — Luc. XIII: 9: κἂν μὲν ποιήσῃ καρπόν· (omittitur apodosis, e praecedentibus sic supplenda: ἄφες αὐτὴν, *sine eam stare:* [quod fieri posse concedit WINER. l. l. p. 538. Ipse tamen cogitatione addit: *so mag's drum sein, so mag er stehen bleiben.* V.] 1 Joh. II: 19: *e nobis egressi sunt, sed non erant e nobis; — sed* (egressi sunt), *ut manifesti fierent.* 1 Petr. II: 9: *vos autem genus electum*, scil. ἐτέθητε, *constituti estis*, ex anteced. sect., ubi est ἐτέθησαν. Cf. ABRESCH. ad *Hebr.* p. 327. — E *subsequentibus*, e. c. Luc. XXII: 36: *qui non habet, vendat pallium, et emat gladium*, scil. qui non habet gladium. Eph. II: 1: *et vos, quum essetis mortui* — scil. συνεζωποίησε (ὁ Θεὸς) τῷ Χριστῷ, quod demum sequitur sect. 5. [Cf. de universo hoc argumento WINER. l. saepius laud. § 66, et, quem, ipso fatente, maxime secutus est, HERMANN. *de ellipsi et pleonasmo* in WOLFII *Mus. antiq. studior.* Vol. I. Fasc. I. p. 97—235 et ad VIGER. p. 867 sqq. — De *Ellipss. Lat.* scripsit E. PALAIRET, *Thesaurus Ellipsium Latinarum*,

Lond. 1760, 8, iterum ed. ab E. H. BARKER, ib. 1829, et cuius edit. plurimis locis emendatam procuravit MART. RUNKELIUS, Lips. 1830. Vid. *Erg. bl. zur Hall. Lit. Zeit.* 1832, n. 68. V.]

Nonnullarum vocum redundantia Gr. πλεονασμός, *abundantia* dicitur, estque is frequens quoque in ss. N. T. libris. Habent quidem horum librorum scriptores alios communes cum scriptoribus Graecis, quorum pleonasmos notare instituit BENI. WEISKIUS in l., quem KEIL. commendat p. 42, n. *e.*, de quo tamen GOD. HERMANN. in diss. *de ellipsi et pleonasmo*, quam dederunt FRID. AUG. WOLFIUS et PHIL. BUTTMANNUS, in *Mus. antiquit. studiorum*, Vol. I. Fasc. I. 4. 1808, sic iudicat: »singulari profecto »casu accidit, ut L. BOSII liber *de ellipsi* maximam »partem sit pleonasmus, WEISKII *de pleonasmo* el»lipsis." Sed iidem N. T. scriptores multo plures habent pleonasmos, q. d. e ratione scribendi ad Hebr. formata. [Vid. qui praeter ss. laudd. de *pleonasmis* tum in scriptorum Graec., tum in N. F. libris egerunt, memoratos a WINER. l. l. § 67, p. 545, n.* V.] In utroque autem genere indicando caute versandum est, et, ut recte dixit ERNEST. P. II. C. X. § 10, »in nonnullis etiam Rhetorum »praecepta sunt cognoscenda, ut veram vim in usu »scribendi teneamus, nec aut emphases frustra »quaeramus, aut vitium orationis fingamus. Nam »pleonasmus in rhetoricis prodest et ad augendum, »et ad ornandum, nec tamen semper, sed est in-

»terdum vel ex antiquissima linguae simplicitate, »cuius generis plures sunt in lingua Hebr., et »inde in N. T., vel quacunque alia de caussa in »consuetudine loquendi ortus, atque etiam ab ele»ganter loquentibus usurpatus: unde vitii argui »non potest, nec tamen ad vim aut ornatum »torqueri debet. Similisque ratio est synonymiae »aut tautologiae, quod est genus pleonasmi. — »Quae qui ignorant, se numquam satis in iis vel »explicandis vel defendendis expediunt." Quae cum ita sint, duplex error vitandus est, quem notavit ERNEST. l. l., et contra quem monuit quoque DATH. ad GLASS. *Philol. s.* p. 642 sq. *Unus* eorum est, qui vitio vertunt Scriptoribus ss., et tautologiae nomine damnant, quod e nativa quadam sermonis simplicitate fluit, subinde etiam elegantiam quamdam habet, saepe dicentis affectum indicat, vel ita linguae consuetudine est receptum, ut nemo non, nisi singularem concinnitatem et breviloquentiam affectans, ita dicat ac scribat. *Alter* eorum est, qui hanc verborum abundantiam profectam autumant a singulari illa ss. Scriptorum prudentia et Spiritus s. auxilio, quibus ducti nihil non magnificum et emphaticum dixerint scripserintve. In utraque sententia erratur. Etenim

1. est in N. T. eadem *simplicitas* fere puerilis in *narrando*, quae in Hebr. V. T. libris historicis obtinet. Frequens est usus copulae *καὶ*: [de qua copula vid. WINER. l. l. p. 552. c. et n.* V.] Prae

missum illud *ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις* Luc. II: 1, MATTHAEO, MARCO et LUCAE frequens est, in JOH. non ita deprehenditur. [Cf. WINER. l. l. p. 549, δ. V.] Ubi loquentes indicantur, repetitur identidem *καὶ εἶπεν, εἶπε δέ, καὶ ἀποκριθεὶς λέγει, ἀπεκρίθησαν καὶ εἶπον.* Verba *eundi, veniendi, proficiscendi* saepe videntur redundare, prouti *ἐλθὼν ἔστη constitit* Matth. II: 9; *ἐλθὼν κατῴκησεν habitavit*, sect. 23; *ἐγερθῇ καὶ ἀποκλείσῃ τὴν θύραν occluserit ianuam*, Luc. XIII; 25; *πορευθέντες μάθετε discite*, Matth. IX: 13; *προσελθὼν ἀπεκύλισε devolvit*, Matth. XXVIII: 2. De aliis exemplis, a SCHLEUSN. allatis, Matth. II: 13. VIII: 16. IX: 6, 7, 19. 1 Petr. III: 19 dubitare licet. Cf. ABRESCH. ad *Hebr*. p. 306 sq. [et WINER. l. l. p. 548 sq. β. et p. 550. V.] In nonnullis exemplis quoque est vividum illud ingenium Orientalium, quod in subseqq. notabimus.

2. Eadem copia est in aliis dicendi formulis, quae pueris fere est propria, qui verba coniugata et *ἰσοδυναμοῦντα* coniungunt, ut eandem rem significent. Qui *gaudent*, dicuntur *χαρᾷ χαίρειν* 1 Thess. III: 9, vel *χαρὰν χαίρειν* Matth. II: 10; qui *timent*, *φόβον φοβεῖν* Luc. II: 9; qui *peccant*, *ἁμαρτίαν ἁμαρτάνειν*, 1 Joh. V: 16; qui *precantur*, *προσευχῇ προσεύχεσθαι* Jac. V: 17. Neque in his emphasin esse quaerendam patet e singulis fere locis, imprimis vero inde, quod ad significandam magnitudinem *gaudii* aut *metus* addatur *μέγας, σφόδρα*. Idem valet de *coniunctis* verbis

idem significantibus; ut *πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως varie et multiformiter* Hebr. I: 1, *δῶρα καὶ θυσίαι dona et sacrificia* C. V: 1. VIII: 3. IX: 9. Item in *constructis*, idem significantibus; prout *ὁμοίωμα εἰκόνος similitudo imaginis* Rom. I: 23, *οἰκία τοῦ σκήνους domus tabernaculi* 2 Cor. V: 1, *θυμὸς ὀργῆς indignatio irae*, Apoc. XVI: 19. [Cf. WINER. l. l. p. 552. V.] Huc quoque retulerim formulam *οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων*, quando nihil aliud significat, quam simplex *ἄνθρωποι*. Cf. SCHOLTEN, diss. l. §§ 3—17; quamvis qui ab initio ea formula usi fuerunt, illa indicasse videantur eum, qui e genere humano est. Idem aliquando dicendum est de voce *ὄνομα*, quando ei adiungitur *τοῦ Θεοῦ*, aut *τοῦ Κυρίου ἡμῶν*, quamvis eius origo sit in veneratione, qua Dei, Dominique nostri nomen enunciandum sit, *virtutem* eius et *praestantiam* indicans, quod secus est atque in hominum nominibus. Itaque *ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου* Act. II: 21. 1 Cor. I: 2, al. idem est quod *ἐπικαλ. τὸν Κύριον*, et *παρακαλεῖν διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ Κυρίου* idem est 1 Cor. I: 10, quod *obtestari per Dominum*. In aliis tamen propria ea vis mihi quidem videtur retinenda, ut in formula baptismi Matth. XXVIII: 19, et in precum formula C. VI: 9. Alibi etiam *auctoritatem* significat. Cf. GLASS. l. l. p. 111 sq. [et WINER. l. l. p. 556. V.]

3. Hoc quoque singulare est in vivido illo Orientalium ingenio animoque calido, quod in narrando et monendo adhibeant mox voculam *ecce*, mox

repetitionem unius eiusdemque rei, variis formulis enunciatae. Illud ἴδε igitur et ἰδού, Hebr. הִנֵּה, frequens est in N. T. libris, nec tamen semper ei vis singularis est attribuenda, cum saepe tantum serviat transitioni et in narrando indicet subsequens. Sic Matth. XXVI: 45 potest vim habere singularem in eo: ἰδού, ἤγγικεν ἡ ὥρα, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται, item sect. 46, ἰδού, ἤγγικεν ὁ παραδιδούς με. Sed in sect. 47 καὶ ἔτι αὐτοῦ λαλοῦντος, ἰδοὺ Ἰούδας ἦλθεν nullam habet vim. In duobus nempe prioribus exemplis res est repentina et inopinata, in posteriori non item. Repetitionum, de quibus dixi, et quae ex eodem fluxerunt fonte, documenta multa sunt in scriptis *Johanneis*, e. c. Euang. C. I: 3, 20. 1 Ep. II: 4, 7: cuiusmodi larga manu dederunt STRONCK. et DONK. CURT. in *Specimm.* saepius laudd. [Cf. WINER. l. l. p. 551 sq. V.]

4. Atque id etiam notandum est, quod soleant Orientales, ubi actiones hominum describant aut affectiones, pro vividiori ea indole, addere partes corporis humani, quibus eae actiones fiunt, et affectiones sentiuntur. Hinc aliquem *vindicare ex alterius potestate*, aut *ab eius iniuria* dicitur eum servare ἐκ χειρὸς αὐτοῦ Luc. I: 71. Apoc. XIX: 2. Miracula, votis Apostolorum facta, dicuntur patrata διὰ τῶν χειρῶν τῶν ἀποστόλων, Act. V: 12. [Cf. WINER. l. l. p. 548. α. V.] Quando quis dicit, se *vidisse*, declarat: εἶδον οἱ ὀφθαλμοί μου, Luc. II: 30. [Cf. WINER. l. l. p. 551. V.] Quando

quis dicitur aliquid *audivisse*, ea res aut eius sonitus dicitur penetrasse εἰς τὰ ὦτα, aut esse ἐν τοῖς ὠσὶν αὐτοῦ, Luc. I: 44. IV: 21. Quando quid fit coram altero, dicitur *fieri*, vel quando ipsius iudicio exponitur, dicitur *esse, fieri, videri* ἐνώπιον et πρὸ προσώπου eius, Luc. XXIV: 11. Act. V: 41. VI: 5, al. Huic affine est, quod dicuntur fieri ἐν τῷ μέσῳ τινῶν et ἐκ μέσου τινῶν, quae *praesentibus*, vel *absentibus* aliis, fiunt, Matth. X: 16. XVIII: 2. Act. XVII: 33. 2 Cor. VI: 17.

Hoc quoque proprium est vivido Orientalium ingenio, ut rebus inanimis tribuant id, quod animatis est proprium, et brutis, quod proprium est ratione praeditis. Atque hinc pleonasmi oritur genus. Ut quando *habitare* dicuntur homines ἐπὶ πρόσωπον τῆς γῆς pro *in terra*, Act. XVII: 26; quando mulier Apoc. XII: 14, quae imago est generis humani, dicitur ali ἀπὸ προσώπου τοῦ ὄφεως, *procul a serpente* (¹); quando interfecti dicuntur *cecidisse* στόματι μαχαίρας, h. e. *gladio*, Luc. XXI: 24, et qui in sepulcro iacent, dicuntur esse ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς, pro *sub*, vel *in terra*, Matth. XII: 40: in quibus omnibus est pleonasmus, sed et metaphoricum dicendi genus, de quo ad § 22 est dicendum.

5. Denique pleonasmi speciem habere videntur plurima, quae ex affectu dicentis reique gravitate sunt ducenda. Quando PAULLUS e. c. *Corinthi* Euan-

(¹) De form. Hebr. πρὸ προσώπου cf. WINER. Gr. l. l. p. 548, e. V.

gelium praedicans in vitae periculo sibi versari videbatur, Dominus ei, in viso nocturno, dixit Act. XVIII: 9: *μὴ φοβοῦ, ἀλλὰ λάλει, καὶ μὴ σιωπήσῃς, ne time, sed loquere, nec taceas.* In quibus equidem non pleonasmum, sed gravem eamque repetitam admonitionem agnosco, cuius haec sit sententia: »ne metu percellaris, PAULLE! »sed forti animo eloquere, cuius dicendi causa »missus es, nec tibi silentium imponi sinas homi»num malignitate aut minis." Simile fere est exemplum Gal. V: 1: *τῇ ἐλευθερίᾳ, ᾗ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε, στήκετε, καὶ μὴ πάλιν ζυγῷ δουλείας ἐνέχεσθε, in libertate, qua Christus nos liberavit, perseverate, neque servitutis iugo,* h. e. legis imperio *denuo vos subiicite.* Sed huiusmodi exemplis plenae sunt epistolae *Paullinae,* imprimis prima *Johannea*, quin et CHRISTI sermones, quos cum discipulis habuit, ultima vitae mortalis nocte. [Cf. de universo hoc argumento WINER. l. saepius laud. § 67. V.]

DE BARBARISMIS AC SOLOECISMIS.

Tandem ad hunc locum pertinet, quod monitum est ab ERN. P. II. C. X. § 11 de *vitiis*, quae dicuntur, orationis. Haec neque ignorare debet interpres, ne in quaestionibus de *barbarismis ac soloecismis N. T. in alterutram partem vel affirmando, vel negando peccet.* Scilicet *barbarismus* committitur, quando singula verba vitiose efferun-

tur; *soloecismus*, quando in constructione vocum vitium committitur. Ita enim haec duo distincta fuisse a veteribus Grammaticis Graecis et Latinis, locis allatis docuit TACO HAIO V. D. HONERT, in epist. *de stylo N. T. Graeco*, ins. *Syntagm. Diss.* de h. argumento, ab eo ed. p. 100 sq. Quod *usu* factum est; nam, etymologiam si spectes, *βαρβαρισμὸς* committitur ab eo, qui sermoni Gr. immiscet quid peregrinum, quod non intelligant Graeci, *σολοικισμὸς* ab iis, qui ita Graecam linguam cum peregrina miscebant, ut factum fuit a *Soloecis*, colonis Atticis, qui *Solis, Ciliciae* urbe habitantes, Atticam puritatem reliquerant. Fuerunt olim multi, qui barbarismos ac soloecismos Novo Testamento inesse negarent, ut *dignitati librorum* ss. *consulerent;* sed fieri id non potuit, nisi *invitis Grammaticorum praeceptis*, monente ERNESTIO. Fuerunt etiam, qui horum, q. d. vitiorum numerum vel augerent nimis vel exaggerarent, idque *ad contemtum Scriptorum* ss. traherent. Quod quidem magis culpandum est ([1]). Sed ad hanc controversiam recte disceptandam illud, iudice HEMSTERHUSIO in *Orat. de* PAULO *Ap.*, maxime est animadvertendum, in omni orationis complexu duo debere summa

---

([1]) Quae addit ERN. § laud. »Imo formae dicendi tales tum demum sunt in vitio, cum per inscitiam et negligentiam, et nulla »idonea et gravi de caussa, temere usurpantur; quod in Scriptores »Nov. Test. non cadere patet ex iis, quae de hebraismis eorum »dicta sunt," non videntur mihi probanda.

cum cura discerni, ipsam dictionem stylique formam, et rerum, quae pertractantur, ordinem ac compositionem: quae, quamquam ad unum orationis corpus efficiendum coeant, minime sunt confundenda; nam *et* nitida verborum collocatione selectisque loquendi formulis male cogitata atque inconcinne digesta possunt exponi; *et* res praeclarissimas, magno argumentorum pondere firmatas, dictio stylusque sordidus atque impolitus complecti potest. *Hoc* e prudentia scribentis atque indole generosa pendet: *illud* ad curam Grammatices aut solicitam veterum exemplarium imitationem pertinet. Itaque non est, quod metuamus agnoscere barbarismos ac soloecismos, ubi quid contra Grammatices leges invenimus scriptum. Huiusmodi vero aberrationes nullo in libro N. T. exstant eo numero, quo deprehenduntur in *Apoc. Johannea*, et plures quidem in antiquioribus et praestantioribus libris mss., quam in recentioribus, e quibus male sedula librariorum cura haec vitia delevit, quae GRIESB. textui *Elzeviriano* restituit. Cuiusmodi sunt C. I: 4: *χάρις καὶ εἰρήνη ἀπὸ ὁ ὢν;* [nam *τοῦ* reiiciendum est cum GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHEND. V.] *καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος*, [cf. tamen WINER. *Gr*. § 10, p. 66, qui *indeclinabile* sumtum esse hoc Dei nomen existimat. V.]; s. 5, *καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς, κ. τ. λ.* Scilicet JOHANNIS animus totus rerum coelestium cogitatione fuit occupatus, qui adeo verborum iuncturam ad Grammatices leges parum curaverit. Addunt alii

aetatem JOHANNIS iuvenilem, quae nondum assecuta fuerit eam Graece scribendi facultatem, quam postea, Euangelium scribens et epistolas, sibi comparaverit. Alias, quas coniicere possis huius rei causas proposui in *Introitu in N. T.* [ms. V.] P. II. C. IX. § 4 (1). [Cf. STOLLBERG. *de soloec. N. T.* laud. a WINERO, l. all. et ipse WINER. § 65. V.]

---

(1) Locus, quem laudat cl. Scriptor, sic sese habet: «Nec difficile est causam invenire Hebraismorum, qui in *Apoc.* frequentiores deprehenduntur, iique duriores, quam alibi in N. T. scriptisque *Johanneis*. Quae enim Apostolus ἐν ἐκστάσει audivit, ea quin sermone, vel Hebraeo, vel Aramaeo audita fuerint, vix dubitandum videtur. Cum igitur ea statim describenda essent lingua Graeca, mirum non est, sermonem hunc Graecum induisse omnem Hebraeorum formam ac habitum. Accedit JOHANNIS animus totus rerum coelestium cogitatione plenus, qui adeo verborum iuncturam ad Grammaticorum leges exactam parum curaverit. Addunt alii aetatem JOHANNIS iuvenilem, quae nondum assecuta fuerit eam Graece scribendi facultatem, quam postea Euangelium et epistolas scribens, sibi comparaverit. Cuiusmodi coniecturis si liceat indulgere, posses fortasse dicere, JOHANNI in insula *Patmo* scribenti neminem affuisse peritum librarium, quales *Ephesi* Euangelium et epistolas scribens facile adhibere potuerit.» V.

AD § 22.

Notitia Rhetorices.

Rhetorica est disciplina s. ars bene dicendi et scribendi ad docendum, movendum aut delectandum. Nam quicunque vir bonus ac probus dicit scribitve, is hoc agit, ut vel doceat, vel moveat, vel delectet audientes legentesve. *Docet* autem vel narrando, vel asseverando, vel illustrando, vel probando, vel refutando. *Movet* ad expetendum vel aversandum, ad agendum aut omittendum, ad probandum vel improbandum. *Delectat* non simpliciter hoc agendo per iocum aut ludibria, sed ita docendo ac movendo, ut simul etiam iucundam faciat gratamque orationem, copià quadam et ornatu. In his igitur quomodo versari oporteat dicentem scribentemve docet disciplina Rhetorica. *Interpretis* autem est, *primum* intelligere, *deinde* alios docere, quomodo in iis versatus fuerit scriptor, cuius librum interpretetur, et quomodo in iis versati fuerint, quos dicentes inducat scriptor. Itaque JESU et Apostolorum orationes et universe

libros N. T. nemo recte poterit interpretari, nisi qui probe intelligat, quaenam iis bene dicendi scribendique dotes insint, quid integrae narrationes, orationes, collocutiones, disputationes, epistolae habeant, quod compositum sit ad docendos, movendos et delectandos eos, quorum in gratiam et usum hi libri fuerunt scripti, atque hae orationes, disputationes, collocutiones fuere habitae. Itaque recte KEILIUS Rhetorices notitiam futuro N. T. interpreti commendat, secutus ERN. l. l. P. II. C. X. § 26. Nec reprehendendus fuisset, si paulo distinctius huius notitiae partes notasset, scriptoresque laudasset, quos harum rerum studiosi cum aliquo fructu adhibere possint. Nos igitur in utroque illo paulo plus diligentiae et laboris posituri sumus.

KEILIUS universam illam Rhetorices notitiam, quam N. T. interpreti commendat, ad tria referre capita videtur, quorum *primum*, idque levius tractandum, sit in *diiudicandis figuris rhetoricis*, *secundum* in *existimanda periodorum structura*, *tertium* in *intelligendis tropis*, *allegoriis*, similibusque loquendi rationibus haud vulgaribus. Sed hoc triplex genus pertinet ad *dispositionem* et *elocutionem*, cum tamen omnium partium ad bene dicendum necessariarum prima sit *inventio*, qua in singulis causis et scribendi formis res et argumenta quaeruntur et seliguntur. Itaque malo totum hoc argumentum referre ad alia tria capita: quorum

primum spectat argumentum, s. materiam librorum ss., *secundum* dispositionem, *tertium* enunciationem.

Argumentum ss. librorum N. T. est quintuplex. Occupatur enim 1. rebus factis narrandis aut commemorandis, 2. tradendis doctrinae coelestis mysteriis, 3. praeceptis vitae Christianae dandis, 4. causis Dei et proborum hominum defendendis, 5. rebus futuris significandis. Interpretis igitur est, *primum* haec rerum genera bene dignoscere, et quid cuique proprium sit indicare; *deinde* in singulis generibus animadvertere, quid a dicente vel scribente in rerum delectu praestitum sit, quo possit docere, movere, delectari.

1. *Res in facto positas* narrant Euangelistae, *cum* vitâ JESU et Apostolorum describenda, *tum* rerum factarum in epistolis saepe mentione facienda. Narrantur autem illae et commemorantur eum in finem, ut credantur, ut de iis recte iudicetur, ut agentium vel virtus laudetur, vel vitium et malefactum vituperetur, ut exemplum vel ad imitandum, vel ad fugiendum proponatur, ut vis divina in gubernandis rebus humanis, maxime in conservandis hominibus, CHRISTO fidem habentibus, cognoscatur, et quae sunt huius generis alia. Itaque interpretis est videre et indicare, quomodo singulae narrationis partes eo tendant, quaenam in iis vis sit ad id efficiendum, quod voluit scriptor et narrator.

2. *Doctrinae coelestis mysteria* tradunt CHRISTUS et Apostoli: alia quidem, ratione humana nullo modo investiganda; alia vero minus ab intelligentia nostra remota: in utroque genere nonnulla ante CHRISTUM non prorsus incognita, nonnulla vero primum a Conservatore nostro aut legatis eius patefacta. Ea autem mysteria arcte iunguntur cum aliis religionis Christianae decretis et vitae regundae praeceptis, ut et cum rebus factis, quas iidem narrant scriptores. Traduntur autem eum in finem, ut credantur, magni aestimentur, divina sapientia et benignitas in iis patefaciendis agnoscatur, ex iisque ducantur adiumenta et incitamenta fidei pietatisque Christianae. Iccirco interpretis est diligenter videre et demonstrare, quamnam auctoritatem harum rerum docendarum scriptores sibi sumant, aliisve tribuant, quomodo sese vel alios de iis certiores factos dicant, quid afferant ad laudandum Dei patefacientis illas consilium, quam iis attribuant magnitudinem, credendi necessitatem aut utilitatem, quibus argumentis id, quod probari possit, confirment, quibus illustrent exemplis, quas ex iis ducant consecutiones, quae incitamenta ad virtutem, et quae huius generis sunt alia.

3. *Praecepta vitae Christianae* dederunt CHRISTUS et Apostoli. Quorum alia omnibus sine discrimine hominibus imposita sunt, alia Christianis, s. omnibus, s. nonnullis, qui in certis rerum adiunctis sunt positi. Alia quidem officia summa sunt ne-

cessitate, ita ut si quis iis desit, nec CHRISTI discipulus esse, neque vitae beatae particeps fieri possit: alia quidem laudabilia et utilia, nec tamen tantae necessitatis. Ea vero dantur vel iis, qui huic vitae honestati iam strenuam dant operam, eoque nomine sunt laudandi, vel iis, qui a fide et pietate sunt alieni eaque de causa obiurgandi, vel iis, qui neque omnino desunt officio suo, neque etiam ei satisfaciunt. Horum omnium in gratiam varia adhiberi solent argumenta, incitamenta, adhortationes, dehortationes, promissa, minae, laudes, obiurgationes, exempla sive ad imitandum, sive ad absterrendum proposita, gratiarum actiones, preces, querelae, vota, obtestationes. Itaque interpretis est, cognoscere horum argumentorum genera, a quo adhibeantur, et quibus, et qua de causa, et quomodo, et quid ea ad propositum dicentis scribentisve facere possint. Quod ut fiat, in subsidium adhibere poterit ea, quae a Rhetorices magistris exponi soleant de locis generis demonstrativi, deliberativi et iudicialis, item de locis magnitudinis, quae dicuntur, uti et de eo, quod fieri possit et nequeat, de affectibus denique ac moribus. In singulis diligenter versatus est ERN. *Init. Rhetor.* C. I—IX; eaque praecepta ad *Paullinam* orationem accommodavit CAR. LUD. BAUERUS, in *Rhetoricae Paull.* Part. I. Halae 1782.

4. *Causam suam, instituta divina,* CHRISTI *munus et beneficia laudant et defendunt,* qui in libris

N. T. dicunt et scribunt. Ita CHRISTUS se ipse saepe contra Judaeos defendit. PAULLUS Dei instituta in beneficiis concedendis universo generi humano puniendisque Judaeis contumacibus, Rom. IX—XI vindicat. Epistolae ad *Hebr*. scriptor JESUM eo nomine commendat, quod sit maior Angelis, MOSE, AARONE, MELCHIZEDECO. PETRUS pro se ipse et muneris sui sociis causam dicit, Act. II. PAULLUS saepius cum in orationibus, quas LUCAE conservavit diligentia, tum in epistolis, maxime in 2 ad *Cor*. et *Gal*. sui munerisque sui defensorem agit. Itaque in his oportet interpretem videre, quaenam sit causa in disceptationem tracta, quid de ea vel certo statuant, vel dubitanter suspicentur hi, contra quos disputetur, quid iuste ea de causa statuat disceptator, unde sententiae suae praesidia ducat, quam ea vim habeant ad demonstrandum, quid reponant adversantes, quam vim suis dubitationibus inesse putent, quomodo ratiocinando peccent, quomodo refellantur. In quibus similiter qui recte versari velit interpres, necesse est, ut Rhetorices praecepta, maxime in genere demonstrativo et deliberativo perspecta habeat.

5. *Res futuras praesignificant*. Quod saepius factum est a CHRISTO, mox aperte, mox parabolarum involucro. Exstant etiam in Apostolorum [dictis et V.] epistolis nonnullae praeclarae vaticinationes, ut [Act. XX: 29, 30. V.] Rom. XI: 25—32. 2 Thess. II: 3 sqq. [1 Tim. IV: 1—3. 2 Tim. III:

1 sqq. V.] 2 Petr. II: 1 sqq. III: 3 sqq. Nec negligenda, quae AGABUS praedixit in *Act.* App. notata, cum de fame instante, tum de PAULLI vinculis, [C. XI: 28. XXI: 10, 11; quae et alii, Spiritu s. ducti praesignificarunt C. XX: 23. V.] Prae caeteris vero in hoc genere eminet *Apocalypsis* JOH. Quicquid autem ita praesignificari voluit Deus, id magnam habere vim censendum est, *et* ad Vatem ipsum commendandum, siquidem eventus vaticinationi respondeat, *et* ad alios monendos de futuris rebus, quarum iis nulla foret notitia sine patefactione divina. Itaque in his spectet interpres, quid praesignificaverit Vates, quomodo id superet humanam perspicientiam, quibuscum id iunctum sit admonitionibus, hortationibus, promissis, minis, consolationibus, quid conferant res praedictae ad consilium dicentis ac scribentis.

Ad *dispositionem* singulorum librorum N. T. et partium praecipuarum diiudicandam Rhetorices notitia opus est. Quod et KEILIUS indicat, quando eam requiri dicit *ad existimandam periodorum structuram.* Scio, Novi Test. Scriptores libros suos non exegisse ad scholae praecepta, neque artificiose disposuisse singulas eorum partes. Sed idem scio, eos sensu communi fuisse praeditos et curam adhibuisse ac prudentiam in scribendo, neque eos sine ordine et ratione libros suos composuisse. Nec dubitari potest, quin CHRISTUS et Apostoli, quorum orationes in Euangeliis et Actis exhibentur,

21

ordinate locuti sint. Attamen alia est ratio orationum, alia epistolarum, alia commentariorum, quibus res gestae narrantur, alia libri vatidici: et in unoquoque genere magna esse potest dissimilitudo. Itaque quid in singulis generibus maxime sit spectandum videamus.

Primum de libris dicam historicis, h. e. Euangeliis et secundo LUCAE libro. Huiusmodi libros qui scribunt, diversas disponendi rationes sequi probabiliter possunt. Possunt enim cum THUCYDIDE temporum ordinem sequi; possunt cum SUETONIO in *Aug.* C. XII, vitae, quam scribunt, partes, non per tempora, sed per species exsequi; possunt cum AELIANO varias historias sine ordine scribere, vel, ut hodie loqui amant, anecdota edere. Nemo vero Euangelistarum sibi sumsit totam CHRISTI vitam, ne publicam quidem, enarrandam; sed quisque eorum praecipuas quasdam partes delibavit, MATTHAEUS et JOHANNES, ut mihi quidem videtur, temporum ordine servato, MARCUS et LUCAS saepenumero eius rationem non habentes. Itaque in horum librorum dispositione nullum est artificium quaerendum, sed simplex narrationum series est observanda, eaque sunt distinguenda, quae sive temporum diversitate, sive rerum factarum discrimine diversa sunt. Itaque in alia serie in his libris quaerenda, et *per ieiunas*, ut dixit ERN. *inst. int.* P. II. C. X. § 35 *et inanes ἀναλύσεις constituenda*, frustra laboratur. »Nam," quod idem vere monet ibid., »ubi in scribendo nullam talem

»seriem secuti sunt auctores, ibi frustra sit eorum »orationem intra talis seriei ac viae necessitatem »compingere."

Sed his Euangelistarum commentariis insunt disputationes et orationes nonnullae cum CHRISTI, tum Apostolorum, ut et STEPHANI, quarum in dispositione enucleanda interpres eo felicius versabitur, quo magis perspectas habeat leges bene et ordinate dicendi. Nec tamen artis illae leges vulgares magnam afferent utilitatem, quae praecipiunt de exordio, narratione, propositione, partitione, confirmatione, refutatione et peroratione. Quae si requirantur in oratione forensi et iudiciali, abesse profecto possunt ab institutione populari. Itaque sufficit observasse, quaenam sint praecipua loca, et argumenta orationum, quonam inter sese vinculo sint iuncta, quid aliae partes conferant ad alias amplificandas, confirmandas, defendendas, animisque audientium ingerendas. Fateor, hanc seriem non ubique perspicuam esse, in eaque subtiliter enodanda frustra a multis esse laboratum. Cuius difficultatis variae sunt causae, partim in ipsis dicentibus, partim in Euangelistis, eorum dicta referentibus. Ipsi enim dicentes saepius improviso ad dicendum accedebant, nec praevidere poterant, quem habitura esset oratio exitum. Saepe auditorum vultu, gestu, voce ita afficiebantur, ut subito ad aliud dicendi genus aut argumentum transiret oratio. Aliquando impediebant qui aderant, vociferatione ac tumultu, quominus quod

in animo habebant dicentes enunciare possent: id quod STEPHANO, item PAULLO accedisse scimus. Quod si reputemus, non possumus non Dei admirari providentiam ac curam, qua promisso Spiritu Apostolos labendi periculo exemerit, ita ut iis, ne pro tribunali quidem verba facturis, opus fuerit antea deliberare, quid aut quomodo essent locuturi. Sed magis etiam admirari nos oportet divinum Conservatoris nostri ingenium, qui orationem suam, eam maxime, quam ultima vitae suae mortalis nocte habuit, ita potuerit temperare, ut obviam iret singulis dubitationibus, in animis Apostolorum subortis, et responderet ad quaestiones eorum nondum propositas. Quae res effecit, ut, finita ea admonitione, in hanc erumperent vocem: »nunc scimus, te omnia scire, neque opus esse, »ut quis te interroget." Quae cum ita sint, intelligitur, in eiusmodi orationibus, sive a JESU habitis, sive ab Apostolis, frustra eam quaeri cogitatorum et enunciatorum seriem, quae cernitur in orationibus, post aliquam meditationem compositis, et sine ullo impedimento aut re interiecta pronunciatis. His causis, quae ab ipsis dicentibus profectae sunt, alia accedit, profecta ab Euangelistis, CHRISTI et Apostolorum orationes referentibus. Scilicet quod multis visum est, id mihi quoque non improbabile videtur, Euangeliorum scriptores, nominatim quoque LUCAM in Actis App. non singulas partes et totidem quasi verba retulisse, cum orationes eorum literis mandarent; sed

saepenumero capita quaedam praecipua. Quae coniectura si probetur, non nimis anxie in singularum partium cohaerentia exquirenda erit laborandum. Attamen haec non eo consilio dicta sunt, ac si desperandum esse putem de orationum ab Euangelistis relatarum serie invenienda: multo vero minus in eorum sententiam eundum puto, qui JOHANNEM et MATTHAEUM, utrumque Apostolum et orationum a JESU habitarum auditorem, [has orationes ipsos composuisse statuant, adhibito V.] artificio, quo POLYBIUS, LIVIUS aliique historici usi fuerunt, [vel V.] e diversis JESU orationibus et collocutionibus collegisse suoque modo consarcinasse, quae etiamnum legimus existiment. Quae quidem sententia aperte pugnat cum fide horum Scriptorum, qui simpliciter narrant, haec, quae tradunt, eo et tempore et loco, iisque praesentibus, eo effectu, in iis rerum adiunctis fuisse dicta. Quid? quod in nonnullis tam apertus sit orationis bene dispositae habitus, ut in eo agnoscas non compilatoris artem; sed CHRISTI oratoris ingenium. Id quod in oratione, quam e monte habuit Conservator noster, perspicue docuisse mihi videor, in interpretatione vernacule edita.

Quod de orationibus dixi, id quadam parte valet quoque de Apostolorum *epistolis*. Sed in his quoque diversa est ratio. Nam in aliis magna est rerum varietas et copia, ut in epp. ad *Rom.* et *Cor.* In aliis unum quoddam et praecipuum ar-

gumentum per totam epistolam regnat, sive hoc sit in docendo, sive in hortando, sive in reprehendendo, ut in epp. ad *Gal.*, *Hebr.* et *Philem.*, in plerisque etiam Catholicis. Nonnullarum epistolarum dispositio orta est ex argumentorum genere, quod hunc ordinem postulare videretur: cuius rei exempla sunt in priori parte epistolae ad *Rom.* ut et in ep. ad *Hebr.* Aliarum dispositio magis libera fuit. In *priore ad Cor.* PAULLUS seriem argumentorum videtur secutus, de quibus eum interrogaverant *Corinthii* per epistolam. In *posteriore* per commemorationem itineris sui digreditur ad defensionem sui et ad varias admonitiones, vagaturque libere in scribendo, quemadmodum amici solent in colloquendo, aliud ex alio trahentes. Atque ita solet in aliis quoque epistolis, in quibus argumentum quoddam ratiocinando persequitur, digressiones facere, interdum et longiores, postea vero ad propositum redire. Sed in toto hoc loco de serie cogitatorum in epistolis, maxime *Paullinis*, ad certos sive coetus, sive socios, discipulos amicosque datis, considerare interpretem oportet animum viri summi, celeriter affectum gaudio, tristitia, misericordia, indignatione, solicitudine, spe, omninoque omnibus animi sancti motibus, quibus non tantum scribendi forma afficitur, sed etiam series orationis. Huc conf. quae scripsi in *Prolegg.* ad 2 *Cor.* p. 14—16 (1).

---

(1) Loco 'e *Prolegg.* ad 2 *Cor.* ms. laud. cl. Scriptor, exposito

Superest, ut de dispositione dicam libri unius vatidici, quem JOHANNI Apostolo, certis nixi argumentis ([1]), tribuimus. Qui nostra aetate cum HARTWIGIO et EICHHORNIO huic libro formam tribuunt dramaticam, in eo poëtae artificium deprehendere sibi videntur, dramatis leges utcunque secutum: unde divisiones libri existunt parum probabiles. Nos vero, qui in *Apoc.* JOH. nihil deprehendimus, nisi simplicem narrationem imaginum, Apostoli phantasiae mirifice per modum

---

epistolae argumento: »Haec quidem omnia," inquit, »non artificiose »disposita sunt, sed ex animo PAULI scribentis, velut pleno fonte »fluunt. Unde nec certus ordo, aut argumentorum series constitui »ab interpretibus potuit. Scil. P., mox tenerrimo amoris sensu »erga fidos amicos commotus, mox indignatione et ira incensus »contra impostores; mox solicitudine et cura pro vacillantibus »Christianis pressus, id scribit, quod animus eius divinus, humanis »affectionibus plenus, iubet et suggerit; et ea quidem orationis »forma ac colore scribit, qui cuique argumento maxime aptus »sit. Hinc etiam orta est singularis quaedam varietas et com»mixtio, quae induxit nonnullos interpretes, ut coniicerent, epi»stolam constare partibus diversis, neque simul scriptis." [Vid. praeter eos, qui *Intr. in ll. N. T.* scripserunt, RÜCK. *Comm.* in h. ep. p. 429—431. V.] »Mox laudat; mox vituperat; mox gra»viter dehortatur, mox acriter minatur; mox suavi sensu afficitur, »mox dolore corripitur; mox crimina salse perstringit, mox severe »et acerbe scelera exagitat." V.

([1]) Argumenta haec exposuit cl. Scriptor in *Intr. in N. T. ll.* P. II. C. IX. § 4. p. 802—826, ms.; quam tamen disquisitionem, utpote longiorem, hic cum lectoribus communicare non possum. Exposuit autem accurate non modo de argumento *externo*, verum etiam de *interno*, pro *Apocal. Joh.* authentia e libri argumento scribendique forma ducto: quod argumentum internum, eo iudice, non satis diligenter a Viris dd. est propositum. V.

ἐκστάσεως propositarum, quibus insit rerum futurarum praesignificatio, non aliam libri dispositionem agnoscimus, nisi quae rerum contemplatarum ordinem sequitur, quem in *Intr*. in hunc librum exhibui (¹).. Cuiusmodi dispositio sese commendare quoque videtur similitudine librorum V. T. propheticorum.

Ad *elocutionem* singulorum N. T. librorum eorumque partium recte aestimandam itidem Rhetorica opus est. Cuius rei utilitas non tantum pertinet *ad intelligendos tropos et allegorias*, de quibus KEILIUS dicit, sed ad percipiendas omnes elocutionis virtutes: unde recte ERN. *inst. int*. P. III. C. X. § 26: »prodest," inquit, »nosse, quae de virtuti»bus orationis — in rhetoricis traduntur." Quas quidem elocutionis virtutes ita distribuam, ut alias ad scribentis *ingenium* referam, alias ad *animum*: quamvis unum sine altero vix consistat.

Ingenium scribentis facit, ut oratio sit *simplex*, *perspicua*, *polita*, *ornata*. In singulis observandis et diiudicandis versatur Rhetorica.

Simplicem orationem dicimus eam, quae rem, quam sibi scribendam sumsit, nude proponit, sine

---

(¹) Locus, quem hic significat Scriptor, habetur in eius *Intr. in N. T. ll.* saepius laud. ms. P. II. C. IX. § 1. p. 768—783; sed hic quoque longior est, quam ut eum cum lectoribus hoc loco communicare possim. V.

varietate vel verborum, vel rerum, quae ad hanc rem narrandam, demonstrandam, commendandam non necessario requirantur. Hanc in narrationibus Euangelistarum demonstravit MORUS, in *defensione narrationum N. T. quoad modum narrandi*, a. 1766, ins. *Diss. Theol. et Philol.* Vol. I. p. 30 sqq. et in scriptis *Johanneis* STRONCK. et DONK. CURT. in Specc. laudd.

Perspicuam dicimus orationem, quae dilucide rem exponit, ita ut facile a legentibus aut audientibus capi possit mens dicentis scribentisque. Quamvis vero universe N. T. libris perspicuitatem tribuamus, quoad versantur in rebus ad salutem necessariis, minime tamen negamus, aliis partibus maiorem, aliis minorem inesse perspicuitatem. Itaque Rhetorica arte discimus non tantum sentire, quid magis minusve sit perspicuum; sed etiam iudicare et demonstrare, unde haec virtus oriatur, et quibus rebus impediatur. Oritur enim in N. T. e causis, quae in aliis quoque bonis scriptoribus orationem faciunt perspicuam. Cuiusmodi sunt: 1. *delectus verborum*, rebus significandis proprie aptorum, (*proprietatem* dicunt Rhetorici), nec variandi aut novandi causâ cum aliis minus aptis permutatorum; 2. *apta et facilis constructio*, non impedita periodis iusto longius protractis et duro artificio inter sese nexis, traiectionibus et synchysi, hyperbato, παρενθέσει longiori et multiplici; 3. *popularitas*, quae sequitur vitae quotidianae usum in singulis verbis eorumque construendorum modo,

vitatque ea, quae in scholis et arte interiore usurpantur; 4. *copia quaedam*, eandem rem variis modis enuncians, aut verbi sententiaeque repetitione obscuritatem fugiens et dubitationem praevertens. Cf. ERN. *Init. Rhetor.* §§ 310—313, 416—420. Quam perspicuitatem in *narrationibus* N. T. demonstravit MORUS, *defens.* laud. § 14; in *Johanneis* scriptis STRONCK. l. l. p. 218—226 et DONK. CURT. l. l. p. 141—146; in *Paullinis* BAUERUS *Rhetor. Paull.* Vol. II. p. 273—288.

Politam dicimus orationem, quae e verbis generibusque dicendi, quibus per consuetudinis leges uti licet, ea potissimum sumat, quae consuetudo politiorum hominum usurpavit: in quibus aliquid est suavitatis, quae nascitur aut ab aliqua maiori vi significandi, aut a quadam significatione ingenii animique, humanitate exculti, aut denique ab ipsa consuetudine, quae rebus per se indifferentibus suavitatis aliquid paulatim addit. Cf. ERN. *Init. Rhetor.* §§ 298—309. Itaque interpres cernat, quid ex hoc genere appareat in N. T. scriptis. Ubi vero quid animadvertat ab ea urbanitate alienum, cogitet, (quod notavit ERN. *Opusc. Philol. et Crit.* p. 126 sqq.), summos quosque Poëtas, Oratores et Historicos in sententiarum conformatione, verborum delectu ac compositione interdum negligentiores videri voluisse, et, si quid sibi minus curiose dictum et collocatum excidisse per scribendi calorem viderint, id relinquere maluisse, quam ad subtiliorem rationem exactum tollere.

Ornatam dicimus orationem, quae praeter munditiem et urbanitatem habet aliquid elegantius, quod maiorem audienti legentive voluptatem affert, fortius eum movet et in admirationem rapere potest. Hic quidem ornatus nascitur e quadruplici fere fonte: 1. e tropis, 2. e figuris, 3. e structura, 4. e copia. In singulis multa sunt, de quibus in Rhetoricis traditur, propterea observanda, quod promtum faciunt interpretem N. T. ad agnoscendam, sentiendam et explicandam vim ac praestantiam sententiarum, quae in his libris, imprimisque sermonibus JESU CHRISTI et epistolis PAULLI frequentes sunt. Vid. ERN. *Inst. int.* P. II. C. X. § 26. »Nec tamen," iudice ERN. l. l. »opus est »in ipsa interpretatione lectoribus, vel auditori»bus, veluti pueris annumerare ubique nomina »vulgaria troporum et figurarum, et cum nihil »prosunt ad bene intelligendum, vel sensum ip»sum vel eius aliquam virtutem."

Novi Test. libri magnum accipiunt ornatum a *tropis*. Sunt autem τροποὶ vi vocis *conversiones*, nominatim *vocum quarumcunque conversiones (commutationes) a propria significatione in alienam cum virtute quadam*. Huius commutationis tres sunt fontes: *similitudo rerum*, *coniunctio* et *disiunctio*. E similitudine oritur *metaphora*; e coniunctione *metonymia* et *synecdoche*; e disiunctione *ironia*. De singulis dicamus ([1]).

([1]) Hexametro: *auri sacra fames mortalia pectora perdit*, mo-

Metaphorae in N. F. libris cum sint frequentes, oportet interpretem scire, quid sint; quid ad orationem ornandam conferant; quid in iis explicandis sit tenendum, et quae sint singulares metaphorae formae.

Primum igitur discat e Rhetorum praeceptis, metaphoram esse commutationem significationis propriae in alienam *propter similitudinem*, diciturque eam ob causam etiam *imago*, nostratibus *beeldsprakig gezegde*, *zinnebeeld*. Discat distinguere veras metaphoras a vocabulis, quorum significatio metaphorica iam in vulgarem usum venit, propria fere in desuetudinem abiit. (Vid. ERN. *inst*. P. I. S. II. C. IV. § 16. BAUER. l. l. p. 376 sqq.). Discat, quaenam genere et forma sibi invicem sint similes aut propinquae; quaenam omnibus fere hominibus tritae, quaenam non nisi politioribus, quaenam Graecis et Latinis, quaenam Orientalibus, maxime Scriptoribus ss.

Deinde discat rhetorica arte, quid metaphorae conferant ad orationem ornandam. His adiutus praeceptis videbit, elegantius dici *infantes*, *adolescentes*, *viros*, *patres*, quam *rudes discipulos*, *provectiores*, *doctos*, *doctores*; *lac* et *cibum solidum* elegantius dici, quam *prima disciplinae elementa* et *capita eius difficiliora*; quandoquidem ea metaphora res, solâ mente percipiendas, refert ad sensuum

---

nente CLASSIO ed. vet. p. 922, quatuor tropi insunt, nempe *auri*, (*meton*. pro nummis aureis); *sacra* (*iron*. pro exsecranda); *fames* (*metaph*. pro desiderio); *pectora* (*Synecd*. pro hominibus).

obiecta, coniungitque cum rebus gratis; deinde etiam, quia una voce metaphorice enunciatur id, quod vix pluribus propriis enunciari potest. Cernitur hoc in huiusmodi metaphoris: *beati sunt esurientes et sitientes virtutem; vos estis sal terrae; lux vestra luceat hominibus; quod serit homo id etiam metet; ecce agnus Dei, qui mundi aufert peccata; iugum meum suave est et onus leve. Alii aliorum onera portate; ne ambulemus in tenebris, sed in luce! Estote sobrii et vigilantes!* Quanto significantius est, cum CHRISTUS HERODEM *vulpem* dicit, [Luc. XIII: 32. V.], PAULLUS Judaeum hypocritam *parietem dealbatum* [Act. XXIII: 3. V.] et PETRUS satanam *leonem rugientem*, [1 Petr. V: 8. V.], quam si propriis usi fuissent verbis in horum indole describenda. Nec tamen *metaphorae* usus in ss. libris ad unum est referendus ornatum: est enim saepe necessarius ad rem, de qua sermo est, illustrandam. Huiusmodi id est, quod post hanc vitam sive beatis hominibus accidet, sive miseris. Utrorum enim conditio ab usu et experientia huius vitae nimis est remota, quam ut sine metaphoris a praesenti conditione humana sumtis, enunciari potuerit. Hinc beatis adscribitur *regnum*, *haereditas*, *corona;* miseris *ignis aeternus* caett. Itaque hic usus metaphorae est necessarius. Eadem est necessitas in dicendo et scribendo de divina natura, cuius virtutes, vis et efficacitas, et coniunctio cum hominibus difficulter enunciari possunt, nisi metaphoris ductis a natura, facultatibus actionibusque

humanis. Unde existit singulare illud metaphorae genus, quod *ἀνθρωποπάθεια* dicitur, et de quo GLASSIUS singulari loco *Rhetoricae s.* Lib. II. Tract. I. Cap. VII. [ed. DATH. p. 921 sqq. V.] egit: qua appellatione simul comprehendit *ἀνθρωποποίησιν* et *ἀνθρωπομορφισμὸν*, quae tria recte distinguit SEILERUS, *Uitlegk. des Bijbels*, §§ 58, 59. Est enim *ἀνθρωπομορφισμὸς*, quando Deo adscribitur forma humana, facies, vultus, oculi, aures, os, brachium, manus eaque dextra, digitus, cor, viscera, sinus, denique et animus ac Spiritus: *Ἀνθρωποπαθεία*, quando animi sensus affectionesque ei tribuuntur, ut amor, odium, ira, ardor, commiseratio, poenitentia: *Ἀνθρωποποίησις*, quando actiones humanae ei adscribuntur, ut cognitio experimentalis q. d., recordatio, negata ei oblivione, porro loquela, vocatio, visus, auditus, odoratus, adventus, visitatio, caett.

Porro discat Interpres, arte rhetorica adhibita, quomodo interpretandae sint metaphorae; nempe adhibendum esse iudicium in quaerenda similitudine, quae rei proprie sic dictae cum re significata intercedat, ut cum *reges* dicuntur *pastores*, *subditi oves*, quando *mors* cum *quiete* vel *somno* comparatur; non omnes partes, quibus imago et res significata conveniant, esse spectandas, sed eas tantum, vel eam unicam, quam spectari voluit dicens aut scribens, consulendum in his esse usum loquendi communem, dicta similia, consilium dicentis caett. Quod nisi fiat, videbit, metaphoras

non illustrandi ornandique consilio satisfacere, sed magis tenebris involvere deformemque facere orationem. Nesciet, quomodo et CHRISTUS dicatur *leo*, Apoc. V: 5, nempe ob fortitudinem et victoriam; et *diabolus* (forte NERO) 1 Petr. V: 8, propter atrocitatem. Nesciet, quomodo *somnus* et dici possit de *morte*, Joh. XI: 11, et de *incuria*, Rom. XIII: 11.

Denique discat Interpres singulares metaphorae formas, quarum *aliae* huic tropo nominatim sunt propriae, *aliae* caeteris etiam tropis sunt communes. De his dicemus, postquam de caeteris etiam dictum fuerit: de illis nunc monebo. Sunt autem duae: *προσωποποιΐα* et *ἀνθρωποπάθεια.* Sed de posteriori modo iam dixi.

Quod attinet igitur ad priorem, *προσωποποιΐᾳ* *(persoonsverbeelding)* res quaecunque, quae persona non est, ut persona inducitur. Ita Rom. V—VII inducitur *ἡ ἁμαρτία*, mundum ingressa, mortem inducens, homini imperans, eum sua vi impellens, tandemque eum exitio remunerans. In ep. ad *Gal.* III: 24 *ὁ νόμος* inducitur tanquam *παιδαγωγὸς*, et *ἡ γραφὴ* tanquam praevidens et narrans, ibid. s. 8. In 1 ep. ad Cor. C. XII membra corporis humani inducuntur tanquam sibi invicem invidentes et contrarii, quorum alter dicat: *ego non sum de corpore*, alter: *ego te non indigeo*. In Apoc. JOH. C. XX: 13, 14 prodeunt *ὁ θάνατος* et *ὁ ᾅδης* tanquam homines coniecti in stagnum sulphureum; eique similis est *προσωποποιΐα* elegantissima mortis, 1 Cor. XV: 55, 56. Sic et *τὰ πνεύματα* inducun-

tur a JOH. 1 ep. C. IV: 1—3. [Cf. GLASS. l. l. L. II. Tr. I. C. IX. p. 1006 sqq. ed. DATH. V.]

Metonymia (overnoeming) est vocis a propria significatione in alienam immutatio ob coniunctionem externam, h. e. eam, quae ad ipsam rei naturam non pertinet. Frequens ea est in ss. libris. Atque adeo discere oportet interpretem varias eius formas, quid conferant ad ornatum, et quid in earum interpretatione sit spectandum.

Quatuor sunt metonymiae formae. Etenim vel dicitur *causa* pro *effecto*, vel *effectum* pro *causa*, vel *subiectum* pro *adiuncto*, vel *adiunctum* pro *subiecto*.

Causa pro *effecto* dicitur: 1. quando *efficiens* pro *re effecta* ponitur: ut *scriptor* pro libro *scripto*, Luc. XVI: 29: »habent MOSEN et *Prophetas;*" Act. XV: 21: »singulis sabbatis legitur MOSES." Errant vero, quibus *Θεὸς* dici videtur pro *religione* a Deo tradita, Act. XXII: 3. Rom. X: 2. Hebr. III: 12. Errant itidem, quibus *Ἰησοῦς*, *Χριστὸς*, *Κύριος* dici videntur pro *doctrina* et *religione* ab eo tradita, Rom. VIII: 10. 1 Cor. I: 13. III: 11. VII: 39. 2 Cor. I: 19, 21. III: 16, 18. XI: 4. Eph. IV: 20. VI: 10. 1 Thess. III: 8. Hebr. III: 14. XIII: 8. — 2. quando *instrumentum* pro re *effecta* dicitur, ut *gladium* pro *caede*, *violenta morte*, ubi Rom. VIII: 35 negatur, posse *gladium* magis quam famem, nuditatem, alia, Christianos a CHRISTI amore seiungere. — 3. quando *actio* pro *effectu* vel *re*

facta dicitur. Sic *amor* pro effectu eius dicitur ab JESU, Joh. XII: 25 praedicente, fore ut qui vitam suam *amet*, eam perdat, h. e. eam ita amet, ut tueatur eam, neglecto officio suo: id quod alibi sic ab illo enunciatum esse constat: *qui vitam suam voluerit servare, perdet eam*, Matth. XVI: 25.

Effectum pro *causa* dicitur: 1. quando *effectum* dicitur pro *efficiente*. Sic CHRISTUS dicitur *ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, τὸ φῶς, ἡ ὁδὸς, ἡ θύρα, ἡ ζωὴ, ἡ εἰρήνη, ἡ ἀνάστασις*, quia procurat, efficit caett. [*Οἱ ἄρχοντες φόβος* pro *φοβεροί*, Rom. XIII: 3, monente FRITZSCH. ad l. V.] — 2. Quando res *effecta* dicitur pro *adminiculo, instrumento*, quo efficiatur. Sic JOH. 1 ep. V: 4: *haec est victoria, quae vincit mundum*, scil. *fides vestra*; hac enim, tanquam adminiculo, vincere potestis profanorum hominum illecebras. — 3. Quando *effectum* pro *re*, vel *actione efficiente* dicitur. Sic CHRISTUS: *haec est vita aeterna, quod agnoscant te* caett. Joh. XVII: 3. [Vid. dicta de h. l. in *Animadvv.* p. 146 sq. V.] Ita et PAULLUS: *affectus*, inquit, *carnis mors est, affectus vero Spiritus vita et pax*, Rom. VIII: 6.

Subiectum pro *adiuncto* dicitur. *Subiectum* cum dicimus, volumus omne id, cui aliquid inest, adest, in quo aliquid occupatur: *adiunctum* dicitur omne id, quod subiecto inest, adest, in eoque occupatur. Sic nihil est frequentius, quam *locum* dicere pro *iis, qui in loco sunt*, uti in his: Deus *mundum* amat, h. e. homines in mundo viventes; CHRISTUS

mundi peccata aufert, h. e. hominum in mundo viventium, Joh. III: 16. I: 29. Ad JOH. *Bapt.* exit *Hierosolyma* et *tota Judaea*, Matth. III: 5. Salus sit huic *domo*, Luc. X: 5. *Poculum* bibimus, *calici* benedicimus, 1 Cor. X: 16, 21, h. e. vinum eo contentum. Homines *comedi* dicuntur 2 Cor. XI: 20, quorum facultates, bona consumuntur.

Adiunctum pro *subiecto* dicitur, e. c. in his: »Deus *δικαιώσει περιτομὴν καὶ ἀκροβυστίαν circumsectos et non circumsectos*, Rom. III: 30. *Deus* CHRISTUM *fecit ἁμαρτίαν*, pro *ἁμαρτωλὸν*, eum ita tractando, habendo, *ut nos per eum fieremus δικαιοσύνη*, h. e. *δίκαιοι*, 2 Cor. V: 21; [quem tamen locum cl. Scriptor postea in *Quaestt. de locis N. T. difficilioribus*, me quidem iudice ([1]), rectius sic interpretatus est: »Deus dicitur CHRISTUM, *peccati ignarum*, »h. e. nullius delicti sibi conscium, *sicut peccantem* »*habuisse*, *ut nos sicut iusti per eum haberemur a* »*Deo.*" V.] Sic *προσευχαὶ* dictae sunt *loca*, *quibus preces fiunt*, Act. XVI: 13, 16. [Vid. BRETSCHN. *Lex.* in v. et WETT. ad l. Itaque male nostrates verterunt: *waar het* GEBED *plag te geschieden;* — *als wij tot het* GEBED *henen gingen:* recte PALM.: *waar — het* BEDEHUIS *was;* — *als wij gingen naar het* BEDEHUIS. V.] Ita et *ἡμέρα dies iudicii* dicitur pro

---

([1]) Vid. Disput. mea, quae habetur in *Opp. Soc. Hag.* a. 1835, p. 358—361, et WETT. ad l. Cf. tamen et alios et doct. WILDSCHUT, in *Maandschrift voor Christenen* caett. a. 1845. Vol. IX. N°. 11. p. 75 sq. n. 3. V.

ipso *iudicio*, 1 Cor. IV: 3, [ut adeo minime opus sit cum PALMIO vertere: *regtbank*. Cf. BRETSCHN. in *Lex*. ad v. 2. c. et WETT. ad l. V.], et ὥρα pro eo, *quod certo tempore fit*, Joh. XII: 27. [Cf. de omnibus his metonymiae formis GLASS. l. l. L. II. Tr. I. Capp. I—IV. p. 813—897, ed. DATH. V.]

Ad ornatum autem orationis hae metonymiae non tantum conferunt, quantum metaphorae. Nec tamen nihil valere censendae sunt, praesertim ubi uno verbo tropico indicatur, quod pluribus verbis propriis fuisset dicendum, aut quando res ad sensuum contemplationem revocatur. Denique et copia quaedam et varietas dicendi hinc existit, quae singularem etiam orationi conciliat ornatum.

In interpretatione metonymiarum maxime spectanda est coniunctio, qua fit ut pro verbo proprio substituatur metonymicum, salva perspicuitate et cum ornatu quodam. In eoque spectandus est usus loquendi similis, qui in linguis etiam vernaculis cernitur. Videndum etiam, ne frustra emphases quaeramus, ubi consuetus linguae usus nullam singularem vim admittat: [simulque cavendum est, ne hisce metonymiarum formis ad laxam interpretationem abutamur. V.]

Synecdoche, (Belg. posses dicere *verwisseling*), est permutatio verborum, quae fit propter coniunctionem *internam*, h. e. eam, quae ad rei naturam pertinet. Hactenus est a metonymia diversa. Refertur autem Synecdoche ad totum et partes per-

mutatas. Quid ad ornatum orationis conferat, et quid in eius interpretatione sit tenendum, satis intelligi poterit ex iis, quae de metonymia diximus. Suffecerit nunc, varia Synecdoches genera proposuisse. Est autem illa duplicis generis: etenim *totum* dicitur vel pro *integro*, quod *partes* habet, vel pro *genere*, quod habet *species*. Unde nascuntur quatuor Synecdoches genera: nam vel integrum dicitur pro parte, vel pars pro integro, vel genus pro specie, vel species pro genere.

Integrum dicitur pro *parte;* idque denuo fit dupliciter; nam vel *rei complexus* dicitur pro eius *parte quadam*, vel *multitudo* dicitur pro *uno* vel *quibusdam*.

Rei *complexus, universitas* dicitur pro *parte* quadam. *Ὁ κόσμος, mundus*, dicitur pro *tellure*, ut quando *mundus* diluvio periisse dicitur 2 Petr. III: 6, CHRISTUSque in *mundum venisse* Joh. IX: 39, al.; quin et pro ea parte, in qua Romani sedes suas habebant, ut quando Romanorum fides praedicari dicitur *in toto mundo*, Rom. I: 8, [quod etiam cum FRITZSCH. ad l. per hyperbolen dictum existimari possit. V.] Similiter *ἡ γῆ terra*, Matth. XIV: 34, al. item *ἡ οἰκουμένη, orbis terrarum habitatus*, pro certa quadam parte, sive Romano imperio, [quod praeferendum videtur. Cf. GROT. ad l. V.] sive *Judaea* dicitur Luc. II: 1, ut alibi iam monuimus: [male certe WETT. h. quoque loco hyperbolen admittit. V.] Huc refertur etiam, quod *homo* dicitur, quando non nisi *corpus* eius, vel

cadaver intelligitur. Quid? quod voces, quibus ipsa universitas dicitur, saepe restringendae sint ad partem quandam, s. maiorem, s. praecipuam. Ita certe Marc. I: 33 *ἡ πόλις ὅλη* dicitur ante fores aedium stetisse, in quibus erat CHRISTUS; et *πᾶσα ἡ Ἰουδαία* ad JOH. *B.* exiisse, Matth. III: 5; et *παντόχοῦ* *ubique*, pro *passim*, *multis in locis*, quomodo Apostoli dicuntur *ubique* Euangelium denunciasse, Marc. XVI: 20; et *πάντοτε* *semper*, pro *saepe*, *frequenter*, *tempore quovis opportuno*, quemadmodum monemur *πάντοτε προσεύχεσθαι*, Luc. XVIII: 1: [quae omnia etiam, ut hyperbolice dicta, accipi posse mihi quidem videntur. V.]

Multitudo dicitur pro *quibusdam*, vel *uno*, et *omnes* dicuntur pro *multis*, *plurimis*, *plerisque*. Ita saepius *Prophetae* dicuntur pro *uno* eorum, Act. XIII: 40. Marc. I: 2, quandoquidem fit sermo de re, omnibus Vatibus communi. [Attamen posteriori loco pro *ἐν τοῖς προφήταις* non quidem cum GRIESB., SCHOLZ et TISCHEND. *ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ*, aut cum LACHM. *ἐν τῷ Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ*; sed *ἐν τῷ προφήτῃ* legendum esse, post MILLIUM satis probasse mihi quidem videtur FRITZSCH. ad l. V.] Similiter *οἱ πάντες* dicuntur pro *variis*, *multis*, quomodo Marc. VI: 33 convenisse dicuntur JESUM *ἀπὸ πασῶν τῶν πόλεων*, h. e. ex omnibus, quae deserto illi, in quo CHRISTUS degebat, essent propinquae; et CHRISTUS dicitur *omnes* aegrotos sanasse, Matth. IV: 23, [Cf. FRITZSCH. ad l. V.] uti et *omnes* a diabolo vexatos, Act. X: 38. Alibi *οἱ πάντες*

sunt *plerique*, ut quando JOHANNIS *B.* discipuli dicunt, *omnes* CHRISTO adhaerere, Joh. III: 26. Ita *Pentecostes* festum celebrasse et miraculi Spiritus s. donati testes fuisse dicuntur Judaei *ἀπὸ παντὸς ἔθνους* Act. II: 5. (Huc tamen non retulerim cum aliis loca Act. III: 18. X: 43, ubi *omnes* Vates de CHRISTO locuti esse dicuntur.) [Et horum pleraque certe ad hyperbolen etiam referri posse mihi quidem videntur. V.] Contra, ubi *nemo*, *nullus* dicitur, *pauci* intelliguntur. Ut quando *nemo* dicitur CHRISTI testimonium accepisse, Joh III: 32, cum tamen mox dicantur Dei obsignasse veracitatem, quicunque receperint CHRISTI testimonium, s. 33. Sic PAULLUS Act. XXVII: 33 itineris maritimi sociis, tempestate et procella iactatis: »dies," inquit, »hic est quartus decimus, ex quo *nihil* cibi »sumitis;" quod idem est ac si *fere nihil*, *vix quidquam* dixisset, vel quantum sufficere posset ad vitam, in instanti naufragio conservandam.

Pars dicitur pro *toto*; idque denuo dupliciter.

Pars, quae dicitur, *integralis* ponitur pro *toto*, partibus constante. Sic *σάρξ*, *caro*, seu substantia mollior corporis, opposita ossibus et fluidis corporis partibus, dicitur pro *toto corpore*. CHRISTI *caro* putredinem non experta dicitur Act. II: 31, et nemo *carnem* suam odisse Eph. V: 29; unde et *σάρξ* ac *σῶμα* permutantur, 2 Cor. IV: 10, 11. Quin et *σάρξ* de toto *homine* dicitur. Sic *ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο* Joh. I: 14, *οὐ πᾶσα σάρξ* *nemo* Rom.

III: 20. Quoties autem hoc fit, cogitatio adiungenda est *imbecillitatis*, *tenuitatis*, [Vid. BRETSCHN. *Lex.* in v. Cf. tamen ad Joh. I: 14 LÜCKE, et ad Rom. III: 20 FRITZSCH. V.], aliquando et *vitiositatis*. Id ipsum locum habet in composita dictione σάρξ *καὶ αἷμα*, Matth. XVI: 17. 1 Cor. XV: 50. Gal. I: 16. Eph. VI: 12. Hebr. II: 14: [quod contendit et FRITZSCH. ad Matth. l. l. scribens: »σάρξ »καὶ αἷμα est circumlocutio hominis, quae semper »tamen *fragilitatis* inclusam continet notionem." Vid. et BRETSCHN. in v. *αἷμα*. Cf. etiam de v. σάρξ KOPPE Exc. 9 ad *Gal.*, BORGER ad *Gal.* II: 16, p. 157, n. y. et J. MULLER, *die Christl. Lehre von der Sünde,* Vol. I. p. 377 sqq. ed. nov. V.] Similem Synecdochen animadvertunt interpretes in simpl. *αἷμα*, quo utitur JUDAS proditor, Matth. XXVII: 4 in hanc vocem desperatam erumpens: *peccavi, tradendo αἷμα ἀθῷον*, *sanguinem innocuum*, quod inter alios SCHLEUSN. n. 6 vertit *hominem innocentem;* [FRITZSCH. ad l. *hominem insontem.* V]; verum adiungenda est notio hominis ad caedem destinati, cuius sanguis morte violenta sit fundendus. — Similis est Synecdoche, quando *dies*, vel *hora* indefinite pro *tempore* dicitur. Sic ἡ ἡμέρα ponitur Luc. XIX: 42: *O utinam hoc die tuo agnosceres, quid tibi ad pacem*, h. e. salutem *conducat*, et ἡ ὥρα Joh. IV: 21, 23: *venit hora, quâ veri adoratores Patrem adoraturi sint Spiritu ac veritate.*

Unus dicitur, quando *omnes*, huic uni similes, cogitatione comprehenduntur. Sic PAULLUS saepius,

apostrophe usus, unum alloquitur: *o homo! tu quis es, qui cum Deo altercaris?* Rom. IX: 20. *Ecquid nosti, uxor! an maritum sis servatura? aut ecquid nosti, marite! an uxorem sis servaturus?* 1 Cor. VII: 16. *Itaque iam non es servus, sed filius*, Gal. IV: 7. Sic et CHRISTUS in allocutionibus suis mox plures alloqui videtur, mox unum, ubi tamen iidem plures intelligendi sunt, ut Matth. V: 21—26, 38—42. VI: 16—18. Huc referunt etiam multi cum GLASS. l. l. I. 1254 et SCHLEUSN. n. 2, vocem πολὺς, quâ idem significari putant ac v. πᾶς, ut adeo πολλοὶ sint πάντες. Quod ut probent, adducunt loca Matth. XX: 28. XXVI: 28. Rom. VIII: 29. XII: 5. 1 Cor. X: 17, 33. Hebr. IX: 28, maxime Rom. V: 15, 19, ubi οἱ πολλοὶ iidem sunt, qui sectt. 12 et 18 dicuntur πάντες. Verum, quamvis iidem illi dicantur πάντες, qui et οἱ πολλοὶ dicuntur, nondum tamen vocabulo πολλοὶ tribuenda est notio *omnium*. Alia enim est *universitatis* notio, alia *multitudinis*, *copiae*. Possunt *omnes* esse *pauci:* possunt quoque *multi* esse, nec tamen *omnes*. PAULLUS consulto opponit Rom. V *unum* mox *multis*, mox *omnibus;* quemadmodum et πολλὰ παραπτώματα non sunt *omnia* delicta, sed *multa*. [»*Oi* πολλοὶ quam πάντες »scribere maluit," quod vere monet FRITZSCH. ad Rom. V: 15, »quia ex *unius* Adami et Christi »hominumque *multitudinis* oppositione argumenta»tioni vim quaesivit." Est autem in hac de v. πολὺς disquisitione bene distinguendum inter πολ-

λοί et οἱ πολλοί. Prius numquam significat *omnes:* unde recte FRITZSCH. ad Matth. XXVI: 28: »πολλῶν »non posse pro τῶν πάντων (vid. KUINOEL.) locari, »non est, quod demonstremus." Posterius vero eiusmodi *multitudinem* significat, quae simul *universitatem* constituit, adeoque *omnes* indicat, qui ad illam universitatem sunt referendi. Hoc sensu occurrit non modo Rom. V: 15, 19, verum etiam C. XII: 5. 1 Cor. X: 17, 33. Cf. WINER. *Gramm.* § 17. p. 98. V.]

Genus dicitur pro *specie*. Sic ἡ κτίσις *res creata*, nominatim de *homine* dicitur, quando CHRISTUS iubet Apostolos πάσῃ τῇ κτίσει *denunciare Euangelium*, Marc. XVI: 15 [et PAULLUS illud denunciatum esse scribit ἐν πάσῃ τῇ κτίσει, Col. I: 23. Cf. FRITZSCH. de *tribus* h. v. significationibus exponentem ad MARCI l. l., quas tamen rectius ad *duas* revocat ad Rom. VIII: 19, t. II. p. 151. V.] Nondum tamen hanc Synecdochen admiserim cum SCHLEUSN. n. 3 in ll. Col. I: 15 et Apoc. III: 14, ubi CHRISTUS dicitur πρωτότοκος πάσης κτίσεως, et ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ, neque Hebr. IV: 13, ubi nulla κτίσις *latere* Deum dicitur. [Cff. dicta de h. l. p. 181. V.] — Verbum μαρτυρεῖν *testari*, *testimonium edere* nominatim dicitur sensu *laudandi*, *commendandi* Luc. IV: 22. Joh. III: 26, et μαρτυρούμενος est vir *laudatus*, *probatus*, *commendatus* testimonio honorifico, Act. VI: 3. X: 22. [Cf. tamen FRITZSCH., qui ad illud μαρτυρῶ αὐτοῖς, ὅτι Rom. X: 2: »male," inquit, »CHR. FR. SCHMID.,

»KOPPIUS al. *laudo eos*, *quod*. — Nam Luc. IV: »22. Joh. III: 26, *μαρτυρεῖν τινι alicui honorifi-»cum testimonium dare* significat, in cuius l. qui »*aliquem laudare* substituat, is sensum cum signi-»ficatu confundat." V.] — Ὁ κύριος mox dicitur nominatim de *Deo*, etiam sine articulo, Luc. I: 15. [Cf. WINER. *Gramm.* § 18. p. 117. V.] Similiter Luc. II: 9 δόξα Κυρίου est *splendor divinus*, *splendor*, *qui a Deo proficiscitur*, non vero nude *insignis splendor*, [aut *splendor coelestis*, quomodo interpretatur BRETSCHN. in *Lex.* ad v. 4. d. V.] Alibi ὁ κύριος nominatim *Dominus* noster JESUS CHRISTUS dicitur, [cf. WINER. l. l. V.]: Nonnumquam *Imperator Romanus* Act. XXV: 26, cl. s. 12 et 21. [PILATUM quoque hoc nomine appellarunt Judaei Matth. XXVII: 63. V.]

Sed et *species* pro *genere* dicitur. Sic πατὴρ frequenter de *omni proavo*, et πατέρες universe *maiores* dicuntur, [Matth. III: 9. XXIII: 30, al. V.]; *υἱοὶ* quicunque *posteri* Matth. I: 1: 20; θυγατέρες omnes ortae ex aliqua gente, Luc. I: 5. XIII: 16; ἀδελφοὶ non tantum *fratres*, sed omnes ex eadem gente prognati Act. II: 29. Rom. IX: 3. Sic Ἕλληνες oppositi τοῖς Ἰουδαίοις sunt *gentes profanae*, a Judaeis diversae, Rom. I: 16. II: 9, 10. Ἄρτος, *panis* de omni *cibo* et re ad vitam necessaria usurpatur, [Matth. VI: 11, al. V.]; προσκυνεῖν et ἐπικαλεῖν de omni *cultu divino*, *illud* Joh. IV: 20—24, *hoc* [Act. II: 21. V.] Rom. X: 12—14.

2 Tim. II: 22. [Cf. de *Synecdoche* GLASS. l. l. Cap. XIV. p. 1243–1276. V.]

Quartus tropus est *Ironia*, εἰρωνεία, h. e. permutatio verborum ob disiunctionem, s. usus vocabuli vel enunciati significantis contrarium eius, quod vult dicens. Hinc etiam *antiphrasis* dicitur. Est autem vel singulorum *verborum*, vel integri *enunciati*.

Singulorum *verborum* exempla sunt haec: 1 Cor. I: 25 τὸ μωρὸν τοῦ Θεοῦ, quod *stultum* dicitur in Deo, τὸ ἀσθενὲς τοῦ Θεοῦ, quod *imbecille* putatur in Deo; Marc. VII: 9, καλῶς ἀθετεῖτε τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ, *pulcre abrogatis Dei mandatum,* [ad quem l. cf. omnino FRITZSCH., qui *et* solemnem vocis καλῶς in ironiâ usum allatis exemplis comprobavit, *et* perversas huius loci interpretationes refutavit. V.]; 1 Cor. IV: 8, ἤδη κεκορεσμένοι ἐστέ, ἤδη ἐπλουτήσατε, χωρὶς ἡμῶν ἐβασιλεύσατε, *iam saturati estis, iam ditati estis, absque nobis regnatis;* [ubi ironia intelligitur ex addito: *atque utinam sane regnetis!* quod monuit ipse HERINGA in *ann.* marginali, KEILII libro adiecta. Cf. RÜCK. et WETT. V.]. — Integri *enunciati* ironia habetur e. c. 2 Cor. XI: 19, ἡδέως γὰρ ἀνέχεσθε τῶν ἀφρόνων, φρόνιμοι ὄντες, *libenter enim fertis insipientes, sapientes cum sitis;* [»intelligitur ironia cum ex iis quae praecedunt ss. »17, 18. (P. insipiens gloriatur), tum ex iis, quae »sequuntur: (*Corinthii* sapientes tolerant in falsis »doctoribus quamcunque iniuriam)," quod itidem

observat HERINGA in *ann.* margin. V.] C. XII: 13, *τί γάρ ἐστιν, ό* [sic GRIESB.; est autem legendum ὅ, quod habet quoque ed. *Elzev.* 1624. V.] *ἡττήθητε ὑπὲρ τὰς λοιπὰς ἐκκλησίας, εἰ μὴ, ὅτι αὐτὸς ἐγὼ οὐ κατενάρκησα ὑμῶν; χαρίσασθέ μοι τὴν ἀδικίαν ταύτην· Quid est, in quo fuistis inferiores caeteris ecclesiis? nisi quod ipse ego vobis non fuerim onerosus. Condonate mihi hanc iniuriam:* [de utroque l. vid. RÜCK. et WETT. V.] Sed de his aliisque dicendi nobis opportunitas erit deinceps ad KEILII § 82. [Quum autem inde a § 23 non nisi pauca annotata libri KEILIANI margini adscripta reliquerit Vir. clar., nonnulla nos dictis addamus.

Concedit KEILIUS § 82 laud., *ironiam in libris etiam N. T. subinde obviam* esse, dicitque recte *cognoscendam illam* esse, *aut ex ipsa dictorum natura, aut e nexu loci.* Ad prius genus refert n. *b.* praeter ll. Marc. VII: 9, 2 Cor. XII: 13 iam laudd., Luc. XI: 14 (pro quo legendum est 24—26), C. XIII: 33; et recte quidem, me iudice, quod ad priorem locum attinet; nam spectat ibi CHRISTUS sine dubio pulcram scilicet illam narrationem, quae de daemonibus apud Judaeos obtinebat: in altero autem loco (Luc. XIII: 33) equidem ironiam invenire non possum; nam neque ipsa dictorum natura hoc suadere videtur, et repugnant concitati animi adfectus, quibus Conservator, docente orationis contextu, id temporis movebatur. Ad posterius genus refert n. *c.* praeter ll. 1 Cor. IV: 8. 2 Cor. XI: 19 iam laudd., Joh. VII: 28 et Matth.

XXVI: 45: in quo me quidem consentientem habet, dummodo teneatur, utrique loco inesse eiusmodi ironiam, quae ex dicentis animo, tristitià et commiseratione affecto, fuerit orta. Intelligitur autem ironia, quod rursus monuit ipse HERINGA in *ann.* margin., *priore* l. partim ex eo, quod praecedit: *novimus unde hic sit*, partim ex aliis dictis, quibus negat CHRISTUS Judaeos eum nosse C. VIII: 19. XVI: 3, et *posteriore* loco ex iis, quae sequuntur: *ecce! adest hora, et traditur Filius hominis in potestatem impiorum hominum*. Conf. LÜCK. ad l. JOH. et FRITZSCH. ad l. MATTH. Idem tamen KEILIUS prudenter monet, *nunquam, nisi ubi adfuerint idoneae rationes ac satis probabiles*, ironiam esse *sumendam;* »quod," inquit n. *d.* »tum factum »iri in promtu est, si quis v. c. cum pluribus »interpretibus Matth. XI: 19 et Act. XXVI: 29, »aut cum HEINRICHSIO l. l." *(Abhandl. über die Ironie* caett. laud. a KEILIO, n. *a.)* »Luc. XVI: 9. »Matth. XV: 21—28 et XXII: 41 sqq. ironiam »inesse existimaverit." Et sunt profecto haec loca eiusmodi, ut nulli dubitemus, KEILII sententiae subscribere; de loco vero Act. XXVI: 29, (leg. 28), in utramque partem disputari possit. *Ironice* AGRIPPAE dictum accipiendum esse putant *cum* alii, *tum* KUIN. et WETT. Equidem persuasum mihi habeo, regem neque per ironiam, neque ex animi sententia locutum esse, sed cum PALMIO (*Oratt. ss.* Vol. II. p. 236 ed. nov. et in interpret. *Bibl.* ad l.) statuo, humanissime ita AGRIPPAM respondisse, ut PAULLI

orationi finem imponeret. Quod si quis dubitet, ironiam in JESU et Apostolorum sermonibus admittere, quippe quae cum illorum personis et munere minime conveniat, is teneat *cum* quod LÜCK., contra MEIJER. disputans, monet ad Joh. VII: 28: »*Aber* »*es giebt auch eine erhabene Ironie, welche die* »*Feyerlichkeit nicht ausschliesst;*" *tum* quod FRITZSCH. scribit ad Marc. VII: 9: »Non assequor, quidni »vel Dei legatus recte utatur sarcasmo — et iro»niâ — quum saepe fieri debeat, *ut tali tantum*»*modo orationis conformatione animi sensa apte* »*exprimas*, quemadmodum *percontatio*, *admiratio* »et cetera orationis σχήματα suo loco et tempore »suo unice apta sunt. Quocirca vel Dei legato »sarcasmo et ironiam concedo, modo ne his dicendi »figuris abutatur, ut homines proterve laedat. »Alioquin enim non modo legatus divinus, sed ne »bonus quidem vir existimabitur." Caeterum conff. de h. tropo *et* GLASS. l. l. Cap. V. p. 897—916, *et* alii, quos laudat KEIL.: quibus addantur CHR. FRIEDR. FRITZSCHE, *über die Ironien, welche in den Reden Jesu vorkommen sollen*, in *Analekten für das Studium der exeget. u. Systemat. Theol., herausgeg. von* C. A. G. KEIL, *u.* H. G. TZSCHIRNER, P. I. p. 86—101, F. L. LIEBE, *über Matth. XIX:* 28, *oder eine vom Evangelisten u. seinen Auslegern übersehene Ironie. Mit Vorwort u. Anmerkk. von* K. G. W. THEILE, in *Exeget. Studien, herausgeg. von* G. B. WINER, Lips. 1827. Vol. I. p. 59—102, et A. WH. in *Letterk. Mag. van Wetenschap, Kunst en Smaak.*

Amst. 1829. Vol. II. p. 281—286, all. a NIC. VAN WIJK, in *Comm. Theol.* caett. praemio orn. Tr. ad Rh. 1836, p. 226, n. *e.;* nec non F. J. GRÜLICH, *über die Ironien in den Reden Jesu. Noch ein Beitrag zu seiner Charakteristik*, Lips. 1838. D. THEILE in *Theol. Lit. bl. zur Allg. Kirch. Zeit.* 1838, n. 121, 122. *Journal für Pred.* Vol. 98, I: 29—32. V.] Sic igitur diximus de singulis quatuor tropis, metaphora, metonymia, synecdoche et ironia.

Sed dicendum quoque est de *affectionibus* horum troporum. Sunt eae, monente ERN. *Init. Rhetor.* § 332 quinque: *metalepsis*, *allegoria*, *catachresis*, *hyperbole* et *emphasis*. [GLASS. et DATH. l. l. C. XVIII. p. 1276, sq., ut et alii, tres tantummodo numerant, nempe: *catachresin*, *hyperbolen* et *allegoriam*. V.]

Metalepsis est tropus duplex vel multiplex in eadem voce: sive ut idem tropus duplicetur, sive ut duo diversi concurrant. CHRISTUS Joh. III: 6 *τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκός*, inquit, *σάρξ ἐστι* h. sensu: *quicunque natus est ex hominibus, pravitate infectis, pravitate infectus est.* [Ita et *cum* alii, *tum* LÜCK. et WETT. v. *σάρξ* interpretantur. Male *et* alii, *et* MÜLLER, *die Christl. Lehre v. d. Sünde*, V. II. p. 367: »*was der Mensch der natürlichen Geburt* »*verdankt, ist doch nur natürliches Leben.*" V]. Habes hic 1. synecdochen *unius* pro *omnibus in eo genere*, *τὸ γεγεννημένον* pro *οἱ γεγεννημένοι*, quae

etiam est in sing. σάρξ. [Vid. tamen de hoc *Neutro* WINER. *Gramm.* § 27. 4. p. 165 et LÜCK. ad l. V.] 2. Synecdochen *partis* pro *toto*, cum σάρξ ponatur pro σῶμα, [s. pro ἄνθρωπος σαρκικός V.] 3. metonymiam, quâ adiunctum dicitur pro subiecto, σάρξ pro σαρκικοί. — PAULLO Rom. X: 12 Dominus dicitur πλουτῶν εἰς πάντας τοὺς ἐπικαλουμένους αὐτόν. In eo, quod Deus [vel potius, docente orationis contextu, CHRISTUS. Vid. inpr. FRITZSCH. ad l. II. p. 400—402. V.] dicitur πλουτῶν *dives* 1. est metaphora, quâ Deo divitiae tribuuntur, quae sunt hominum, ut indicetur ea rerum omnium ubertas, e quâ divina potestas abunde possit largiri. 2. metonymia causae pro effecto, quâ πλουτῶν dicitur, qui non tantum dives est, sed et pro ratione divitiarum largitur copiose: [Cf. inpr. FRITZSCH. de form. dicendi πλουτεῖν εἴς τινα fuse disputantem. V.] — Idem Hebr. X: 22 Christianos vult ἐῤῥαντισμένους τὰς καρδίας, *adspersos* (quoad) *animum*: ubi 1. animadvertenda est metonymia causae pro effecto; nam *adspersi* dicuntur, quos vult *purgatos*. 2. metaphora, quâ res corporea ad animum transfertur. [Praeclare BLEEK. ad l.: »*Die ganze Formel bezeichnet an sich nicht die innere Heiligung, Befreiung von der Sünde selbst und deren Reizen, sondern das Bewusstsein der Rechtfertigung vor Gott.*" V.]

Allegoria est tropi eiusdem, imprimis metaphorae, per integram sententiam continuatio. Exempla

sint e JESU orationibus Matth. VII: 3—5, item sect. 6. Joh. IV: 35—38; e *Paullinis* epp. 1 Cor. III: 6—8, item sectt. 10—15. Sed de allegoria deinceps dicendum est ad KEILII §§ 73—76. [Cum autem in has §§ non commentatus sit cl. Scriptor, nos paucis videamus, quid sint allegoriae; quò modo agnoscantur; quid in illarum interpretatione sit tenendum, et quid conducant ad orationem ornandam.

Quod attinet ad *primum*, »allegoricum," ut vere monet KEIL. § 73, »dicitur illud orationis »genus, ubi integra sententia non propriis, sed »translatis verbis exprimitur, ab eiusmodi re illis »depromtis, cui cum ea, quae vere indicanda erat, »ex aliqua parte nonnihil intercedit similitudinis." Brevius GLASS. l. l. Cap. XX. p. 1294, quem noster Scriptor secutus esse videtur: »*Allegoria* est tropi »eiusdem, imprimis metaphorae, per complura mem»bra continuatio." MORUS in Diss. *de causis*, *quibus nititur interpretatio allegoriarum*, ins. *Dissertt.* eius *Theol. et Philol.* Vol. I. p. 378 sq. ed. alt.: »Dico allegoriam," inquit, »modum sententiae in»tegrae sic exprimendae, ut loco rei, quae proprie »dicenda erat, dicatur res, ei similis." Quamcunque harum definitionum sumas, unaquaeque perspicue docet, *et* quid sit *allegoria*, *et* quo nomine a *metaphora* differat. »Nempe allegoria iusta," quod recte GLASS. l. l. p. 1294 sq. observat, »unum »tropum servat per complura orationis membra, »cum contra simplex metaphora sit, quae in uno »tantum membro conservetur." Ita et MORUS, ubi

l. l. p. 379 docet, quomodo allegoriae *tum* ab aliis similitudinum exprimendarum generibus, *tum* a metaphoris differant, monet, allegorias integras sententias, metaphoras vero singulas tantum notiones similes permutare. Cf. et J. H. PAREAU, Disput. *de rationum, quae mythicam ll. ss. interpretationem suadeant, momento ac pondere*, in *Opp. Soc. Teyler*. a. 1814. p. 9 *sqq.*, ubi de discrimine, quod inter Mythos esse putat et inter Allegorias atque Fabulas morales exponit, nonnullasque Allegorias, e Prophetarum scriptis sumtas, affert p. 12.

Quaeritur autem, quod *secundo* loco diximus, quomodo allegoriae agnoscantur. Etenim »interpreti," quod recte KEIL. contendit § 75, »priusquam ipsi allegoriae alicuius explicationi operam »det, certo constare oportet, auctorem ipsum explicandum eam pro tali haberi, nec verba sua »proprio sensu intelligi voluisse." Scilicet scriptores aut dicentes nonnumquam ipsi vel affirmant, vel negant, tradita a se aut dicta allegorice esse interpretanda. Vid. e. c. Joh. X: 6. XVI: 25, 29. Gal. IV: 24. Sed plerumque id aliunde efficiendum est. Ita, »quaeritur," quod monet HERINGA in *not. margin.*, »utrum CHRISTUS proprie an allegorice lo»cutus sit de carne sua edenda et sanguine suo »bibendo Joh. VI: 51—56. Nos dicimus allegorice:" quod tamen ab aliis negatur. Idem quaeritur de iis, quae dicit CHRISTUS de mortuorum resuscitatione Joh. V, cum alii haec proprie accipienda esse statuant: alii vero negent. Cf. praeter REINWALDII

diss. *de cautionibus quibusdam in allegoriis explicandis*, a KEIL. n. *a*. laud., ERN. *inst. interpr.* P. I. S. II. C. IV. et SWAVING, *over den Allegorischen schrijfstijl der Oosterlingen, 't misbruik, dat daarvan gemaakt wordt, om Bijbel-waarheden te ontzenuwen, en regelen, volgens welke 't geen al of niet allegorisch is, kan bepaald worden*, in *Opp. Soc. Hag.* a. 1798. Ostendatur igitur oportet, qua ratione eiusmodi quaestiones rite solvi possint. Unde KEIL. sic pergit: »iam ad hanc rem definiendam tentare »debebit" (interpres) »partim *loci*, ubi illa occur»rit, *nexum*, partim vero *cogitationes* etiam et *de»creta* scriptoris interpretandi, ut ex illo" (nexu) »intelligat, utrum *aut* occasio, qua proposita sunt »verba sub iudicium vocanda, *aut* homines ac res, »de quibus agunt, *aut* eius, a quo edita sunt, »persona, de allegorica eorum, an de propria ex»plicatione moneant, harum vero" (significat KEIL., ni fallor, cogitationes et decreta scriptoris interpretandi) »ratione iudicare possit, utrum iis spec»tatis auctor ea, quae verbis dubiis continentur, »proprie potuerit tradere, an contra allegorice in»telligere debuerit." Sic docet *occasio*, quam dicit scriptor, verba JESU Joh. IV: 10: *σὺ ἂν ᾔτησας αὐτὸν, καὶ ἔδωκεν ἄν σοι ὕδωρ ζῶν*, allegorice esse accipienda; nam ipse sitiebat. Idem docent *homines* ac *res*, de quibus agitur, in ll. Joh. V: 35. Act. IV: 11 et 1 Cor. III: 6, 10; nam primo loco sermo est de JOHANNE *Bapt.*, altero de JESU CHRISTO, tertio de CHRISTI ministris eorumque munere. Idem

denique docet *persona eius, a quo edita sunt verba,* e. c. Luc. XII: 49; nam Conservator hominum haudquaquam proprio sensu affirmare de se ipse potuit: *πῦρ ἦλθον βαλεῖν εἰς τὴν γῆν, καὶ τί θέλω, εἰ ἤδη ἀνήφθη;* quo et referri posse videntur, quae de cogitationibus et decretis scriptoris interpretandi a KEILIO dicuntur.

Sed videndum est *tertio*, quid sit in allegoriarum interpretatione tenendum. Spectant huc quae KEIL. monet § 74 et 76. Nam priore §, ut doceat, »quo in explicanda aliqua allegoria res maxime »redeat:" »rei cardo," inquit, »in his duobus verti »censendus est, ut *primum* nota sit res, quae ob »similitudinem cum alia re intercedentem verbis »translatis signata est: *deinde* indagetur, quatenus »similitudinem inter utramque rem compositam »auctor interpretandus et qualem sibi cogitaverit." Et in posteriore §, ubi docet, quo in allegoriae explicatione respiciendum sit, haec interpreti praecepta scribit: »*primum* indagare illum oportet, »quaenam sit res sub verborum adhibitorum invo»lucris notata, *deinde*, ut comparationis momen»tum inveniat, studere, et omnia allegoriae verba »eo spectantia, uti ei convenit, in rem notatam »transferre. Prius aut *nexus loci*, in quo allegoria »occurrit, aut *aliorum locorum in eodem argumento* »versantium comparatio, aut, si de re in facto »posita sermo, *historia* eum docebit; posterius vero »ex mutua rei signatae et signantis comparatione, »adhibito, qui in quoque loco observatur, nexu,

»iudicandum est: quamquam propter dubitationem, »quae hic subinde accidit, ista res non semper »certo definiri potest." Itaque quod ad *prius* attinet, *nexus loci*, in quo allegoria occurrit, docet, quaenam sit res sub verborum adhibitorum involucris notata, e. c. (nam non est, quod de singulis locis, a KEIL. in nn. allatis, quibus et alia addi possent, dicamus), Joh. VI: 32 *sqq.* ὁ ἄρτος ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ὁ ἀληθινὸς, docente orationis contextu, est ipse JESUS CHRISTUS, qui, respectu *et* eius originis *et* muneris habito, iuremerito se ita vocavit. Idem docet *aliorum locorum* in eodem argumento versantium comparatio, e. c. Matth. IX: 15 et Luc. V: 35, coll. cum Joh. XVI: 2; etenim ex hoc loco patet, dictionem allegoricam, quae duobus prioribus locis habetur, intelligendam esse de perpessionibus, quas CHRISTI causâ subituri essent Apostoli. Idem denique docet *historia*, e. c. Act. IV, II, (pro quo legatur IV: 11); nam illâ duce tuto statuimus, spectare PETRI verba *et* mortem, quam Judaeorum proceres *Messiae* intulerant, *et* honorem, quo Deus eum affecerat. *Posterius* vero, quod KEIL. commemorat, ex mutua rei signatae et signantis comparatione, adhibito, qui in quoque loco observatur, nexu, iudicandum est. Ita e. c. comparationis momentum, quod dicit KEIL., cognosci facile potest in allegoria, quae Luc. XXIII: 31 habetur, modo attendatur *cum* ad rem signantem et signatam, *tum* ad orationis contextum, (Vid. sectt. 28—30): quod qui facit, is du-

bitare nequit, quin hoc a CHRISTO fuerit significatum: »si me, qui vivo in hominum commodum, »tam male tractent, quid fiet iis, qui digni sunt, »ut e medio tollantur." Potuerat quoque monere KEIL., quod HERINGA observat in *ann.* margin. ad hanc §: »aliquando ipse loquens aut scribens ali»quid addit, quo explicet allegoriam, ut Luc. V: »31. Eph. VI: 13—17." Nam quod CHRISTUS priore loco dixerat: *οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ὑγιαίνοντες ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες*, id mox s. 32 sic explicat: *οὐκ ἐλήλυθα καλέσαι δικαίους, ἀλλὰ ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν.* Ita et posteriore loco, ubi armatura Christianorum proponitur, ocreae, gladius, thorax, cingulum, scutum, ensis, mox omnia per partes explicantur. Assentior autem KEILIO, monenti, hanc rem propter dubitationem, quae hic subinde accidit, non semper certo definiri posse; quamquam non video, quomodo hoc in locum Act. IV: 11 cadere illi videatur. Sed quid opus est, ut plura hac de re dicam, cum MORUS l. l. fuse et perspicue eam exposuerit, cumque BORGERUS, interpretando loco Gal. IV: 24, *Spec.* p. 298 sqq., dicta eius egregie illustraverit. Ex horum igitur virorum sententia in cuiusque allegoriae interpretatione tria in primis cogitari debent, nimirum: 1. eâ contineri duarum rerum similitudinem; 2. eam similitudinem *ex parte* tantum spectandam esse; 3. ex rebus adiunctis intelligendum esse, *quaenam pars* potissimum sit spectanda. Quod si quaeris, quomodo hoc, quod ultimo loco dixi, et quod

profecto in omni hac causa caput rei est, ex rebus adiunctis intelligatur, audias MORUM l. l. p. 387 sqq. praeclare respondentem: »Ut autem in artis »operibus variis modis constituitur, quid nunc »sibi velint, per inscriptiones, per locum, ubi »proposita sunt, per adiectam descriptionem, unde »hieroglyphicae formae certos in Aegypto interpre»tes habuerunt; ut porro in vitae communis ser»mone intellectus certus proverbii allegorici pendet »a loco, ubi tale quid dicitur, et ab hominibus, »ad quos, a quibus, et de quibus dicitur, sic »etiam in scripta oratione definitur pluribus modis." Tum *et* usum loquendi *et* rei naturam in allegoriae interpretatione parum valere; orationis vero seriem et historiam longe iis esse praeferendas rectissime mihi quidem contendere videtur: ad quas qui rite attendit, is haud difficulter intelliget, quaenam pars in allegoria, de qua agitur, potissimum sit spectanda.

Quid denique allegoriae ad ornandam orationem conferant, non est, quod exponam; nam quae, quod attinet ad hanc rem, antea de metaphoris dicta sunt, haec valent quoque de allegoriis. Vid. igitur p. 332—4. V.]

Catachresis (abusio) dicitur durior vocis ad alienam significationem translatio: atque adeo ad vitia orationis pertinere dicenda esset, nisi usu ita esset emollita, ut durities non animadvertatur amplius. Praeterea nobis in coeli plaga septentrionali habi-

tantibus, multa videntur duriora, quae placent vivido eorum ingenio, qui sub calido vivunt coelo. Sic *trabem habere in oculo*, quod CHRISTUS dixit Matth. VII: 3—5, nobis insolens videtur et durum, Judaeis non item. Cf. VORSTII *Adag. N. T.* C. V. p. 781, [et LIGHTFOOTI *Opp. omnia*, t. II. p. 304 sq. V.] Quid? quod CHRISTUS aliquando consulto duriores adhibuerit metaphoras, ut in admirationem raperet auditores, cuiusmodi sunt in oratione Joh. VI, [maxime sectt. 51, 53—58. V.], ubi de *carne sua edenda* et *sanguine suo bibendo* dicit. Huc referri etiam possunt metaphorarum coniunctiones insolentiores, PAULLI vivido ingenio maxime propriae. Sic 1 Tim. VI: 19 divites admonitos vult, ut large donent pauperibus, *ἀποθησαυρίζοντες ἑαυτοῖς θεμέλιον καλὸν*, *thesaurum sibi colligentes fundamentum bonum:* ubi una metaphora est ducta a collectis et in futuros usus reconditis thesauris; altera a bono fundamento, quo superstruere tuto deinceps possis. Utraque metaphora pulcra est, ad eorum studia et agendi rationem significandam idonea, qui curant, ut habeant, e quo deinceps sperare possint commodum et utilitatem. Sed non inter se conveniunt. [Cf. tamen GROT. ad l. V.] Est igitur haec audacia quaedam Orientalis, quae mitigari potest ab interprete, sic vertendo: *studiose colligentes aliquid, cui deinceps laetam vitae aeternae spem superstruere possint.* [Cf. WETT. ad l. V.] Similiter 2 Cor. V: 2 PAULLUS *gemere* se dicit in huius corporis *domicilio*,

[ἐν τούτῳ suppl. σκήνει e sect. 1 et 4. Vid. WETT. ad l. V.], et valde expetere *domicilium coeleste, quo superinduatur*. Comparat igitur primum *corpus* illud *coeleste* cum *domo*, vel *tentorio*, in quo habitaturus sit, mox vero etiam cum *vestimento*, quo sit induendus. Quae binae metaphorae, si altera post alteram adhibitae fuissent, non durae viderentur: nunc vero, cum in una sententia iunctae apparent, *catachrestice* usurpari dicuntur. Verum in tanta commoti vehementerque desiderantis animi affectione eiusmodi insolentia non tantum ferenda est; sed et ab elegantia laudanda, imprimis propterea, quod sermo est de re, cuius nullam nobis informare possumus perspicuam notionem: in quâ igitur declarandâ scriptor laborat, et quam variis imaginibus lectorum menti, quoad eius fieri possit, proponere gestit. Huc vero non retulerim, quod PAULLUS 2 Tim. II: 26 monet, quomodo doctrinae Christianae interpretem oporteat lenem esse et placidum, in redarguendis pravis hominibus, sperantem fore, ut ita, Deo dante, ἀνανήψωσιν, *ex ebrietate ad se redeant*, ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου παγίδος, *e diaboli laqueo*, ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ, *ab eo capti et irretiti*. Etenim hae duae metaphorae possunt etiam apte sic coniungi, ut insidiatoris *laqueo irretiti* dicantur homines, quamdiu quasi *inebriati* facile capi eius fraudibus potuerint: mox vero, cum admoniti quasi *e crapula ad mentis sanitatem redierint*, a Deo adiuti, sese hoc diaboli *laqueo expediant*. [Cf. tamen WETT. ad l. V.] Multo

vero minus huc retulerim ex eodem Cap. sect. 19, quamvis vulgata interpretatio eius suspicionem facere possit. Etenim *θεμέλιος* non est *fundamentum*, cui non convenit τὸ ἕστηκεν, sed, [quod male negat WETT. ad l. V.] ad Hebr. אַרְמוֹן, *aedificium*, *palatium*, quomodo occurrit apud τοὺς ὁ et in ll. *Apocr.* a SCHLEUSN. in *Lex.* adductis, quibus addantur [e V. T. Amos. II: 2, 5, V.] e N. T. Apoc. XXI: 19—21 et Hebr. XI: 10; quod suadet etiam contextus s. 20. Intelligenda igitur videtur Ecclesia CHRISTI, [quam interpretationem WETT. reiectis aliis, egregie vindicat. V.] Christianorum coetus, oppositus *tum* HYMENAEO et PHILETO, quos *aberrasse* vel potius *excidisse* dixerat Apostolus a veritate, s. 18, *tum* iis, quorum fidem pervertisse eos ibidem legimus. Cff. loca, in quibus eadem metaphorâ utitur PAULLUS 1 Cor. III: 9. 1 Tim. III: 15. Eph. II: 21. Hebr. III: 6. 1 Petr. II: 5; praecipue autem ex hoc ipso contextu s. 20, ubi μεγάλης οἰκίας est mentio. Quod vero ad σφραγῖδα attinet, quae huic tribuitur aedificio, videtur *inscriptionem*, *titulum* significare; cuius prior quasi pars est: ἔγνω Κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ· altera: ἀποστήτω ἀπὸ ἀδικίας πᾶς ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα Χριστοῦ, [vel Κυρίου, quod GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHEND. praeferunt. — Cf. de *Catachresi* GLASS. l. l. C. XVIII. V.]

Hyperbole, *superlatio*, dicitur ea tropi affectio, quâ voces, quod bene monet GLASS. l. mox laud.

insolentius et audacius, rerum amplificandarum aut extenuendarum gratia, a nativa significatione in alienam traducuntur: unde interdum cum catachresi concurrit.

Hanc troporum affectionem praestantissimi quique omni aevo interpretes in ss. Novi pariter ac Vet. Test. libris agnoverunt, et ex interpretum magistris FLACIUS ILL. P. II. C. 4 *Clavis s. s.*, GLASS. l. l. C. XIX. In his vero nonnulli Viri dd. modum excedentes, aut parum reverenter de ss. libris, hyperbolica dicendi ratione usis, loquentes, fecerunt, ut alii, horum librorum auctoritatem vindicaturi, omne hoc genus hyperbolicum abesse iuberent. In his praeivit VALENT. ERN. LOESCHERUS, in *disquisit. quâ ostenditur, hyperbolas in verbis Dei nullas contineri*, quae est 1ª. in *Dissertt.* eius *sacri et literarii argumenti*, Lips. 1727: quem secutus est DAN. GERDESIUS in *Vesperis Vadensibus*, s. *Diatribis Theologico-Philol. de hyperbolis ex s. s. eliminandis*, Trai. ad Rh. 1727. In hoc igitur virorum dd. dissensu, quid de hyperbolis in N. T. cum ratione statui possit, paulo distinctius videtur exponendum.

Nihil omnino nocet ss. Scriptorum auctoritati, si quid in iis exstet hyperbolice dictum ab aliis, qui loquentes inducuntur, quorum dicta simpliciter referuntur, non laudantur aut probantur. Sic audimus *Samaritidem*, nunciantem *Sichemitis*, *Messiam* a se inventum esse, rem ita exaggerantem: »venite, videte hominem, qui mihi dixit πάντα, ὅσα ἐποίησα, *quaecunque a me acta*" Joh. IV: 29.

Nec tamen CHRISTUS ei omnia, per totam vitam acta, potuit referre, quamvis etiam sumas, plura eum mulieri dixisse, quam relata sunt ab JOHANNE. Dixisse enim JESUM refert hoc: »quinque viros ha»buisti, et quem nunc habes, non" (vel nondum) »est tuus maritus," sect. 18. Verum hoc dicto CHRISTUS ei in mentem revocavit omnem ante actam vitam; illa autem ex uno hoc documento colligit, nihil latere Prophetam, qui haec ipsi significare potuerit. [Cf. HERWERD. ad l. V.]

Si quae vero ab ipsis dicta sunt viris θεοπνεύστοις, aut scripta per hyperbolen, ea nihil habent vitii, quod saepenumero adhaeret hyperbolice dictis profanorum et vulgarium hominum: nihil a vero alienum, nullam animi dictorumque pugnam, nullum consilium rem augendi aut extenuandi, nullum inconsideratum dicendi impetum, nullam levitatem, nullam immoderatiorem animi affectionem. Itaque tota res eo redit, ut dicamus, viros divinos usos fuisse verbis dicendique formulis, quibus insolentior quaedam significatio attribuitur, quae tamen significatio ab audientibus legentibusve intelligitur, dummodo attendatur ad universum orationis habitum, dicentis scribentisve consilium, animique affectionem.

Etenim quae in ss. libris hyperbolice dicuntur, minime aliena sunt a consuetudine loquendi bonorum hominum, veri rectique amantium, et ad captum eorum se accommodantium, quorum in gratiam dicunt scribuntve. Quin permulta ex hoc

genere sunt ita recepta communi usu, ut in proverbia abierint, et vis eorum augens aut minuens vix cernatur, nisi a linguarum peritis, qui sedulo primas verborum significationes a tropicis distinguere solent.

Sed et hîc considerandum est Orientalium ingenium, vividum illud et calidum, quod adeo citius fortiusque afficitur, promtiusque est ad adhibendas voces formulasque hyperbolicas, quam nos sumus Septentrionales. Quamvis et in nostro sermone multa per proverbia dicantur, omnino hyperbolica: prout si quis pertimidus et diffidens cunctator dicatur *ovis incedere*, *(op eieren gaan)*; et si quem furor repentinus ad clamores et convicia incitat, eius os cum horreo comparatur, *(een mond als een hooischuur)*, et qui ab innocentia et sanctitate laudatur, a nobis *angelus* dicitur; contra scelestus, vel etiam iracundus et inhumanus, *Satanas, diabolus;* deformis *monstrum;* dolosus simulator cum *angue*, dolosa simulatrix cum *fele;* celeritas velocis hominis cum *vento*, vel *ave* comparatur; [aut si quis vehementi terrore correptus *millies mori* dicatur, *(duizend dooden sterven.)* V.]

Denique cum magna quaedam librorum ss. pars versetur in rebus grandioribus, humanum modum excedentibus, ipsique scriptores ss. harum rerum cogitatione et sensu valde affecti sint, mirum non est, aliquando nonnulla eorum dicta videri hyperbolica, quae tamen supra modum nihil augeant.

His praemissis, videamus varias hyperbolarum for-

mas, easque a fictis vel dubiis distinguamus. Duplex earum est genus: *unum* auget, *alterum* extenuat. Prius αὔξησις *amplificatio*, posterius μείωσις *extenuatio* dicitur.

Αὔξησις, *amplificatio* hyperbolica aliquid insolentius addit nativae significationi verborum, vel formularum dicendi. Etenim *et* in singulis verbis, *et* in enunciatis integris locum habet.

In singulis verbis nonnulla iam vidimus hyperboles specimina in synecdochis, quibus *omnes* pro plerisque, *universitas* pro parte dicitur et *genus* pro specie. Addamus nonnulla alia. *Πόλεμος* *bellum* dicitur pro *rixa*, *litibus* domesticorum, s. privatis, Jac. IV: 1. *Μισεῖν* *odio habere* dicitur pro *minus amare*, *postponere*, vel *duriter tractare*, *negligere*, Luc. XIV: 26. [Cf. Matth. X: 37. V.] XVI: 13. Joh. XII: 25. Rom. IX: 13. Eph. V: 29: (quae loca recte adduxit SCHLEUSN. in *Lex.* ad v., in eo tamen errans, [quem errorem BRETSCHNEID. quoque committit in *Lex.* ad v. V.], quod hunc verbi μισεῖν usum ad μείωσιν referat, cum pertineat ad αὔξησιν). [Cf. tamen FRITZSCH. de v. μισεῖν significatione disput. ad Rom. IX: 13, t. II. p. 304 sq. V.] *Συλεῖν*, *spoliare*, *praedari*, vox ἀπ. λεγ., adhibetur a PAULLO 2 Cor. XI: 8, [quo l. et RÜCKERT. hyperbolen agnoscit. V.] sensu *afficiendi damno*, cum dicit: *alios coetus* ἐσύλησα, *accepto ab iis stipendio*, *vobis ut ministrarem*. *Εὐνουχίζειν*, quae vox non nisi Matth. XIX: 12, bis tamen, alio atque alio sensu occurrit, dicuntur ἑαυτούς, non

qui se ipsi castrant, quomodo olim factum fuisse ferunt ab eo, qui metaphorice dictum proprie acciperet, [nempe ORIGENE. V.] sed *qui libidines venereas in sese exstinguunt:* [minus accurate *et* BRETSCHN. in *Lex.* ad v.: »qui eunuchi more vivunt, »i. e. vel a matrimonio omnino, vel a licito cum »uxore coitu abstinent, *et* FRITZCH. ad l.: »qui — »summae temperantiae continentiaeque student." V.] *'Ο κόσμος* dicitur *libros haud capturus*, si omnia a CHRISTO gesta scripto consignarentur, Joh. XXI: 25: in quo hyperbolen agnoverunt CHRYSOST., CYR., ERASM., [CALV. ex parte, V.] GROT. [et agnoscunt HERWERD., TITTM., THOLUCK., LÜCK. et WETT. V.] Quam ut evitarent, nonnulli χωρῆσαι sumserunt sensu morali, pro *mente capere*, *intelligere*, *memoria tenere;* quomodo χωρεῖν dicitur Matth. XIX: 11, 12. Sed videtur hoc voluisse JOH., vel is, qui hoc de JOHANNE testimonium Euangelio subiunxit, in bibliothecis locum non inventura fuisse librorum volumina, si quis omnia a CHRISTO dicta factaque voluisset perscribere.

Sic igitur in verbis nonnullis agnoscimus αὔξησιν hyperbolicam. Verum in aliis nondum eam deprehendo, quamvis a viris dd. indicatam. Sic GLASS., SCHLEUSN., alii τὸν οὐρανὸν de *insigni praestantia*, τὸν ᾅδην de *statu miserrimo* dictum putant Matth. XI: 23 hyperbolice: quod tamen non admiserim. Est enim simplex metaphora, [vid. in pr. WETT. ad l. V.] non rem augens; nam non potuit felicitas civitati *maior* accidere, quam *Capernaumitarum*,

ipsum CHRISTUM, Dei filium, civem suum quotidie videntium et audientium; nec potuit exitium maius dici, quam earum est futurum, qui hanc felicitatem spreverunt. Referunt huc quoque Luc. X: 18: *vidi satanam e coelo cadentem, ut fulgur.* Quod si accipiatur de viso CHRISTI symbolico, vix hyperbolis poterit accenseri. Nec cum BAUERO, *Rhet. Paull.* vol. II. p. 499 sq. hyperbolen admiserim in verbo *ὀνομάζεσθαι* Eph. V: 3, ubi PAULLUS: *πορνεία δὲ*, inquit, *καὶ πᾶσα ἀκαθαρσία ἢ πλεονεξία μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν, ne inter vos nominetur scortatio, impuritas, avaritia;* est enim: ne nomine quidem tenus nota sit, usu scil. aut experientia, quod fit, quando prorsus non existit: Nec cum eodem 2 Cor. V: 21, ubi CHRISTUS dicitur *non novisse peccata*, scil. sensu et experientiâ. [Cf. RÜCKERT. ad l. V.] Ita et 2 Cor. VIII: 3 dicuntur Ecclesiae *Macedonum* voluisse *supra vires* [*ὑπὲρ*, vel, quod praefert RÜCK. et receptum est a LACHM. et TISCHEND. *παρὰ δύναμιν*, V.] dare pauperibus, non hyperbolice, ut putat BAUER. l. l. p. 504; sed eo erant animo, ut et plus dare vellent, si possent. Gal. III: 1 CHRISTUS *inter Galatas*, [nam *ἐν ὑμῖν* tenendum est, nec significat *in vobis*, sed *inter vos*, V.] *dicitur crucifixus*, non hyperbolâ manifestâ, ut ait BAUER. p. 505; sed tanta perspicuitate depictus, tanta evidentia iis propositus, ac si suis eum oculis vidissent in crucem actum: [quam interpretationem probatam vid. a. BORGER., RÜCKERT. et WETT. ad l. V.]

In integris quoque enunciatis αὔξησις locum habet. Cum PAULLUS itineris sui sociis, in summo periculo versantibus, dicit: *nullius vestrum capillus e capite cadet*, [πεσεῖται, quod praefert KUIN. ad l., vel potius ἀπολεῖται, quod GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHEND. in textum receperunt, approbante WETT. ad l. V.] Act. XXVII: 34, quid est aliud, quam: nullam patiemini noxam: [quomodo proverbialis haec locutio occurrit 1 Sam. XIV: 45. 2 Sam. XIV: 11. 1 Reg. I: 52. Cf. et Matth. X: 30. V.] Cum declarat 1 Cor. IV: 9: *spectaculo sumus angelis*, significat, Angelos non quidem malis et calamitatibus Apostolorum, sed eorum pietate et fortitudine in iis tolerandis delectari. Quando refert Hebr. XI: 12, promissam fuisse ABRAHAMO prosapiam *innumerabilem*, *ut arena est ad litus maris*, [consuetâ apud *Hebr*. dicendi formulâ. Vid. ll. a BLEEK. laudd. V.] simpliciter tantus indicatur numerus, quantus numerari nequit, valde magnus. CHRISTUS in descriptione excidii *Hierosolymae* praesignificat fore, ut ne *lapis* quidem *super lapidem relinquatur*, quae est proverbialis descriptio vastationis consummatae, Matth. XXIV: 2: [ad q. l. praeclare FRITZSCH. »Noli," inquit, »οὐ μὴ ἀφεθῇ »λίθος ἐπὶ λίθον, ὃς οὐ καταλυθήσεται vanum putare »verborum temere cumulatorum strepitum. Nam »auget haec vocabulorum coacervatio summae, »quae futura sit, ruinae cogitationem." V.] In eodem Cap. utitur imaginibus Prophetarum veterum, quibus pingi solet Poëtarum more urbium

vastatio, regnorum eversio, summaque calamitas, sect. 29: *sol obscurabitur, nec dabit luna splendorem suum, et stellae cadent de coelo, et potestates coelorum concutientur.* Cuiusmodi imagines nonnullis quidem interpretibus visae sunt referendae ad interitum virorum in societate sacra et civili principum; sed frustra, ut mihi quidem videtur. [Wett. tamen proprie illas sumendas esse statuit ad l. V.] Et sect. 27 celeritas magnifici adventus CHRISTI ad puniendos contumaces *Judaeos* dicitur fore instar fulguris. [Traditur autem hac sect., quod acute monet FRITZSCH. »causa, qua vanis »nuntiis Messiam adesse afferentibus fidem habere »nefas sit. Nempe qua celeritate inopinato fulmen »ab oriente exsistens lumen usque ad occidentem »diffundit, eadem repente nemini obscurus (vid. »v. 30) aderit Jesus Messias. Itaque quemadmodum »fulmen hic vel illic esse ridicule contendas, ita »rumores, qui Messiam aut in diserto, aut in op»pidis versari narrant, fide sunt indigni." V.]

Sed, quamquam sic exstare amplificationes in integris enunciatis concedo, nondum tamen earum numerum tantum existimo, quantus videtur GLASSIO, DATHIO, BAUERO, aliis. Etenim huc minime referam monita CHRISTI et Apostolorum ad sectandam summam perfectionem, ad exuendam omnem pravitatem, Matth. V: 48. [Eph. V: 1. 2 Cor. VII: 1. 1 Petr. I: 15, 16, al. V.] Vid. BAUER. l. l. p. 501. Cf. GERDES. l. l. p. 34, 46. Quamvis enim eam perfectionem assequi in hac vita haud liceat morta-

libus, adspirandum tamen ad eam est; nec nisi his, qui ad eam adspirant, spes data est huius felicitatis consequendae post hanc vitam. Nec referenda huc sunt multa cum conditione dicta, ut: *quid prodest homini, si vel totum lucratus fuerit mundum, vitam vero perdat?* Matth. XVI: 26. *Si linguis hominum loquerer et angelorum, amore autem destitutus essem, aes forem resonans, aut cymbalum tinniens*, sonum quippe gratum edens, aliis forte utilem, ipse vero nullam inde utilitatem capturus, 1 Cor. XIII: 1. *Etsi decem millia paedagogorum haberetis*, CHRISTI *ratione habita, non tamen multos habetis patres*, C. IV: 15. *Si vel nos, vel Angelus de coelo vobis Euangelium denunciet, ab eo diversum, quod vobis denunciavimus, execrabilis esto!* Gal. I: 8. *Testor vos, si fieri potuisset, oculos vestros effossos mihi daturos fuisse*, C. IV: 15. In quibus omnibus nihil dicitur per exaggerationem, quandoquidem *cum conditione* singula dicantur. [Cf. de *αὐξήσει* GLASS. l. l. p. 1283—1291. V.]

Μείωσις, extenuatio, quae et *ταπείνωσις* et *λιτότης* vel *λιπτότης* dicitur, similiter *et* in singulis verbis, *et* in integris enunciatis locum habet. Minus ea dicit, quam intelligi vult.

In singulis vocibus haec sint exempla: *Τὶς* et *τὶ* *aliquis* et *aliquid* dicitur pro *magno* quodam. [Cf. BORGER. ad Gal. II: 6. VI: 3. FRITZSCH. ad Matth. XX: 20 et WINER. *Gramm.* § 25, p. 159. V.] Sic

GAMALIËL dicit de THEUDA Act. V: 36, *dicebat εἶναί τινα ἑαυτὸν*, h. e. *qui sese virum magnum iactabat*: [quam interpret. male reiicit WETT. Vid. KUIN. et quos laudat. V.] PAULLUS: 1 Cor. III: 7, *nec qui plantat, nec qui irrigat, ἐστί τι, sed Deus, qui dat incrementum.* [Cf. tamen WETT. ad l. V.] Similiter Gal. II: 6. VI: 3, [ubi ipse WETT. μείωσιν admittit. V.] Huc tamen non retulerim cum SCHLEUSN. in v. n. 12, 1 Cor. II: 2, εἰδέναι τι, [vel τι εἰδέναι, prouti ediderunt GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHEND. V.] quod vertit SCHLEUSN. *habere insignem eruditionem*; repugnat enim quod sequitur εἰ μὴ Ἰ. Χ., καὶ τοῦτον ἐσταυρωμένον· nec Gal. V: 6 et VI: 15, οὔτε περιτομή ἰσχύει τι, quod vertit: *neque circumcisioni magnum pretium statuendum est*; significat enim *nihil valet*, s. ut BORGER. ad l. vertit, *nihil refert.* — Verbum δοκεῖν quoque saepius ita dicitur, ut plus indicet, quam quod *videtur, putatur.* Scil. qui modeste loquitur, aliquando sic adhibet hoc verbum, quamvis plena ei sit et certa persuasio. Ita certe PAULLUS 1 Cor. IV: 9, δοκῶ γάρ, *puto enim* caett. [male RÜCK. ad l.: »δοκῶ *opinor*, »*credo, dient der Ironie; ich stelle mir nehmlich* »*vor, vermuthlich nehmlich.*" V.] C. VII: 40, δοκῶ ἔχειν, *puto enim me habere*: [ubi recte RÜCK. »*ich* »*glaube aber auch Gottes Geist zu haben*" caett. V.] Itaque non simpliciter abundat his locis, ut visum est SCHLEUSN. in v. n. 6. — Ἅπτεσθαι τινός *tangere aliquem* vel *aliquid* dicitur vario modo hyperbolico. Etenim ponitur aliquando pro *com-*

plecti, quomodo CHRISTUS MARIAE *Magdalenae* dicit: μή μου ἅπτου, *ne teneas me*, vel *ne amplexu tuo nunc me teneas!* Joh. XX: 17, [cf. HERWERD. ad l. V.]; aliquando pro *consuetudinem contrahere*, ut 2 Cor. VI: 17; aliquando pro *laedere*, ut 1 Joh. V: 18; aliquando de *consuetudine coniugali*, 1 Cor. VII: 1. Atque hoc ultimum exemplum ducit me ad singulare μειώσεως genus, quod dicitur εὐφημισμὸς, εὐφημία, ὑποκορισμὸς, *mitigatio*, quando res odiosae, ingratae, inhonestae dicuntur verbis minus significantibus. Sic *aversari*, *repudiare* dicitur verbo παραιτεῖσθαι *deprecari* Hebr. XII: 25. 1 Tim. IV: 7. V: 11. 2 Tim. II: 23. Tit. III: 10. *Mors* indicatur vocibus ἀναλύειν et ἀνάλυσις Phil. I: 23. 2 Tim. IV: 6, quae *discessum*, *abitum* notant, a nostratibus vero vertuntur *dissolutionis* vocabulo. [Cf. HENGEL. de v. ἀναλύειν disput. ad Phil. I: 23. V.] Huc vero cum BAUERO, p. 511 non retulerim ἐκδημῆσαι 2 Cor. V: 8, quia additur ἐκ τοῦ σώματος, eaque dicendi ratio composita est ad contextam orationem, in qua PAULLUS usus est metaphora habitationis in corpore terrestri vel coelesti. Neque huc retulerim verbum σπένδεσθαι, *libari*, *sacrificari*, quod nec de *morte* simpliciter sumta, nec de *viribus paulatim fractis* cum SCHLEUSN., sed de *violenta morte* acceperim, quam praevideret Apostolus, Phil. II: 17. 2 Tim. IV: 6. [Cf. HENGEL. ad priorem l., qui perversas interprett. refutat. V.] Denique per euphemismum γινώσκειν dicitur de *coniugali consuetudine* Matth. I: 25. Luc. I: 34: [quo euphe-

mismo cum Hebraeos, tum Graecos et Latinos usos fuisse, allatis exemplis, probarunt BRETSCHNEID. in *Lex.* et FRITZSCH. ad l. Cff. de *euphemismo* CHR. WOLLII *diss. de usu et abusu euphemismi s.* Lips. 1732, et G. G. SCHWAN *de usu et abusu euphemismi s.* 1732. V.]

In integris enunciatis frequens est usus *μειώσεως*, quando negatur contrarium eius, quod hac ipsa negatione fortius dicitur: ut Rom. I: 16, *non pudet* me Euangelii; sed magis de eo glorior: quod docet addita ratio; [minus tamen placet FRITZSCH. ad l. V.] 1 Cor. V: 6, *non bella est vestra gloriatio*, sed absurda, inepta, »*missfällig, verwerflich*" sec. WETT. V.]; C. XI: 22, *non laudo vos*, sed vehementer improbo. Cf. contextam orationem et sect. 2; C. XV: 58, opera vestra *non* erit *vana, inanis*, Domini ratione habita, sed valde utilis, praemio insigni a Domino condecoranda; Eph. IV: 20, vos ita *non didicistis* CHRISTUM, h. e. longe aliter. Ita et Philem. s. 11 ONESIMUS dicitur antea fuisse ἄχρηστος, qui non tantum inutilis fuerat, sed et noxius, ut e sect. 18 colligas. Et PAULLUS monet *Hebraeos* C. XIII: 17, ut sese ad obedientiam componant erga Ecclesiae praefectos, ne illis gemendum sit de pervicacia Ecclesiae; *hoc enim*, addit, *vobis est ἀλυσιτελὲς inutile*, h. e. noxium, perniciosum: [quibus duobus ll. postremis WETT. quoque *litoten* agnoscit. — Cf, de *μειώσει* GLASS. l. l. p. 1291—1294. V.]

Quinta troporum affectio dicitur *emphasis*, quae est ea vis tropi, qua altiorem praebet intellectum, quam verba per se ipsa declarent. Sed difficulter haec troporum affectio poterit exponi hoc loco singulari, cum deinceps universe nobis de *emphasi* dicendum sit in propriis quoque verbis, et de causa eius, ad § 42: [in quam tamen § nulla vir cl. annotata scripta reliquit, nisi haec pauca, KEILII libro adiecta: ad ipsam § 42 laud.: »Emphasin »rhetoricam figuris accenset BAUER. *Rhet. Paul.* p. »614. Vid. antea notata ad KEILII P. I. C. I. § »22, p. m. 246 sq. et ERN. *Init. Rhet.* § 337," [ed. meae § 336. V.] »De *emphasibus* v. ERN. *N.* »*Th. Bibl.* X. 799 sqq." Et ad not. *a*) ad KEILII verba *addi iuberet:* »Sic QUINCTIL. iam descripsit, »*Inst. Or.* L. VIII. C 2, 3, qui adducit exempla »haec: *virum esse oportet*, *homo est ille*, *viven-* »*dum est;*" ad haec: *nec in nudis quibusdam vo-cabulis:* »Cf. ERN. *Inst.* P. I. S. I. C. 2, § 15, 16, »20. S. II. C. 5. § 6, 7;" ad illa: *nec in hac vel illa forma:* »ut compositorum cum praepositt. Cf. »ERN. *Inst.* P. I. S. II. C. 5. § 8, aut formae plu-»ralis. Vid. id. ib. § 9;" ad haec: *nec in singu-lari eorum usu*, »ut abstractorum pro concretis. »Vid. id. ib. § 10." Est autem locus de emphasibus in N. T. obviis, nostris quoque temporibus, dignissimus, qui accurate tractetur; sed longius patet, quam ut hîc iuste a nobis exponi possit. Itaque legg. ERNESTII *inst.* P. I. S. I. C. II. § 15 et S. II. C. V *de emphasibus iudicandis;* eius-

dem *N. Th. Bibl.* X. 799 sqq.; nec non MORI *Acroas. super Hermen. N. T.* ed. ab EICHSTÄDTIO, Vol. I. p. 321—336; quorum tamen dicta, me quidem iudice, non omnia sunt probanda. V.] Itaque haec de *tropis* eorumque affectionibus dicta sunto. [Quum autem quae KEIL. § laud. monet, nitantur in sententiâ de sensu in interpretando a significatu probe discernendo, (Vid. § 38), non possum non cum lectoribus hîc communicare, quid HERINGA hac de causa statuerit.

»Quamquam ante MORUM," sunt verba ipsius, e quâdam schedulâ descripta, »nonnulli significationem a sensu distinxisse videantur, (e. c. »ALB. SCHULTENS. *Opp. min.* p. 281, lin. 17, 18.), »ille tamen primus de discrimine sensus et significationis ex instituto scripsit. Mentem suam in »*Praelectt. ad* ERNESTII *instit. interpr. N. T.*, ab »EICHSTÄDTIO edd. I. 54 sq. paulo crassius manifestavit; sed subtilius eam exposuit in *Progr. de* »*discrimine sensus et significationis in interpretando*, »Lips. 1777, 4. repet. in eius *Dissertt. Theol. et* »*Philol.* Vol. I. p. 61 sqq., cuius dissertationis ope »EICHST. MORI mentem in *Acroas. super Hermen.* »*N. T.* Vol. I. p. 56—64 paulo accuratius est interpretatus. Cum vero non tantum in *Germania*, »sed etiam in *Belgio* Viri nonnulli docti MORO accedant, ad eumque provocent, qua possum, sermonis brevitate eius sententiam proponam, de »eaque iudicium meum qualecunque interponam.

»MORI igitur sententia haec est. Non potest

»quilibet locus alicuius scriptoris ad verbum in »aliam linguam transferri, (Diss. I: 61), sive non »possunt significationes omnes ac singulae, quas »vox in una lingua habet, ita respondere in alia »lingua, ut, tanquam par pari, sic verbum verbo, »significatio significationi reddatur, (ib. ad fin. et »p. 62 init.). Sic vocum σάρξ et πνεῦμα, σαρκικὸς »et πνευματικὸς, et formularum καθῆσθαι πρὸς τὴν »δεξιὰν τοῦ Θεοῦ, εἶναι ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ἐκ τοῦ »Θεοῦ, ἐκ τῶν ἄνω *significatio* tradi in linguam »Latinam nequit, ad verbum reddendo; verba enim »Lat. *caro*, *spiritus*, *carnalis*, *spiritualis* caett. non »exprimunt significationem verborum eorum et »formularum, quam habent Graeca illa. Itaque »in his vertendis et explicandis *sensus* quaerendus »est, isque qualibuscunque demum verbis est ex»primendus, (p. 63 med.). Hoc autem locum habet »*cum* in singulis verbis, *tum* in integris sententiis »et propositionibus. In *singulis verbis*, quorum »ipsa *significatio* versione exprimi non potest, ne »obscura sit et ambigua versio, *sensus* tradendus »est, h. e. tradenda est notio, quae in h. l., et »in hoc verborum contextu permutari potest cum »notione verbi, quod scriptor posuit. Sic signifi»catio verbi προσέχειν est *adhibere*, et suppresso »nomine νοῦν vel γνώμην, *adhibere mentem*, i. e. »*attendere*. Sed quando quis dicitur προσέχειν ταῖς »τιμαῖς, hoc significat *cupidum esse honorum*, προσ»έχειν τοῖς λαλουμένοις, *assentiri dictis*, προσέχειν »τῷ Καίσαρι, *adhaerere Caesari*. Hae igitur diver-

»sitates faciunt, ut *sensus* tradendus sit. — Simi»liter in integris *sententiis et propositionibus*, quas »versio non potest ad verbum repetere, res, a »scriptore suis verbis expressa, exprimenda est »alterius linguae verbis iis, quorum adiumento »lectores ad eandem rem, quam scriptor suis ver»bis expresserat, *in universum* cogitandam deve»niant. Quo facto *sensus* traditur loco *significa»tionis*. Haec MORI est sententia.

»Si vero, quid de ea mihi videatur quaeratis, »fateor me in ea acquiescere non posse. Concedo »ad exprimendam significationem, uni voci aut »formulae propriam, adhibendas esse saepenumero »alterius linguae *plures voces*, easque *varias* pro »varietate rerum significatarum. Sed hinc minime »duci potest hoc, alium esse *sensum*, aliam esse »*significationem*. Qui est *sensus* vocis, eadem est »*significatio* eius: qui est *sensus* sententiae, dicen»dus quoque est *significatus*. Possumus discernere »*significationem singulorum verborum* a significatione »*totius formulae* aut *enunciati*, (Vid. *Acroas*. l. l. »p. 55.) Sed id discrimen possumus aeque indicare »dicendo: *significationem singulorum verborum*, nude »et simpliciter spectatorum, differre a *significatione* »*formulae aut enunciati*, sive a significatione, quam »habeant verba in hoc illove enunciato.

»Si igitur ex MORI sententia statuatur discrimen »*significationis* et *sensus*, me iudice, nullum est. »MORI autem sententiam secutus est EICHSTÄDTIUS. »Nec plus viderunt SEILER. *Bibl. Hermeneut*. § 71,

»BECKIUS in *Monogramm. Hermen. ll. N. T.* p. »136, coll. 127. KAISER. *Grundriss eines Systems »der neutestamentl. Hermeneut.* § 39. JAHN. *En»chirid. Hermeneut.* § 6. GRIESB. *Vorlesungen über »die Hermeneut. des N. T.* p. 55, VOORSTIUS, *Annott. »in ll. selecta N. T.* Spec. I. p. 24, 25, BORGER. »*interpr. ep. ad Gal.* p. 330 sq. in not., KEIL. l. »l. § 38 (1).

»Atque in ea sententia me confirmant ipsa ho»rum virorum dicta, quibus promiscue dicunt *sen»sum* et *significationem*. In MORO et EICHSTÄDTIO »deprehendent hoc, quibus libri laudd. ad manus »sunt. In KEILIO comparetur inscriptio § 42 cum »primis paragraphi verbis: in eâ dicit: *auctor plus »minusve* significare *iussit*, in hac vero, idem »pronunciaturus, scribit: *auctor maiorem minoremve »*sensum *subiecit*.

»Denique Latini, quoad equidem iudicare pos»sum, ignorant *sensum* vocis, *sensum* formularum. »Illi dicunt *vim*, *significationem*, *sententiam*, *no»tionem*. — Haec igitur mihi monenda visa sunt, »ne commilitones magnorum Virorum exemplo et »auctoritate confundantur. Legant quae e nostra »sententia scripsit J. J. SCHOLTEN. in *Spec.* acad.

---

(1) Ita et BRETSCHNEID. in *praef.* ad *Lex. in ll. N. T.* p. 6 declarat, »se diligenter cavisse, ne sensum cum significatione per»misceret, atque ita significationum numerum praeter necessitatem »augeret." Imo FRITZSCH. quoque inter sensum et significatum distinguit. Vid. eius app. ad Rom. X: 2, antea a me laud. V.

»*de diversis vocis χάρις significationibus*, Trai. ad Rh. »1805, in Introitu."

Ad ornatum orationis pertinent etiam *figurae* Rhetoricae. Dicuntur autem *figurae*, quae Gr. *σχήματα* orationis, *habitus* orationis, non immutantes verborum significationem, sed orationi formam quandam ornatiorem et graviorem conciliantes. [Cf. GLASS. l. l. p. 1328. V.] Unde ERN. in *Init. Rhet.* § 338 [ed. meae § 337. V.] *figuram* dixit *quandam orationis vulgaris cum virtute immutationem*. »Virtus autem illa," eo iudice, »duplex »est. Nam vel *suaviorem* orationem facit, vel »*graviorem*, atque utraque de causa affert ora»tioni ornatum. *Suavitatem* porro afferunt vel »*sono* quodam, vel *sensu*, vel *copia;* nam et »soni quidam naturâ delectant aures animosque, »et quaedam sententiarum conformatio iucundior »est, denique copia omnes naturâ capimur. *Gra»vitatem* autem efficiunt figurae vel eâdem illâ »copiâ, si rei augendae exaggerandaeque servit, vel »affectu aliquo exprimendo." Nos cum deinceps de *gravitate* simus acturi, nunc de *suavitate* tantum dicemus, quae e figuris orationi accedit. Est autem figura, quod recte monet idem ERN. l. l. duplex, altera in *verbis*, altera in *sententiis*. [Cf. GLASS. l. l. p. 1328 sq. V.] De utraque videamus.

Figurae *verborum* sunt:

1. *'Αντανάκλασις*, *refractio* s. *reciprocatio*, quae

locum habet, cum idem verbum bis, sed alio atque alio sensu adhibetur: unde et *διλογία duplex sensus dicti*, et *πλοκή argute dictum*, [quam tamen ERN. l. l. § 339 eius *speciem* vocat. V.] dicitur. Exempla sint: Matth. VIII: 22, *mortui suos mortuos* sepeliant, h. e. qui animo sunt mortui, cadavera sepeliant; [nam FRITZSCHII interpretatio, utrumque τοὺς νεκροὺς de *vita defunctis* sensu proprio accipientis, h. m. *lass die Todten sich unter einander selbst begraben*, nullum bonum sensum fundit, nihilque valet dubitatio, qua ductús nostram reiicit sententiam. Vid. Apoc. III: 1, et conf. WETT. ad Matth. l. V.]; Joh. II: 23, 24, multi crediderunt JESU propter mirifice facta, ἐπίστευσαν, JESUS vero sese iis non ἐπίστευεν; Act. XVI: 18, 19, PAULLUS iussit ancillae vatidicae spiritum ἐξελθεῖν, isque actutum ἐξῆλθεν. Aegre id ferunt domini ancillae, videntes, ὅτι ἐξῆλθεν *spes lucri:* abierat quasi cum spiritu illo daemoniaco eorum spes; Rom. IX: 6, οὐ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραήλ, οὗτοι Ἰσραήλ [*non omnes ab Israële prognati sunt veri nominis Israëlitae*, vel, ut FRITZSCH. ad l. vult, »non »omnes ab Israële prognati (secundum Dei edictum) »Israëlitarum jura et privilegia habent." V.] Apoc. III: 10, *quoniam* servasti (Eccl. *Philad.* praeposite!) *meam doctrinam ego quoque te servabo e tempore tentationis (ἐτήρησας, τηρήσω).* — Habet haec figura quoque locum, ubi alluditur ad sermonem aliorum. Exempla sint: Matth. V: 19, Pharisaei dicebant quaedam praecepta legis *minima*, [vel

tenuissima. V.] CHRISTUS: *qui solverit*, inquit, *unum ex his* minimis [vel *tenuissimis* V.] *praeceptis*, minimus *ille erit in coelesti regno*, [vel pertenue *nomen accipiet in regno messiano.* Vid. FRITZSCH., qui et observandum hîc esse lusum in verbis monet. V.], et Joh. IV: 31, 32, Discipuli rogant CHRISTUM: *Rabbi* comede, reponit ille: *ego habeo ad* comedendum *cibum*, *quem vos ignoratis.*

2. *Repetitio unius verbi eodem sensu*, *sed loco contrario posita.* Ea fit dupliciter vel per *ἐπανάληψιν resumtionem*, vel per *ἀναδίπλωσιν duplicationem.* [Vid. ERN. l. l. § 340. V.] Epanalepsis locum habet, quando eadem vox, quae fuerat in *priori* membro *prima*, in *posteriori* fit *ultima.* Exempla sint: Marc. XIII: 35—37: vigilate *igitur*, *ne Dominus*, *quando venerit*, *vos inveniat dormientes!* *Quae autem dico vobis*, *ea omnibus dico:* vigilate! Phil. IV: 4, gaudete *in Domino! Iterum vobis dico:* gaudete! — 'Αναδίπλωσις est, quando vox, quae fuerat in *priori* membro *ultima*, in *posteriori* fit *prima*, e. c. Rom. VIII: 17: *Quodsi filii sumus*, *sumus et* haeredes, haeredes *quidem Dei*, *cohaeredes autem* CHRISTI. C. IX: 30: *Gentes*, *δικαιοσύνην non sectantes*, *consecutae sunt* δικαιοσύνην, δικαιοσύνην *δὲ τὴν ἐκ πίστεως.* Phil. II: 8: CHRISTUS *obediens factus est usque ad* mortem, mortem *autem crucis:* [ad quem l. cf. HENGEL. V.]

3. *Repetitio eiusdem nominis variis casibus et eiusdem verbi variis personis ac temporibus*, quae

πολύπτωτον dicitur, [Vid. ERN. l. l. § 341. Cf. et GLASS. l. l. p. 1333 sq. V.] e. c. Joh. I: 16: *e plenitudine eius accepimus χάριν ἀντὶ χάριτος*. Rom. IV: 18: ABRAHAMUS credidit *παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι*. 2 Cor. IX: 8: *potest autem Deus π ᾶ σ α ν χάριν περισσεῦσαι εἰς ὑμᾶς· ἵνα ἐν π α ν τ ὶ πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες, περισσεύητε εἰς π ᾶ ν ἔργον ἀγαθὸν*, h. e. *facere, ut omne beneficium in vos redundet, ut in omnibus, omni tempore*, (non *semper*, [cum *Vulg*. et BEZA. V.] quando haec pars *πολυπτώτου* perit), *omnia vobis sufficientia habentes, omni benefacto abundetis*. Est enim ea repetitio *omnium* in versione quoque enuncianda: quomodo etiam a [PISCAT. et V.] *Belgis* factum est, [uti et a PALM., licet nonnihil ab illorum interpretatione discedat. Minus bene LUTHER., nam *et πάντοτε* omittit *et πᾶσαν αὐτάρκειαν* vertit: volle *Gnüge*. V.]

4. *Paronomasia*, Lat. *agnominatio*, Belg. *woordspeling*, QUINCTILIANO *προσονομασία*, HERMOGENI *παρήχησις soni adaequatio*. [Vid. loca laudd. a GLASS. l. l. p. 1335. V.] Est autem levis verbi mutatio, literâ vel syllabâ additâ, detractâ aut transpositâ, cum suavi quadam allusione. Hodie quidem ea in gravi orationis genere raro laudatur, quamvis in acute dictis, in epigrammatibus ac sim. vim et elegantiam afferat. Sed veteres eas magis amabant; imo CICERO saepe iis usus est. Imprimis vero Orientis populi eâ delectantur; quod singulari diss. docuit JO. HENR. VERSCHUIR, ins. *Diss. Philol. Exeget*. Leov. 1773, p. 172 sqq. Itaque mirum non

est, eam aliquando etiam consulto adhibitam esse a CHRISTO et Apostolis. CHRISTUS SIMONI Apostolo indidit nomen Syriacum *Kephas*, alludens ad nomen כֵּיפָא, *petra*, Matth. XVI: 18, quod Euangelista Graece quoque expressit, adhibito *Πέτρου* nomine, quod factum est e *πέτρα*, *rupem* significante. [Cf. de h. l. praeter interpp. BORGER. *de constanti et aequabili J. C. indole* caett. P. I. p. 8—10, coll. p. 5—8. V.] Eiusmodi paronomasiae latent, ut opinor, plures in CHRISTI dictis, quae in Graecum sermonem transire non potuerunt. Cf. GLASS. l. l. I. p. 1339. Sed in PAULLI epistolis insunt plura exempla, quae in versione Lat. aut vernacula nostra raro possunt exprimi. Aliquando quidem id commode fit. Sic Rom. V: 19 opponuntur *παρακοή* et *ὑπακοή*, *inobedientia* et *obedientia*, [*ongehoorzaamheid*, *gehoorzaamheid*. V.] C. XII: 3 monet PAULLUS *μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν*, h. e. ne *immodeste* de se *sentiant*, *supra quam sentire oporteat*, *sed sentiant modeste;* [*Belgae* habent: *dat hij niet wijs zij boven hetgeen men behoort wijs te zijn*, *maar dat hij wijs zij tot matigheid.* Melius PALM.: *niet overwijs te zijn boven hetgeen men behoort wijs te zijn*, *maar wijs te zijn tot matigheid.* Cf. FRITZSCH., al l., qui PAULLI paronomasiam Latine sic imitari conatur: »nam edico-unicuique, qui »in vestro coetu versatur, ne *elatiore animo* sit, »quam qui *rectum animum* exsuperet, sed *usque* »*eo animatus* sit, ut *modestum animum* gerat s. —

»ne *maiores* quam quos gerere par est *spiritus* »sumat, sed *spiritus* usque ad modestiam quam »*spiret* remittat." V.] 1 Cor. VII: 31: *οἱ χρώμενοι τῷ κόσμῳ τούτῳ*, [LACHM. et TISCHEND. *τὸν κόσμον* V.], *ὡς μὴ καταχρώμενοι· utentes hoc mundo, ut non abutentes*. [Ita et PISCAT. et *Belgae*, PALM.: *die de wereld genieten als zij, die er geen genot van hebben.* Alii, ut RÜCK. et WETT. *καταχρῆσθαι* idem significare volunt, quod *χρῆσθαι*. V.] 1 Cor. XI: 31: *εἰ γὰρ ἑαυτοὺς διεκρίνομεν, οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα· zoo wij toch ons zelven* beoordeelen, *worden wij niet* veroordeeld. [Melius: *zoo zouden wij niet geoordeeld worden*, tum propter coni. *ἂν* (Vid. WINER. Gr. § 43), tum propter seqq. *κρινόμενοι — κατακριθῶμεν*, sect. 32. Minus bene Belgae: *want indien wij ons zelven oordeelden, zoo zouden wij niet geoordeeld worden*. Male PALM.: *want indien wij ons zelven in waarde houden, worden wij niet geoordeeld.* V.] Hoc Lat. enunciari non potest, servata paronomasia. [Potest autem haec servari, si vertimus: *nam si nosmet ipsi diiudicemus, non iudicamur.* V.] Phil. III: 2, 3: *βλέπετε τὴν κατατομήν· ἡμεῖς γάρ ἐσμεν ἡ περιτομή·* concisionem, circumcisionem; versnijding, besnijding. Sed frequentius id propter sermonum diversitatem frustra tentatur: ut 2 Cor. IV: 8: *ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι*, quod BEZA imitari quodammodo voluit, reddens haesitamus, *at non prorsus* haeremus. Nostrates, quoad sonum, melius: twijfelmoedig, *doch niet* mismoedig. Neutrum omnino satisfacit; nam *ἀπορεῖν*

h. l. est *anxium esse*, *ἐξαπορεῖν desperare*. 2 Thess. III: 11 pigri describuntur, *μηδὲν ἐργαζομένοι, ἀλλὰ περιεργαζόμένοι*, *nihil agentes*, *sed male seduli*, Hebr. V: 8: CHRISTUS *obedientiam ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθε didicit ex iis*, *quae passus est*. Hinc Theologi dicunt *παθήματα μαθήματα*. *Lijden is leeren*. *Lijdensschool is leerschool*. [Cf. de *Paronomasia* praeter ss. iam all. WINER. Gr. § 62 et quem laudat n.* J. F. BÖTTCHER. *de paronomasia finitimisque ei figuris* PAULO *Ap. frequentatis*, Lips. 1823. V.]

Figurae *sententiarum* ad ornatum facientes praecipuae sunt:

1. Quae ex *oppositione* oriuntur, *antitheta* propterea dicta, *opposita*, vel, ut AUGUSTIN. expressius dixit *contraposita*. [Vid. GLASS. l. l. p. 1376. V.] Sunt ea in scriptis maxime *Paullinis* frequentia, sive simpliciter sint enunciata, sibi invicem contraria, sive etiam praeterea accedat aliquid, quo oppositionis vis augeatur. In singulis magnam esse suavitatem suus quemque sensus docet. Oritur illa a contrariis, quibus naturâ delectamur; e brevitate porro, quae ab his numquam abest; denique in nonnullis etiam e numero, qui in iis sponte nascitur. Vid. ERN. *Inst. Rhet.* § 352 sq.

Simplicis *ἀντιθέσεως* haec sint exempla: Rom. V: 6—10, [*ἀσθενῶν*, *ἀσεβῶν*, *ἁμαρτωλῶν* s. 6, 8. opp. *τῷ δικαίου* et *τοῦ ἀγαθοῦ* s. 7; *δικαιωθέντες ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ* opp. *σωθησόμεθα δι' αὐτοῦ ἀπὸ τῆς ὀργῆς* s. 9: *ἐχθροὶ ὄντες κατηλλάγημεν*] *τῷ Θεῷ διὰ*

τοῦ θανάτου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ opp. καταλλαγέντες σωθησόμεθα ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ s. 10. V.] C. II: 21, 22: [ὁ διδάσκων ἕτερον, σεαυτὸν οὐ διδάσκεις; ὁ κηρύσσων μὴ κλέπτειν, κλέπτεις; ὁ λέγων μὴ μοιχεύειν, μοιχεύεις; ὁ βδελυσσόμενος τὰ εἴδωλα, ἱεροσυλεῖς; V.] 1 Cor. IV: 10: [ἡμεῖς μωροὶ διὰ Χριστὸν, ὑμεῖς δὲ φρόνιμοι ἐν Χριστῷ· ἡμεῖς ἀσθενεῖς, ὑμεῖς δὲ ἰσχυροί· ὑμεῖς ἔνδοξοι, ἡμεῖς δὲ ἄτιμοι. V.] C. XV: 42—44: [σπείρεται ἐν φθορᾷ, ἐγείρεται ἐν ἀφθαρσίᾳ· σπείρεται ἐν ἀτιμίᾳ, ἐγείρεται ἐν δόξῃ· σπείρεται ἐν ἀσθενείᾳ, ἐγείρεται ἐν δυνάμει· σπείρεται σῶμα ψυχικὸν, ἐγείρεται σῶμα πνευματικόν. ἔστι σῶμα ψυχικὸν, καὶ ἔστι σῶμα πνευματικόν. V.] 2 Cor. VI: 7—10: [διὰ τῶν ὅπλων τῆς δικαιοσύνης τῶν δεξιῶν, καὶ ἀριστερῶν, διὰ δόξης καὶ ἀτιμίας, διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας· ὡς πλάνοι καὶ ἀληθεῖς· ὡς ἀγνοούμενοι, καὶ ἐπιγινωσκόμενοι· ὡς ἀποθνήσκοντες, καὶ ἰδοὺ ζῶμεν· ὡς παιδευόμενοι, καὶ μὴ θανατούμενοι· ὡς λυπούμενοι, ἀεὶ δὲ χαίροντες· ὡς πτωχοὶ, πολλοὺς δὲ πλουτίζοντες· ὡς μηδὲν ἔχοντες, καὶ πάντα κατέχοντες. V.]

Augetur autem ea vis oppositionis *a) commutatione*, ἀντιμεταβολῇ, qua contraria inter se permutantur, [Vid. GLASS. l. l. p. 1376 sq. V.] ut Marc. II: 27: *Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter sabbatum*, [in quo et legitimum esse *Asyndeton* monet FRITZSCH. ad Marc. I: 22. V.] Joh. XV: 16: *non vos me elegistis; sed ego vos elegi.* — *b) Inversione*, ἀντιστροφῇ, quando contrarium eius, quod refellitur, ex ipso eo colligitur, e quo *illud*

ductum fuit. [Vid. GLASS. l. l. p. 1377. V.] Elegantissimum est in hoc genere dictum *Cananitidis*, quam CHRISTUS videbatur repellere hoc responso: *non oportet* [οὐκ ἔστι καλὸν, vel quod FRITZSCH., LACHM. et WETT. praeferunt οὐκ ἔξεστι. V] *liberorum panem dare* [vel potius *proiicere;* nam, quod recte observat FRITSCH. ad l.: »de industria elegit noster verbum »βαλεῖν, pro quo male quaedam subsidia tenent »δοῦναι, ut quod sono prope accedat ad λαβεῖν." V.] *canibus*, cui illa reponit: *at canes etiam micas edunt, de mensa dominorum cadentes*, Matth. XV: 26, 27. — *c)* ὀξυμώρῳ, *acute dicto*, quod speciem habeat stulte dicti, cum contraria iungantur, quae primâ specie videantur iungi non posse. [Vid. GLASS. l. l. p. 1377 sq. V.] Haec falsi species, sub quo latet verum acute dictum, facit ut capiatur audientis legentisque animus, interdum etiam in admirationem rapiatur, e. c. Rom. I: 20: τὰ ἀόρατα αὐτοῦ — καθορᾶται, *quae adspici nequeunt, perspiciuntur*, mente intellecta. 1 Cor. III: 18: *si quis sibi videtur esse sapiens, stultus fiat*, (stultum se habeat, nihil se scire agnoscat), *ut fiat sapiens*. [Cf. de h. l. RÜCKERT. V.] C. VII: 29, 30 monet PAULLUS *Corinthios*, ut *qui habent uxores, sint ut non habentes, et qui flent, ut non flentes, et qui gaudent, ut non gaudentes, et qui emunt, ut non obtinentes*, quandoquidem scil. instabat tempus, quo rerum omnium terrestrium usus foret nullus. 2 Cor. VIII: 2: *summa* Macedonum *paupertas abundavit divitiis liberalitatis*, [τῆς ἁπλότητος α. V.]

(Liberalitas eorum effecit, ut quamvis in profunda versarentur paupertate, potuerint tamen iuncta opera plurimum tribuere). [Vid. tamen *et* RÜCKERT. ad l. *et* inprimis FRITZSCH. ad Rom. XII: 8 de vv. ἁπλοῦς et ἁπλότης fuse disputantem, ubi nec nostrum locum neglexit, ac probavit, non *liberalitatem*, sed *probitatem*, *animi candorem* v. ἁπλότης significari. V.] Eph. VI: 20 acute P. de se ipse dicit: πρεσβεύω ἐν ἁλύσει *legatione fungor in catena.* 1 Tim. V: 6: luxuriosa vidua ζῶσα τέθνηκε *viva mortua est;* (vita enim non fruitur, destituta morte viri eâ voluptate, in qua unice vivere gestit, simul omnibus vitae gaudiis et commodis inepta). Quin et ipsum illud ὀξυμώρου vocabulum ad hanc rationem factum est, quia prima facie repugnat, *acute simul, simul* et *fatue dici.*

2. Quae e *comparatione* oritur figura, dicitur σύγκρισις, παράθεσις, quae fit collatione similium aut dissimilium, maiorum aut minorum. [Vid. GLASS. l. l. p. 1379 sq. et BAUER. *Rhet. Paul.* II. 674. V.] Ipsa quidem comparatio ad *rerum copiam* pertinet; sed ad ornatum orationis in comparando plurimum facit concinna compositorum collatio, e. c. Matth. X: 16: *mitto vos, ut oves inter* [ἐν μέσῳ Vid. FRITZSCH. ad l. et WINER. *Gr.* § 54. n. 4. p. 390. V.] *lupos: estote igitur prudentes ut serpentes, et innocentes ut columbae!* C. VI: 24: *nemo duobus potest dominis servire*, (quorum scil. contrariae sunt leges, quos inter nulla est concordia, qui a

servis suis postulant totius vitae ministerium, [quod iam plene inest, monente FRITZSCH. ad l., in *δυσὶ κυρίοις*. »Nam in tali l. una voluntas, non nu»merus homines distinguit." V.]), *aut enim* unum *habebit odio et* alterum *diliget, aut* uni (illi [quod cogitatione addendum est. Vid. FRITZSCH. ad l. V.]) *adhaerebit et* alterum (illum) *contemnet. Non potestis* (simul) et *Deo servire et Mammoni (Pluto)*. C. VII: 11: *si* vos, *quum sitis* mali, *nostis* bona *dare dona liberis* vestris, *quanto magis Pater* vester, *qui* in coelis *est*, (atque adeo perfectissimus,) *dabit bona* (vobis) *petentibus*. C. XXIII: 27, 28: *Vae vobis legis interpretibus et Pharisaeis! — Similes enim estis sepulcris dealbatis, extra quidem speciosis, intus vero plenis mortuorum ossibus omnique immunditie: sic et vos extra quidem apparetis* hominibus *iusti, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate;* s. 37: *quoties volui tuos congregare liberos, quemadmodum gallina pullos suos sub alis congregat!* Joh. XVI: 21, 22: *mulier, quum in eo est, ut pariat, dolorem habet, quum autem peperit puerulum, iam non meminit cruciatus, quod de homine nato gaudeat; ita et vos nunc quidem habetis tristitiam; sed rursus videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo a vobis tollet.* Rom. VI: 19: *quemadmodum antea membra vestra obtulistis impuritati et improbitati serva ad* (perpetrandam) *improbitatem, ita nunc offerte membra vestra probitati serva ad sanctitatem* (agendam). C. XI: 30, 31: *sicut vos olim non*

paruistis Deo, at nunc misericordiam estis consecuti ex illorum pervicacia, ita et illi nunc non parent, ut e vestra misericordia [h. e. e misericordia, vobis tributa, quod recte monet FRITZSCH. ad l. Vid. et WINER. *Gr.* § 22. p. 147. V.] *et ipsi misericordiam* (divinam) *assequantur:* (quam structuram esse verborum coniicio. [»Scilicet," quod vere FRITZSCH. ad l. observat, »vocabula τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει ante »coniunctionem ἵνα posita sunt propterea quod »ut in antitheto primarium pondus in iis situm »est." V.]). 2 Cor. IX: 6: *parce serens parce et metet: largiter serens largiter* [ita et BRETSCH. in *Lex.* vv. ἐπ' εὐλογίαις interpretatur. Cf. tamen WETT. ad l. V.] *et metet.* C. X: 11: *quales sumus absentes oratione per epistolas, tales et* (erimus) *praesentes opere.*

3. Quae ex *definitione* sumuntur figurae sunt *interpretatio* et *circumlocutio.* [Vid. GLASS. l. l. p. 1382 sqq. V.]

Interpretatio, ἐπεξήγησις et ἐξεργασία *expolitio* dicta, item ἐπιμονή *commoratio* in eodem argumento habetur e. c. Matth. VII: 7—10: [*petite et dabitur vobis; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis. Quicunque enim petit, obtinet, et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur. Nam quis est e vobis homo, qui petenti filio suo panem, det lapidem? Et piscem petenti det anguem?* V.] 1 Cor. VII: 36—38: [*si quis indecore agere se in virginem suam putat*, (BRETSCHN. in *Lex.* ad v.

ἀσχημονέω: si quis putet, se ignominiam subiturum esse propter filiam suam virginem. Sed, vid. RÜCKERT.) *quum florem aetatis excedat, et ita debet fieri: quod vult faciat, non peccat; iungantur matrimonio. Qui vero stat firmus in corde,* (qui animo constans est), *nec adigitur necessitate; sed in potestate habet propriam voluntatem, et hoc decrevit in corde suo, ut servet suam virginem, bene facit. Itaque et qui nuptum elocat, bene facit; qui vero non elocat, melius facit.* V.]

Circumlocutio, περίφρασις, quatenus ornatui servit, (Vid. ERN. l. l. § 355 [ed. m. § 354, et GLASS. l. l. p. 1382. V.]) adhibetur, quando res non suo verbo enunciatur, sed pluribus verbis exprimitur, vel augendi, vel minuendi causa, vel saltem occultandae turpitudinis causa, quae est in proprio verbo. Exempla sint: Matth. XI: 11, ubi *homines* dicuntur *γεννητοὶ γυναικῶν, mulieribus nati;* [de qua dicendi formula vid. FRITZSCH. ad l.] Luc. XXI: 35: superveniet (ille dies) omnibus *habitantibus in terrae superficie.* Eph. II: 11 *Alienigenae* et *Judaei* sic describuntur: *qui dicuntur praeputium,* et *quorum dicitur circumsectio manu facta.* 1 Thess. II: 14: *vos eadem passi estis a* propriis popularibus, *quae coetus in Judaea a* Judaeis. C. IV: 13: *ne doleatis, sicut et reliqui,* spem non habentes. Hebr. V: 5: *non* CHRISTUS *semet ipse decoravit honore* [ἐδόξασε, de q. v. vid. BLEEK. ad l. V.] *pontificatus, sed is, qui dixit ei, tu es filius meus.* C. VII: 21: *Cum iureiurando declaratur*

Pontifex per eum, qui dixit illi: — tu es Pontifex in aeternum, secundum ordinem Melchizedeci. [postrema κατὰ τὴν τάξιν Μελχ. TISCHEND. reiecit. Vid. BLEEK. de var. h. lect. in utramque partem disputantem. V.] — Haec de ornatu e figuris oriundo. Universe autem de tropis et figuris cf. ERN. *Init. Rhet.* saepius iam laudd. [P. II. C. II, III, §§ 313—361. V.], et de iis, quae insunt ss. libris, GLASS. [l. l. de *figuris*, p. 1328 sqq. V.]; de *Paullinis* denique BAUERUS l. saepius laud.

Ornatus quoque oritur e *collocatione*, *structura* et *numero*.

Et in *collocatione* quidem verborum qui ornatum quaerunt, hi curant, ne in singulis verbis extrema cum primis concurrant, aspere aut inepte. Quod ut evitent, verba sic collocant, ut »vel consonan»tes," monente ERN. l. l. § 363, »cum vocalibus con»currant, vel consonantes eaedem: nam ita coeunt »verba prope in unum, possuntque pronunciando »coniungi et conglutinari, ut intervalla non ani»madvertantur. In quo genere inter Graecos dili»gentissimus ISOCRATES, cuius loca eiusmodi, ut et »SAPPHUS carmen simili laevitate, profert DIONYSIUS, »*de structura*, Sect. 23." Porro qui in collocatione verborum ornatum quaerunt, diligenter quoque spectant, quid priori, quid posteriori loco ponendum sit, s. per consuetudinis legem, s. per orationis faciliorem intelligentiam. (Vid. ERN. l. l. § 364.) Denique amant sonantiora verba et grandiora in

orationibus, et literarum genus naturae rei congruens, h. e. sive clariores vocales, sive obscuriores, item consonas, s. leves, s. asperas. (Vid. ERN. l. l. § 365.) Atque haec quidem docent Rhetorici. Quae quidem in N. T. scriptis intelligendis nihil conferre posse fateor, in laudando eorum ornatu parum; attamen in nonnullis locis praestat ea observare, ut in introitu Euangelii LUCAE, in oratione PAULLI *areopagitica*; denique universe huius rei intelligentia prodest in iudicio de lectionum varietate, ne suspicemur elegantiores lectiones esse praeferendas minus elegantibus, quippe quae a Grammaticis et librariis, siquidem huius elegantiae sensum haberent, facile mutari potuerunt.

Idem dicendum est de ornatu, qui e *membrorum structura* oritur. Haec vinctam reddit orationem, efficitque eam, quae Graecis περίοδος, Lat. *ambitus*, *comprehensio*, *circuitus* vocatur. »Universe *periodus* est," monente ERN. l. l. § 367, »cum sensus »perfectus suspenditur, per interiecta membra, quae »ambitum efficiunt." In ea autem struenda qui ornatum quaerunt, priori loco id collocant, quod naturâ, tempore, cognatione est prius; et quae naturâ sunt copulata, ut antecedens et consequens, causa et effectus, ea etiam eâdem periodo comprehendunt. Sed ut huius ornatus neque HERODOTUS, aut THUCYDIDES, neque antiquiores Graeci fuerunt studiosi, ita pedetentim quoque hoc studium desiit. PLATO vero et XENOPHON in hoc genere excellunt. Vid. ERN. l. l. § 368—372. Sed hunc quoque or-

natum non studiose quaesiverunt scriptores ss.; saepe etiam, rebus magis quam verbis intenti, neglexisse videntur. Itaque ubi periodorum structura apte ordinata exstat, ibi naturam et ingenium, divino collustratum Spiritu, non artis leges secuti sunt. Quod nescio an luculentius cerni possit, quam in epistola PAULLI ad *Hebraeos*, quae formam orationis paraeneticae habet. Cff. modo Cap. I: 1—4. II: 1—4. VI: 16—20. In aliis vero epistolis saepe occurrunt parentheses, ornatui parum facientes, filumque orationis abrumpentes, [conf. omnino WINER. *Gr.* § 64. I: 1, inpr. 2, p. 488 sqq. et quos laudat p. 486, n.* V.] maxime in ep. ad Rom., ut C. I: 1—7: [de quo tamen l. vid. FRITZSCH. Alia exempla dat WINER. l. l. V.] In aliis rursus cum PAULLI, tum collegarum epistolis, maxime in orationibus CHRISTI et Apostolorum, oratio est dissoluta et membratim fusa, aliquo quidem modo per particulas iuncta, sed non structa per periodos, quae proprie dicuntur. [Cf. WINER. l. l. § 64. II. p 491 sqq. V.] In quo tantum abest, ut culpandi sint rerum coelestium doctores, ut magis laudanda sit eorum prudentia, qui in colloquendo, disputando, refellendo, admonendo, hortando sese accommodarunt ad rudia audientium ingenia, non eloquentiae arte factae laudem consectantes, sed aliorum salutem quaerentes. Caeterum quam apte ad consilium quodque PAULLI verba collocari soleant, multis docuit exemplis BAUER. l. l. p. 350—374. Nos uno defun-

gamur exemplo, sumto ex ep. ad Philem. ss. 8—10. [Fugitivum nempe servum Apostolus PHILEMONI remittit, pro illoque veniam deprecatur: quod consilium ut assequatur, primum commemorat magnam, quam in CHRISTO habebat *παῤῥησίαν imperandi* PHILEMONI *τὸ ἀνῆκον*, mox vero declarat, se sua auctoritate nolle uti, sed propter caritatem potius *precari*, talis cum esset, nempe PAULLUS senex, et nunc etiam captivus JESU CHRISTI. Tum autem precari se PHILEMONEM scribit pro *filio suo*, quem genuerat in *vinculis* suis. Denique hunc filium nomine indicat, ONESIMUM. Omnino verba h. l. magis apte collocari non potuerant ab Apostolo, ut consilium suum assequeretur. Vid. WILDSCHUT *Spec. acad. de vi dictionis et sermonis elegantia, in ep. P. ad Philem. conspicua.* Tr. ad R., 1809, inpr. p. 87 sqq. V.] Cf. BAUER. p. 372 sq. coll. p. 336 sq.

Porro ornatus existit e *numero*, non Poëtarum, qui Graece *μέτρον* dicitur, estque in solutâ oratione vitiosus, quamvis subinde exciderit optimis scriptoribus; sed *ῥυθμὸς* prosaicus, quae est orationis quaedam conformatio, delectans aures ipso sono, apud Graecos inventa a TRASYMACHO, GORGIA aliisque Sophistis, perfecta ab ISOCRATE. Existit hic numerus, monente ERN. l. l. §§ 374 sq., sponte sua primum e periodis, deinde sententiarum quadam conformatione et concinnitate, velut ex antithetis, et cum paria paribus referuntur; denique certis pedibus in principio et clausulis, eorumque permistione in medio. CHRISTUS vero et Apostoli,

ubi numerose locuti sunt et scripserunt, sponte hoc ornatus genus fluxit e suavitatis illo sensu, qui sanctorum est animorum, non e placendi studio: unde etiam negat PAULLUS [1 Cor. II: 4. V.], se in docendis *Corinthiis* usum fuisse *πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις*, quibus Sophistae uterentur ad persuadendum, vel magis ad circumveniendum et fallendum. Attamen in ipsa hac epistola haud pauca sunt numerose, rhytmice dicta. E multis locis unum sumam, qui simul allegoriae exemplum praebet, dignissimum consideratione nostra, 1 Cor. III: 1—3. [Habemus enim hîc antitheta: *οὐκ—ὡς πνευματικοῖς, ἀλλ' ὡς σαρκίνοις, ὡς νηπίοις ἐν Χριστῷ· — γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, οὐ βρῶμα· οὔπω γὰρ ἐδύνασθε, ἀλλ' οὐδὲ ἔτι νῦν δύνασθε.* Multum quoque valet interrogatio: *οὐχὶ σαρκικοί ἐστε, καὶ κατὰ ἄνθρωπον περιπατεῖτε;* Denique certis pedibus in clausulis eorumque permistione in medio ita conformata est oratio, ut legentium aures ipso sono magnopere delectetur. V.] Est autem in JOHANNIS scriptis aliud numeri genus, ad poëticam rationem accedens, maxime Hebraeam. Hebraei enim et universe Orientis populi amant parallelismum membrorum, quo binae iungantur sententiae, eandem fere rem indicantes, sed invicem iunctas, ut plenior rei existat descriptio. [Vid. 1 Joh. I: 5: *ὅτι ὁ Θεὸς φῶς ἐστι, καὶ σκοτία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν οὐδεμία*, s. 6: *ψευδόμεθα, καὶ οὐ ποιοῦμεν τὴν ἀλήθειαν*, s. 8: *ἑαυτοὺς πλανῶμεν, καὶ ἡ ἀλήθεια οὐκ ἔστιν ἐν ἡμῖν*, al. V.] Imprimis in

Apoc. eius hic deprehenditur parallelismus. Exempla sint Apoc. V: 10: [*καὶ ἐποίησας ἡμᾶς* (*αὐτοὺς* GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHEND.) *τῷ Θεῷ ἡμῶν βασιλεῖς* (*βασιλείαν* LACHM. et TISCHEND.) *καὶ ἱερεῖς, καὶ βασιλεύσομεν* (*βασιλεύσουσιν* GR. et SCHOLZ.; *βασιλεύουσιν* LACHM. et TISCHEND.) *ἐπὶ τῆς γῆς*. V.] C. IX: 6: [*καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ζητήσουσιν οἱ ἄνθρωποι τὸν θάνατον, καὶ οὐχ* (*οὐ μὴ* GR., SCH., L. et T.) *εὑρήσουσιν* (*εὕρωσιν* L. et T.) *αὐτόν· καὶ ἐπιθυμήσουσιν ἀποθανεῖν, καὶ φεύξεται* (*φεύγει* L. et T.) *ὁ θάνατος ἀπ' αὐτῶν* (*ἀπ' αὐτῶν ὁ θάνατος* GR. et SCH.) V.], ubi bina membra binis respondent. Cff. et C. XI: 5. XII: 2. XVIII: 5, 6. XXII: 11; in quibus singulis notandae sunt variae lectiones.

Ornatus oritur quoque e *copia*, ut singulari Cap. V docuit ERN. in *Init. Rhetor.* Cernitur autem copia partim in *commutatione*, partim in *verborum frequentatione apta.* In utraque scriptores quoque N. T. ornatum non quaesiverunt studiose, sed adhibuerunt saepe numero sponte.

1. *Commutatio* orationis fit duabus rebus, vel *verbis*, vel *figuris.*

Verbis commutatur oratio, si eandem rem aliis vocabulis et phrasibus enunciamus, etiam alia constructione: unde oritur varietas, index copiae et delectans auditorem legentemve. Exempla huius commutationis sunt plura in N. T., cum in oratio-

nibus CHRISTI, tum in scriptis Apostolorum. Quando CHRISTUS fidem describit sibi habendam Joh. III, mox nude *credendi* verbo utitur, mox addit credendum esse *nomini unigenae Dei filii*, mox id enunciat phrasi *recipiendi testimonium eius*, mox utitur tropica dictione *veniendi ad lucem*, sectt. 11, 15, 16, 18, 20. Similiter Joh. VI *credendum* sibi dicit simpliciter s. 29, mox *veniendum* ad se s. 35, mox ipsum esse *contemplandum* s. 40, mox ipso esse *vescendum* s. 50, mox se *panem* dicit *edendum* s. 51, mox *carnem filii hominis* esse *edendam* et *sanguinem* eius esse *bibendum* s. 54. — PAULLUS, ubi Eph. I: 3—10 in eo est ut laudet divinum amorem, quo nos beavit per CHRISTUM JESUM, quam multis utitur verbis et phrasibus! Deus dicitur nos *εὐλογήσας ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ* s. 3. Ille *ἐξελέξατο ἡμᾶς* s. 4, *προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν* s. 5. Tribuit Ei *εὐδοκίαν τοῦ θελήματος* ibid., *χάριν, ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς* s. 6, *πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ, ᾗ ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς* ss. 7, 8, *πρόθεσιν τοῦ τὰ πάντας ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ* s. 11. Ita et PETRUS salutarem vim perpessionum CHRISTI pro nobis morientis describens 1 Ep. II: 21—25, primum dicit: CHRISTUS *pro vobis est passus* s. 21, dein *conviciis* eum *affectum* et *male habitum* ab hominibus s. 23, porro *peccata nostra tulisse in corpore suo*, dum *e cruce* penderet s. 24, tum etiam *sanati* nos dicimur *vibicibus eius*, ibid., denique laudatur *pastor et curator animorum nostrorum*, qui nimirum pro ovibus suis vitam po-

suerit, s. 25. [Referri huc quoque potest variarum praepositionum usus ad unam eandemque rem significandam. Sic P. ad Rom. C. III: 30: »*Unus* est »*Deus*, ὃς δικαιώσει περιτομὴν ἐκ πίστεως, καὶ ἀκροβυστίαν διὰ τῆς πίστεως.“ Nihil enim interesse inter δικαιοῦν τινα ἐκ π. et διὰ τῆς π., ut ORIGENES, WETST. all. sibi persuaserunt, patet ex Gal. III: 8. Eph. II: 8: quod bene monet FRITZSCH. ad l. ex ep. ad Rom. l. Videtur autem Apostolus, ut alibi, ita et h. l. propter praecedens δικαιώσει, euphoniae causa, primum scripsisse ἐκ πίστεως. V.]

Figuris etiam commutatur oratio, nominatim *interrogatione, sermocinatione* et *negatione.*

Interrogatione mox inflexe dicitur, quod mox dictum est, vel dicetur oratione recta, e. c. Luc. XVIII: 7, 8: *Nonne Deus vindicabit electos suos? — Dico vobis, vindicabit eos cito.* Matth. VII. 16, 17: *Num colliguntur uvae e spinis, et ficus e tribulis? Ita omnis arbor bona fert fructus bonos, tetra autem arbor fert fructus malos.* Rom. II: 1, 3: *Eo quod alterius iudicem agis, te ipse condemnas, eadem patrans:* [τὰ γὰρ αὐτὰ πράσσεις ὁ κρίνων, h. e. *eadem enim patras* (tu) *qui iudicem agis* V.] — *An putas, o homo! qui iudicem agas patrantium ea, fore ut tu, qui eadem patras, Dei sententiam effugias?* C. III: 29: *An Deus Judaeorum tantummodo* (est Deus)? *Nonne et gentium? Profecto et gentium.* 1 Cor. IX: 1, 2: *Nonne sum Apostolus? — Si aliis non sum Apostolus, at certe vobis sum.*

Sermocinatione commutatur oratio, quando ali-

quis inducitur secum loquens, quod ante rectâ dixerat oratione, aut mox dicturus est. Exempla sint Rom. III: 27: *Ubi igitur materia gloriandi? Exclusa est. Qua lege? Factorumne? Imo fidei.* [*Οὐχὶ, ἀλλὰ διὰ νόμου πίστεως* h. e. *minime; sed lege fidei,* V.] 1 Cor. IX: 18: *quaenam igitur mihi merces? Nempe haec, ut* [*Evangelium annuncians*, V.] *immunem exhibeam Euangelium Christi.* C. X: 19: *Quid ergo dico? idolum esse aliquid?* (Attamen iam ab initio huius disputationis C. VIII: 4, idolum nihil esse dixerat). *Minime vero!* (hoc enim e superioribus cogitatione supplendum relinquitur); *sed, quod immolant profani homines, id daemoniis immolant, non Deo.* 2 Cor. III: 1, 2: [*Incipimusne rursus nos ipsos commendare? Num egemus, ut nonnulli, commendatitiis epistolis ad vos, aut a vobis? Epistola nostra vos estis, inscripta in cordibus nostris, quae intelligitur et legitur ab omnibus hominibus.* V.] C. XI: 11, 12: dixerat, se noluisse stipendium a *Corinthiis* accipere; iam vero ex se ipse quaerit: *Quapropter? an, quod non amem vos? Deus novit. Sed quod facio, faciam porro, ut praecidam occasionem iis, qui quaerunt occasionem, ut in eo, de quo gloriantur, deprehendantur nobis similes.* Cf. *Ann.* meas mss. ([1]).

([1]) In his ann. mss., quas laudat scriptor, haec leguntur: Sect. »11. videntur PAULLI adversarii hoc factum ita explicasse, »ac si P. non tanti faceret *Corinthios*, ut ab iis sustentari vellet, »nec satis confideret iis, sed contra eorum laudi aliquid detraxisse »hac gloriatione sua, quasi *Macedonibus* essent postponendi. Negat

Negatione commutatur oratio, quando mox rectâ aliquid dicitur oratione, mox contrarium eius ne-

»itaque P. hanc causam esse: et ad Deum, huius rei testem, pro»vocat, animo commoto, quandoquidem amans non ferre potest »hanc suspicionem."

»12. Veram causam aperit, non tamen eius quod antea factum »fuerat, sed quod dein se facturum dixerat. Itaque plena est »oratio: *quod autem facio, faciam quoque* deinceps, s. in eo per»gam: quo sensu etiam *Vulg.* et BEZA acceperunt," [et accipit WETT. V.]: »LUTH. vero et CAST. ellipsin subesse putarunt verbi »γίνεται vel τοῦτο ποιῶ, h. sensu: *ac quod facio facturusque »sum*, id facio. — Ἐκκόπτειν *excidere*, *exscindere*, *amputare* »metaph. dicitur, plane ut nostrum afsnijden, de adempta, »erepta, ablata occasione. — Τῶν θελόντων eorum qui *volunt* »(*Vulg.*) *exoptant* (BEZA). Minus recte CAST. *captant*. Mallem: *de»siderant*, *quaerunt*. — Quae sequuntur: ἵνα ἐν ᾧ — καὶ ἡμεῖς »varie accipiuntur. 1. Alii enim verba ἵνα εὑρεθῶσι rursus con»iungunt cum initio sect. ποιήσω, ut haec sit cohaerentia: *hoc »facio, ut adimam occasionem*, (supple: *calumniandi*), *et ut illi ia»ctatores deprehendantur*. Ex his autem alii (e. c. GRAEVE) statuunt, »istos iactatores in eo laudabiliter fecisse, quod sine stipendio do»cuerint, PAULLUMque se illis aequiparare voluisse." [Ita fere et RÜCK. V.] »Utrumque autem falsum est: *illud*, docente sect. 20 »caet. *hoc*, docente C. X: 12. — Alii ex his cum BEZA, SEML., »GROT., ROSENM. ita exponunt, *ut pseudapostoli illi eo adigantur*, »*ut non possint non me imitari*. Sed obstat, quod P. nullo modo »voluerit istos homines sibi similes facere; hoc ipsum illi quaere»bant, et in eo vituperantur a PAULLO; neque hoc exspectari po»terat ab iis, qui PAULLUM hoc nomine contemserant s. 7. (Ex his »interpretibus GROTII sententia quodammodo ad superiorem acce»dit.) — 2. Alii vero interpretes rectius verba ἵνα εὑρεθῶσι »pendere statuunt e proxime praecedd. τῶν θελόντων ἀφορμήν, »*qui quaerunt occasionem, qua fiat, ut in eo, de quo glorientur* »(scil. se esse CHRISTI ministros, sectt. 13, 23) *deprehendantur nobis »similes*. Ita optime omnia conveniunt, quae de suo et adversan-

gatur, e. c. Joh. XIV: 23, 24: *si quis diligit me, doctrinam meam* [τὸν λόγον μου V.] *servabit. — Qui non diligit me, doctrinam meam* [τοὺς λόγους μου V.] *non servat.* C. XV: 24: *si opera non fecissem,* [ἐν αὐτοῖς *inter illos* V.] *quae nemo alius fecit, peccatum non commissum ab iis foret; nunc autem* [*et* V.] *viderunt et oderunt* [*et* V.] *me et Patrem meum:* nam sect. 23 dixerat: *qui me odit, is etiam Patrem meum odit.* Rom. IV: 19: ABRAHAMUS *minime imbecillis fide, sed* (s. 20 et 21) *fide firmatus* ac *plene sibi persuasum habens.* 1 Joh. II: 7: *Fratres!* [vel *dilecti!* si cum GRIESB., SCHOLZ. LACHM. et TISCHEND. ἀγαπητοί legendum esse existimes. V.] *non novum vobis scribo mandatum; sed vetus mandatum, quod habuistis ab initio. Vetus hoc mandatum doctrina est, quam ab initio* [ἀπ' ἀρχῆς reiicitur a LACHM. et TISCHEND., probante LÜCKIO. V.] *audivistis.*

»tium consilio dixit, et apprime cohaeret haec sectio cum seq. »Sic CAST.: »Simulatores illi quaerunt occasionem gloriandi, ut nos »»gloriamur. Quod si Euangelium non gratis doceremus, possent »»gloriari idem se facere quod nos. Nunc, quum nos gratis do»»ceamus, non habent eam occasionem; nec enim gratis docere »»sustinent, quum suo serviant abdomini." Ita et alii supplent »post ἀφορμὴν *defendendi.* Cf. ROSE. — Ad *priorem* rationem quoque »referenda est interpretatio, quam adfert SEMLER.: *ut omnibus ho»minibus isti thrasones non possint non tam manifesti esse, quam »nos sumus, ut facillime comparatio inter nos possit institui.* — »Cui vero obstat illud εὑρεθῶσι, item ἐν ᾧ καυχῶνται, et »cohaerentia sect. 12 cum 13." V.

2. *Frequentatione* quoque verborum fit copia, et ex ea ornatus. Oritur autem ea frequentia, *tum* e synonymorum coniunctione, *tum* e coniunctione propriorum et tropicorum, *tum* e plurium tropicorum.

Synonyma cum dico, vox non est capienda subtilitate *dialectica*, ad quam si exigantur verba, pauca in omni lingua, aut, ut nonnullis placet, nulla reperiuntur; sed vox accipienda est *rhetorice:* ut synonyma sint, quae sibi substitui, salvo sensu, e consuetudine populari loquendi, possunt. Sic CHRISTUS Matth. XXII: 37, iisdem, quibus MOSES olim Deut. VI: 5, usus verbis praecepit, amandum esse Deum *ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ;* LUCAS addit C. X: 27: *ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος.* Rom. I: 29 coniunguntur *ἀδικία, πονηρία, κακία, κακοηθεία.* 1 Thess. V: 23 precatur PAULLUS, ut *Thessalonicensium* et *spiritus* et *animus* cum corpore a Deo *servetur* sine culpa, usque ad Domini nostri JESU CHRISTI adventum: [de quo l. vid. SCHOTT. *Epp. P. ad Thessal. et Gal.* ad l. Cf. et de dicendi form. *τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα* BLEEK. ad *Hebr.* IV: 12. OLSHAUSEN *de naturae hum. trichotomia N. T. scriptoribus recepta*, Regiom. 1825, repet. in eius *Opp. Theol.* p. 143 sqq. Eiusdem *Comm. in ep. ad Rom.* p. 261 sqq. uti et DÄHNE *Paulin. Lehrbegr.* p. 61 sqq. STIRM *Anthropol. exeget. Unters.* in *Tub. Zeitschr, für Theol.* 1834, p. III, p. 1, sqq. KLAIBER, *die neutestamentl. Lehre von der Sünde u. Erlös.* 1836,

p. 22, laudd. ab HAUSTEDT., qui ipse illam de *trichotomia* sententiam propugnat in PELT. *Theol. Mitarbeiten* 1838, p. III, p. 12, n. 11. — Caeterum de Synonymis leg. TITTMANNI *de Synonymis in N. T.* L. I. Lips. 1829 et L. II, p. 1—15, ed. a BECHERO, ibid. 1832. V.]

E *propriorum et tropicorum coniunctione* quoque oritur copia, e. c. Joh. VI: 35: *qui venit ad me nequaquam esuriet, et qui credit mihi non sitiet umquam.* 2 Cor. XI: 20: *Toleratis, si quis vos in servitutem redigit* (metaph. pro tyrannidem in vos exercet, nihil non durum et servile a vobis postulat), *si quis vos exedit* (meton. pro *bona vestra*, edendo et bibendo vestro sumtu bona vestra dilapidat), *si quis aufert, eripit* (λαμβάνει proprie), *si quis insolentius se gerit* (proprie), *si quis in faciem vos caedit*, (proprie: alii [in his RÜCKERT. et WETT. ad l. V.] tamen tropice sumunt pro *ignominia vos afficit.*) 1 Joh. I: 9: *si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus Deus, ut remittat nobis peccata* (proprie dictum), *et purget nos ab omni iniquitate;* etenim illud καθαρίζειν sumendum esse pro *venia concessa*, *poenarum immunitate*, manifestum est e sect. 7. [Vid. Disput. mea: *de leer van Jezus en de App. aangaande zijn lijden en sterven tot verg. der zonden en zaligheid, in Opp. Soc. Hag.*, 1835, p. 266—270, et quos ibi laudavi. V.]

E *plurium* denique *tropicorum coniunctione* oritur copia. Exempla sint: Matth. VII: 13, 14, *lata est porta et spatiosa via, quae abducit in exitium*,

multique sunt, qui introeunt per eam: [τί, ita enim legendum videtur cum GRIESB., SCHOLZ., LACHM. FRITSCH., et vertendum vel cum FRITZSCH., *cur*, vel cum WETT. *quam* V.] *angusta est porta et stricta est via, quae ad vitam ducit, et pauci sunt, qui inveniunt eam*, coll. Luc. XIII: 24, 25. — 2 Cor. IV: 8, 9: *pressi* (sumus, quemadmodum athletae adversariorum lacertis implicati), *non vero oppressi*, (non ita pressi, ut spiritum ducere non possimus), *anxii, non vero desperantes; persequuntur nos, non vero cursu superant; deiicimur, non vero occidimur:* [ita et PALM. ad l.; sed conf. inpr. RÜCKERT. V.]

Quae huc usque diximus demonstrant virtutes et dotes orationis N. T.; proficiscentes ab *ingenio* dicentium et scribentium. Sed et ab *animo* eorum et affectionibus eius aliae proficiscuntur, eaeque plane egregiae. Etenim multa insunt in N. T., in quibus regnat *gravitas*, *suavitas*, *concitatio* et *sublimitas.*

Gravitas proprie quidem inest ipsis rebus, quarum pondus, si animum afficiat dicentis et scribentis, facit ut cum gravitate etiam loquatur ac scribat, ita ut audiens legensque sentiat, gravem esse rem, magnique ad causam, consiliumque dicentis scribentisve momenti. Quod autem gravius cogitari potest argumentorum genus, quam in quo versantur CHRISTUS et Apostoli? Quis umquam verius et penitius sensisse eam rerum gravitatem cogitari

potest, quam senserunt illi ipsi Dei legati ad homines? Itaque mirum non est, orationis gravitatem in his libris fere regnare; nec facile exitum inventuram esse meam orationem, si singula eius documenta vellem indicare. Sed, ut iudicium vestrum (¹) de his rebus acuatur et regatur, praecipua quaedam delibabo capita. Docere igitur instituam, quomodo gravitas orationis oriatur e figuris, quarum alias ornatui servire diximus, cum aliae prosint gravitati. De hoc igitur genere iam acturus, ordinis causa denuo harum figurarum alias *verborum* dicimus, alias *sententiarum*.

Verbis orationis gravitas indicatur, quando augentur et repetuntur, ut rerum numerus et pondus eo certius sentiatur.

Quod nonnumquam fit in *pleonasmo*, de quo diximus supra. [Vid. p. 306 sqq. V.] E plurimis eius exemplis unum sumam, quod inest dictioni *ἐργάζεσθαι ταῖς ἰδίαις χερσί*. Sufficit dicere *ἐργάζεσθαι*, vel *ἐργ. ταῖς χερσί*. Sed gravitas orationis sentitur, quando PAULLUS Eph. IV: 28 scribit: *qui furabatur, ne amplius furetur, sed potius laboret, operando suis ipsius manibus.* Unde minime mihi placent versiones BEZAE et CASTELL., [LUTH., PISCAT., *Belgg.*, HAMELSV. V.] qui illud *ἰδίαις* non expresserunt: [neque PALMII interpretatio vertentis: *doe eenig-handwerk.* V.] Rectius BEZA, [LUTH., PISCAT., *Belgg.*,

(¹) Dixit ita Vir clar., ad discipulos in scholis verba faciens. V.

HAMELSV. et PALM. V.] 1 Thess. IV: 11: *et contendatis — res vestras agere, ac operari* propriis *manibus vestris.* Similiter P. de se graviter dicit 1 Cor. IV: 12: *laboramus, operantes* propriis *manibus:* [ubi omnes modo laudd. interpretes τὸ ἰδίαις recte expresserunt. V.] Ita et Act. XX: 34: *ipsi nostis*, inquit, ὅτι ταῖς χρείαις μου — ὑπηρέτησαν αἱ χεῖρες αὗται.

Pleonasmi singularis est forma in πολυσυνθέτῳ h. e. *frequentatione copulae*, qua indicatur multitudo et magnitudo rerum: nec copulae tantum καί, sed et aliarum particularum. [Cf. GLASS. l. l. p. 512 sq. et p. 1332. ERN. *init. Rhet.* § 346. V.] Copulae καί est repetitio gravis Joh. X: 17, [certo indicare voluit Scriptor s. 16: καὶ ἄλλα πρόβατα ἔχω — κἀκεῖνά με δεῖ ἀγαγεῖν· καὶ τῆς φωνῆς μου ἀκούσουσι, καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν. V.] Rom. II: 17, 18: [καὶ ἐπαναπαύῃ τῷ νόμῳ, καὶ καυχᾶσαι ἐν Θεῷ, καὶ γινώσκεις τὸ θέλημα, καὶ δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα. V.] 1 Cor. IV: 11, [12ª καὶ πεινῶμεν, καὶ διψῶμεν, καὶ γυμνητεύομεν, καὶ κολαφιζόμεθα, καὶ ἀστατοῦμεν, καὶ κοπιῶμεν. V.] C. V: 1, [καὶ τοιαύτη πορνεία. V.] Vidd. et C. VII: 29—31. XIII: 2. 1 Thess. I: 5. III. [leg. ni fallor, II. V.] 15. Hebr. IV: 12. In *Johannea* oratione hanc notarunt gravitatem STRONCK. *Spec.* acad. laud. p. 237, [ubi laudat ex 1 ep. C. II: 16: ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς, καὶ ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ ἡ ἀλαζονεία τοῦ βίου, et C. V: 8: τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα, addens haec:

»Secus tamen versu illo septimo, *ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, »καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα*, quod observasse operae forsan »est pretium et alicuius usus in vera huius articuli »lectione diiudicanda." V.] et DONKER CURT. *Spec.* acad. laud. p. 151, [ubi ex *Apoc. Joh.* afferuntur C. V: 12, 13. VI: 1, 2, 15. VIII: 5. IX: 15, 17, 18. XI: 9, 10, 19. XIII: 2. XIV: 6. XVIII.: 13, 14, 16, 17, 19. XIX: 1, 18. XXII: 15. V.] — Coniunctionis *ἤ*, *aut* haec sint exempla Rom. VIII: 35: [*θλίψις, ἢ στενοχωρία, ἢ διωγμὸς, ἢ λιμὸς, ἢ γυμνότης, ἢ κίνδυνος, ἢ μάχαιρα;* V.] 1 Cor. V: 11: [*πόρνος, ἢ πλεονέκτης, ἢ εἰδωλολάτρης, ἢ λοίδορος, ἢ μέθυσος, ἢ ἅρπαξ.* V.]; — *μὴ non* 1 Tim. III: 8: [*μὴ διλόγους, μὴ οἴνῳ πολλῷ προσέχοντας, μὴ αἰσχροκερδεῖς.* V.] Tit. I: 7: [*μὴ αὐθάδη, μὴ ὀργίλον, μὴ πάροινον, μὴ πλήκτην, μὴ αἰσχροκερδῆ.* V.]; — *οὔτε, neque* decies Rom. VIII: 38, 39: [*οὔτε θάνατος, οὔτε ζωὴ, οὔτε ἄγγελοι, οὔτε ἀρχαὶ, οὔτε δυνάμεις, οὔτε ἐνεστῶτα, οὔτε μέλλοντα, οὔτε ὕψωμα, οὔτε βάθος, οὔτε κτίσις ἑτέρα.* V.]; — *οὐκ* et *οὐδέ*, *non, neque* Gal. III: 28: [*οὐκ ἔνι Ἰουδαῖος, οὐδὲ Ἕλλην· οὐκ ἔνι δοῦλος, οὐδὲ ἐλεύθερος· οὐκ ἔνι ἄρσεν καὶ θῆλυ·* V.]; — *εἰ si* 1 Tim. V: 10: [*εἰ ἐτεκνοτρόφησεν, εἰ ἐξενοδόχησεν, εἰ ἁγίων πόδας ἔνιψεν; εἰ θλιβομένοις ἐπήρκεσεν, εἰ παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ ἐπηκολούθησε.* V.]; — *εἴτε, sive* 1 Cor. III: 22: [*εἴτε Παῦλος, εἴτε Ἀπολλὼς, εἴτε Κηφᾶς, εἴτε κόσμος, εἴτε ζωὴ, εἴτε θάνατος, εἴτε ἐνεστῶτα, εἴτε μέλλοντα.* V.] Col. I: 16: [*εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες, εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε ἐξουσίαι.* V.] — *ἀλλά, sed* 1 Cor. VI: 11:

[ἀλλὰ ἀπελούσασθε, ἀλλὰ ἡγιάσθητε, ἀλλ' ἐδικαιώθητε. V.] 2 Cor. VII: 11: [ἀλλὰ ἀπολογίαν, ἀλλὰ ἀγανάκτησιν, ἀλλὰ φόβον, ἀλλὰ ἐπιπόθησιν, ἀλλὰ ζῆλον, ἀλλ' ἐκδίκησιν. V.]; — δέ, *vero*, 1 Cor. I: 12: [ἐγὼ δὲ Ἀπολλῶ, ἐγὼ δὲ Κηφᾶ, ἐγὼ δὲ Χριστοῦ. V.] — Praepositionum quoque, ut ἐν 1 Tim. IV: 12: [ἐν λόγῳ, ἐν ἀναστροφῇ, ἐν ἀγάπῃ, ἐν πνεύματι, ἐν πίστει, ἐν ἁγνείᾳ. V.], et πρὸς 2 Tim. III: 16: [ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν. V.]

Ἐπίζευξις, *subiunctio*, qua eiusdem verbi continue in eadem sententia fit repetitio. [Vid. GLASS. l. l. p. 1329 sq. ERN. l. l. § 347. V.] Sic CHRISTUS frequenter repetiit illud ἀμὴν, ἀμὴν, ut nobis auctor est JOHANNES, qui id in *Euangelio* vicesies et quinquies in JESU orationibus notavit. Notatu autem dignum est, MATTHAEUM, MARCUM et LUCAM ne semel quidem duplex illud ἀμὴν notasse, sed uno ἀμὴν contentos fuisse, quod MATTHAEUS vicesies et octies, MARCUS tredecies, LUCAS sexies notarunt. CHRISTUS quoque graviter repetiit SIMONIS nomen Luc. XXII: 31. Eadem est gravitas in eo: Σαοὺλ, Σαοὺλ, τί με διώκεις; Act. IX: 4. Sic et Angelus Apoc. XVIII: 2 clamat: ἔπεσεν, ἔπεσε Βαβυλὼν ἡ μεγάλη· Eadem Epizeuxis locum habet, cum eadem vox repetitur vario sermone expressa, ut ναὶ Gr. et ἀμὴν Hebr. Apoc. I: 7, post grave illud enunciatum: *ecce! venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt: et plangent coram eo omnes tribus terrae.*

Ἀναφορὰ, *relatio*, est iteratio eiusdem dicti, vel plurium etiam dictorum in principiis. [Vid. ERN. l. l. § 348 et GLASS. l. l. p. 1331 sq. V.] Sic CHRISTUS Matth. V. init. novies incipit sententias suas cum v. *μακάριοι*, ut *μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι*, *μ. οἱ πενθοῦντες*, *μ. οἱ πρᾳεῖς*, *μ. οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην*, *μ. οἱ ἐλεήμονες*, *μ. οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ*, *μ. οἱ εἰρηνοποιοί*, *μ. οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκεν δικαιοσύνης*. Similiter LUC. VI: 25, 26: *οὐαὶ ὑμῖν, οἱ ἐμπεπλησμένοι*, (*impleti*, h. e. saturati) *ὅτι πεινάσατε. οὐαὶ ὑμῖν οἱ γελῶντες νῦν· ὅτι πενθήσετε καὶ κλαύσετε·* (*ridentes nunc*, *nam lugebitis et flebitis*); *οὐαὶ ὑμῖν* [vel om. *ὑμῖν* cum GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHEND. V.] *ὅταν καλῶς ὑμᾶς εἴπωσι πάντες* [quod *π.* reiicitur a GRIESB. et SCHOLZ. V.] *οἱ ἄνθρωποι.* Ita et 1 Cor. I: 20: *ποῦ σοφός; ποῦ γραμματεύς; ποῦ συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου;* (*sapiens*, *legis interpres*, *disceptator ex huius aevi consuetudine*, [nisi malis cum MEYER. et WETT. *τοῦ αἰῶν. τ.* ad tria praecedd. referre. V.]) C. IX: 1: *οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος; οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος;* [vel, inverso ordine, quomodo ediderunt GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHEND. *οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος;* V.] *οὐχὶ Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Κύριον ἡμῶν ἑώρακα; οὐ τὸ ἔργον μου ὑμεῖς ἐστε ἐν Κυρίῳ;* Sic denuo pergit quaerendo sect. 4—6: [*μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν φαγεῖν καὶ πιεῖν; μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν—; ἢ μόνος ἐγὼ καὶ Βαρνάβας οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι;* V.], item s. 7: [*τίς στρατεύεται* caett. V.]

C. XIII in commendatione amoris s. 4, repetit ter ἡ ἀγάπη in his: ἡ ἀγάπη μακροθυμεῖ· ἡ ἀγ. οὐ ζηλοῖ· ἡ ἀγ. οὐ περπερεύεται *(longanimis est; non invidet, non se effert;* [vid. BRETSCHN. in v. et WETT. ad l. inpr. L. H. PAREAU, *Comment. in* 1 Cor XIII. Tr. ad Rh. 1826. V.] alii tamen, [in his *Belgae* et PALM. V.] *non perperam agit.)* Sect. 7: πάντα στέγει *(omnia fert,* ut C. IX: 12, scil. omnia molesta aliorum in gratiam. [Ita et LUTH., BEZA, PISCAT., PAREAU, WETT. V.] Nostrates [uti et PALM. V.] *tegit)*, πάντα πιστεύει, πάντα ἐλπίζει, πάντα ὑπομένει. C. XII: 29, 30, septies quaerit: μὴ πάντες ἀπόστολοι; μὴ πάντες προφῆται; μὴ πάντες διδάσκαλοι; μὴ πάντες δυναμεῖς *miracula edentes?* caett. Phil. III: 2: βλέπετε τοὺς κύνας, βλέπετε τοὺς κακοὺς ἐργατάς, βλέπετε τὴν κατατομήν.

Ἐπιστροφή, vel ἐπιφορά locum habet, quando eadem vox vel phrasis in fine sententiarum repetitur. Grave imprimis hoc genus est, quod repetit responsionem eamdem aliquoties, post plures interrogationes, magnamque vim habet in augendo et exaggerando. [Vid. ERN. l. l. § 347 et GLASS. l. l. p. 1332. V.] Exemplum est 2 Cor. XI: 22: *Hebraei sunt?* Et ego. *Israëlitae sunt?* Et ego. *Semen* ABRAHAMI *sunt?* Et ego.

Συμπλοκή, *complicatio* locum habet, quando eadem vox vel phrasis in initio simul et in fine repetitur: estque adeo *anaphorae* et *epistrophes (conversionis)* coniunctio. [Vid. ERN. et GLASS. ll. ll. V.] Exemplum sit 2 Cor. IX: 6: ὁ σπείρων

φειδομένως, φειδομένως καὶ θερίσει καὶ ὁ σπείρων ἐπ' εὐλογίαις, ἐπ' εὐλογίαις καὶ θερίσει. Refert huc GLASS. quoque 1 Cor. XII: 4—6 et C. XIV: 15, sed non omnino sunt similia.

Κλίμαξ, *gradatio*, est anadiplosis (¹) pluribus gradibus ita continuata, ut antecedentis sententiae ultima pars, s. verbum, s. membrum, in principio subsequentis identidem repetatur. [Vid. ERN. l. l. et GLASS. p. 1331. V.] Exempla sunt Rom. V: 3—5: *Neque* id *solum* (non solum gloriamur de spe gloriae divinae); *sed gloriamur etiam de* [*ἐν ταῖς θλίψεσιν*, quod tamen ita accipiendum. V.] *calamitatibus*, *scientes calamitate effici* patientiam [vel *constantiam*. Vid. FRITZSCH. ad l. V.] patientia *vero* probationem, probatione *vero* spem. Spes *vero non pudefacit nos*. (*Δοκιμή* verto cum *Vulg.*, ERASMO et CAST. *probatio*, ut alibi ap. PAULLUM. Vid. 2 Cor. II: 9. XIII: 3. Phil. II: 22. [quomodo et CHRYSOST. iam accepit. Vid. FRITZSCH. ad l. V.] Ita et *τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως* occurrit Jac. I: 3; 1 Petr. I: 7. BEZA interpretatur *experientiam*, quem secuti sunt [et PISCATOR et V.] *Belgae*). C. VIII: 29, 30: *οὓς προέγνω καὶ προώρισε*— [*οὓς δὲ προώρισε.* (Vid. enim, quae FRITZSCH. de protasi et apodosi s. 29 recte monet.) V.] *τούτους καὶ ἐκάλεσε· καὶ οὓς ἐκάλεσε, τούτους καὶ ἐδικαίωσεν· οὓς δὲ ἐδικαίωσε, τούτους καὶ ἐδόξασε.* C. X: 14, 15ª.: *quo modo invocabunt eum, cui non*

(¹) Vid. p. 382.

crediderunt? Quomodo autem credent ei, de quo non audiverunt? Quomodo autem audient, nisi quis denunciet? Quomodo autem denuncient, nisi mittantur? Jac. I: 14, 15: *Unusquisque tentatur, dum a propria cupiditate abstrahitur et inescatur; deinde cupiditas, quando concepit, parit peccatum, peccatum vero peractum gignit mortem.*

Figurae *sententiarum*, quae gravitatem conciliant orationi, sic commode possunt distingui cum GLASSIO, l. l. p. 1348, ut aliae dicantur in *logismo* adhibitae, aliae in *dialogismo*. [»Illas vocant," monente GLASS. l. l., »cum sine collocutione sententia »figuratur." V.]

In *logismo* gravitas orationis cernitur *praeteritione*, *correctione*, *aversione*, *personae fictione* et *interrogatione*. [GLASS. l. l. p. 1348—1362 has quinque recenset: ἐκφώνησιν, *exclamationem*, ἐπανόρθωσιν, *correctionem*, ἀποσιώπησιν *reticentiam*, ἀποστροφὴν, *aversionem* et προσωποποιΐαν, *personae fictionem*: quibus singulari Cap. V. p. 1362 sqq. sextam addit, nempe ἐρώτησιν, *interrogationem*. V.] De singulis pauca dicamus.

Praeteritio, παράλειψις, est, cum breviter dicimus et graviter, quae negamus nos esse dicturos, vel quia res molesta est auditori, aut minus necessaria visa propter aliarum rerum abundantiam, aut nota et concessa satis. In singulis causis ea ipsa *praeteritio*, seu ea ipsa admonitio de eo, quod expli-

catius dici posset, nec tamen dicitur, gravitatem orationi conciliat. [Vid. ERN. § 356. V.] Exempla sunt in PAULLI epistolis egregia: 2 Cor. IX: 1, *de auxilio sanctis ferendo* [de v. διακονία significatione vid. RÜCK. ad l. V.] *mihi non opus est vobis scribere; novi enim promtum animum vestrum.* Deinceps tamen per ipsam hanc laudem ducitur P. ad commendandam liberalitatem: in qua par est gravitas ac suavitas. Eph. V: 12: *quae in occulto ab iis fiunt, turpe est vel dicere.* Non dicit ergo, et tamen satis dicit, ad foeditatem notandam. Philem. s. 19: *ne dicam tibi, quod temet ultro mihi debeas:* [προσοφείλεις, pp. *insuper debes.* Recte PALM.: *ik behoef u immers niet te zeggen, dat gij meer dan dit, ja u zelven mij schuldig zijt.* V.] Modestia vetat memorare, prudentia vetat non tangere: itaque non urget; memorat tamen quasi non dicendo; pluribus si usus fuisset verbis, molestus fuisset PHILEMONI.

Correctio, ἐπανόρθωσις, obtinet, quando modo dictum videtur corrigi, quasi non satis bene et accurate dictum; certe ad cavendam calumniam et dubitationem eorum, qui non satis sint intellecturi aut probaturi, nisi aliquid addatur explicandi limitandique causa. Huiusmodi figura attentos facit legentes, et ostendit gravem esse causam, in qua versetur scriptor, postulantem prudentiam in dicente, rectam intelligentiam in legente, in qua error omnino vitandus sit, etiam corrigendo se ipso. Itaque optimi quique scriptores eam adhibent figu-

ram interdum; nec tamen frequenter, ne oriatur suspicio festinationis aut negligentiae. [Vid. ERN. § 358 et GLASS. p. 1350—1352. V.] Egregium est exemplum in JESU oratione q. d. montana, Matth. VII: 5: *Hypocrita! eiice primum trabem ex oculo tuo, et tum despicies, ut eximas* [διαβλέψεις ἐκβαλεῖν, quod quam egregie dictum sit, praeclare FRITZSCH. monet ad l. V.] *festucam ex oculo fratris tui;* uti et Joh. XVI: 32: *Ecce instat tempus et iam venit, quo dispergamini unusquisque* εἰς τὰ ἴδια, *meque solum relinquatis.* Sed, ne hoc audito nimis conturbarentur discipulorum animi, addit, quasi se ipse corrigens: *sed non sum solus*, (vel sic a vobis desertus non omnino deseror); *nam Pater est mecum*, mihi praesto est consolatione et auxilio. In JESU precibus Joh. XII: 27, 28 correctionem quoque invenit GLASS. l. l. p. 1350; sed de eo loco non una est interpretum sententia. — In epistolis vero *Paullinis* plura sunt exempla: Rom. VIII: 34, *Quis est, qui condemnet?* CHRISTUS is est, [ita enim vertendum esse, minime vero per interrogationem, cum AUGUSTINO multisque aliis abunde probavit FRITZSCH. ad l. V.] *qui mortuus est.* Sed hoc nondum sufficit. Itaque addit: μᾶλλον δὲ, imo vero: *qui* [*etiam* καὶ, quod tamen FRITSCH. suspectum est, et a LACHM. et TISCHEND. reiicitur. V.] *in vitam revocatus est.* Neque hoc satis est; subiungit igitur: *qui etiam ad Dei est dextram.* Denique, ne nihil desit: *qui etiam pro nobis intercedit.* 1 Cor. VII: 10: *iis, qui matrimonio iuncti sunt, denuncio*, (post

παραγγέλλω poni posset comma), *non ego, sed Dominus* id praecipit, *ne uxor a viro seiungatur:* [vel potius cum *Vulg.*, BEZA, PISCAT., *Belgis*, PALM., WETTIO, media significatione: *ne uxor a viro discedat.* V.] C. IX: 21: τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος (*his, qui sine lege Mosea vivunt, factus sum*, ἐγενόμην, [vid. sect. 20. V.] *acsi et ipse sine lege viverem),* μὴ ὢν ἄνομος Θεῷ, ἀλλ' ἔννομος Χριστῷ, *nec tamen me gerens, acsi nulla Dei lege essem adstrictus, sed lege, quam* CHRISTUS *mihi imposuit*, divina *constrictus.* [Cf. de Dat. Θεῷ, Χριστῷ WINER. Gr. § 31. 3, b. p. 193. Videtur tamen *et* illi, *et* WETTIO lectio Θεοῦ et Χριστοῦ praeferenda, quam LACHM. et TISCHEND. in textum receperunt. V.] C. XV: 10: *plus ego praestiti, quam quisquam eorum:* [αὐτῶν πάντων, h. e. *quam illi omnes.* Vid. WETT. ad l. V.] Subiungit, ne sibi hoc arrogare videatur: *at non ego, sed favor Dei, qui mihi adest.* Gal. I: 6: *miror, vos tam cito transferri* [alii melius μετατίθεσθε media significatione sumunt. V.] — *in aliud Euangelium.* Sed ea doctrina, quam nunc *Galatae* probabant, non erat Euangelii nomine digna; itaque addit sect. 7: *nec tamen est aliud. Sed* [εἰ μὴ i. q. ἀλλά. Vid. WINER. *ad Gal.* p. 33. Sic et ἐὰν μὴ adhibetur. Vid. id. ad Gal. II: 16, p. 45. BORGER. ad Gal. I: 7. KOPPE ad Gal. II: 16. Cf. tamen WINER Gr. § 59. 5, p. 452 sqq. et WETT. ad Gal. I: 7. V.] *sunt nonnulli, qui vos turbant, voluntque* CHRISTI *Euangelium invertere.* C. IV: 8, 9: *Tum quidem*, οὐκ εἰδότες Θεόν, *Deum non* agno-

scentes, *serviebatis iis, qui naturâ non sunt Dii, nunc vero, cum Deum* agnoscatis, *μᾶλλον δὲ γνωσθέντες ὑπὸ Θεοῦ, imo potius* a Deo agniti, pro filiis habiti (coll. sect. 6), *quomodo revertimini ad misera et ieiuna elementa, quibus denuo servire vultis?* (Hoc igitur loco *γινώσκειν* non est simpliciter *cognoscere*, ut nostrates accipiunt, neque illi *γνωσθέντες* adiunxerim cum BORGERO ad l. notionem *amandi*, ut sit *amati a Deo*. [Cf. WINER. Gr. § 40, p. 240. V.] Similis est oppositio 1 Cor. XIII: 12: *ἐπιγνώσομαι, καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην agnoscam, quemadmodum agnitus sum.).* 2 Tim. IV: 8: *reposita mihi est iustitiae corona, quam dabit* mihi *Dominus, illo die, iustus iudex:* mox, ne sibi quid praecipuum vindicare videatur, addit: *non vero mihi solum, sed et omnibus, apparitionem eius desiderantibus.* Similiter JOHANNES 1 ep. II. 2: Christus *est expiatio pro peccatis nostris;* sed hoc non satisfacit Apostolo; itaque addit: *non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi* peccatis. [Vid. WINER. Gr. § 66, p. 542, et Disput. mea, quae habetur in *Opp. Soc. Hag.* laud. p. 270 sqq. V.] Cf. de hac figura BAUER. l. l. p. 727 sqq.

Aversio, *ἀποστροφὴ*, est, quando oratio ad aliam personam, vel rem, quam instituta fuerat, convertitur. Dicitur propterea etiam *προσφώνησις*. Cf. [ERN. § 357. V.] GLASS. l. l. p. 1354 sqq. Haec figura magnam habet vim ad movendos animos, docetque gravem esse rem, quam hi imprimis, ad quos dirigitur oratio, perpendere debeant et in

usus suos convertere. Exempla sunt plura in ep. ad *Rom.*, ut C. II: 1: *quapropter excusandus non es, o homo! quicunque iudicem agis*, [ὁ κρίνων ;. nam qui κρίνειν h. l. idem quod κατακρίνειν valere dicunt, in *vocabulum* notionem invehunt, quae est in *contextu;* quod recte monet FRITZSCH. ad l. V.] C. XIII: 3: *Vis autem non metuere potestatem*, [quod minime cum GRIESB. aliisque per interrogationem positum est accipiendum. Vid. FRITZSCH. ad l. V.]; *quod bonum est facito et* [non *tum*. Vid. quae FRITZSCH. acute monet de coni. καὶ ad Matth. IV: 19, pag. 187 sq. V.] *laudem ab ipsa obtinebis*. C. XIV: 4: *Tu quis es, qui condemnes* [vel potius: *qui in tuum iudicium adducas*. Vid. quae modo de v. κρίνειν diximus V.] *alienum famulum?* Sic et sect. 10: *Tu vero cur condemnas* [rectius: *in iudicium vocas*. V.] *fratrem tuum? aut etiam tu, cur pro nihilo habes fratrem tuum*. 1 Cor. VII: 16: *Ecquid enim nosti, uxor! an virum sis servatura? aut ecquid nosti, vir! an uxorem sis servaturus?* JACOBUS eâ saepe est usus, e. c. C. II: 20: [*visne vero nosse, o homo vane! fidem sine operibus mortuam esse?* V.] C. IV: 4: [*Adulteri et adulterae! nonne scitis, amicitiam mundi inimicitiam Dei esse?* V.] C. V: 1: [*Agite nunc divites! flete, ululantes de miseriis vestris superventuris*. V.] Ita et identidem redit ad fratres. Immerito igitur ex illa aversione GROTIUS et alii effecerunt, hanc epistolam datam fuisse ad Judaeos universe, eos quoque, qui nondum CHRISTO nomen dederant.

Personae fictio, προσωποποιΐα, est, quando loquentes inducuntur, qui revera non loquuntur. Antea nos προσωποποιΐαν spectavimus, utpote formam metaphorae: nunc in ea spectamus orationis quandam figuram, qua non tantum rebus inanimatis tribuitur vox, sed et loquentes inducuntur, qui revera non loquuntur. Atque in eo praeeuntes habemus GLASS. l. l. p. 1356 sqq., ERN. l. l. § 360 et BAUER. l. l. p. 755. Huius exempla sunt egregia cum in orationibus JESU, tum in Apostolorum scriptis. CHRISTUS saepenumero in parabolis suis inducit loquentes personas: ut pueros, de sodalium morositate querentes Matth. XI: 17; Patrem et filios in parabola de filio prodigo Luc. XV: 11 sqq., alias ne commemorem quam plurimas. Similiter in exemplis historicis, quemadmodum, ubi inducit pastorem, de inventa ove perdita laetantem, suisque amicis et vicinis sic acclamantem: *gratulamini mihi; nam inveni ovem meam, quam perdideram*, Luc. XV: 6, et viduam iisdem fere verbis utentem, inventa drachma perdita, ib. s. 9. Ubi Matth. VII: 22 praesignificat, inanem fore spem eorum, qui ipsum Dominum professi, nihil tamen fecerint eorum, quae discipulis suis praecepit, illis hunc sermonem tribuit: *Domine! Domine! nonne tuo nomine vaticinati sumus, tuoque nomine daemonia eiecimus, tuoque nomine multas edidimus virtutes?* Addit: *tunc autem profitebor iis: numquam novi vos;* [quod vanae eorum iactationi egregie oppositum est. V.] *discedite a me, malefici!* Similiter in

egregia illa ultimi iudicii delineatione, Matth. XXV: 31 sqq. dicit, fore ut ipse iudex alloquatur pios suos cultores sic: *venite, dilecti* [*benedicti* V.] *a Patre meo!* [εὐλογημένοι τοῦ πατρὸς, de quo Genit. vid. WINER. Gr. § 30, p. 174. V.] *possidete regnum, vobis a iactis mundi fundamentis paratum: esurivi enim, et dedisti mihi quo vescerer; sitivi, mihique potum praebuistis* caett.; deinde fore ut illi admirati quaerant: *Domine! quando vidimus te esurientem et aluimus? aut sitientem, potumque dedimus?* caett.; denique fore ut respondeat iudex: *profecto! dico vobis, quatenus id fecistis uni ex istis fratribus meis minimis, mihi fecistis.* His enim fictis iudicis et iudicatorum sermonibus indicavit CHRISTUS multo significantius, quam sine hac figura potuisset significare, rationem, ad quam ipse diiudicet fidem et amorem eorum, qui sese CHRISTI dicunt ministros et subditos. Eâdem ratione Conservator noster cum ad crucem duceretur, mulieribus ipsum deplorantibus, extremam miseriam *Hierosolymitanorum* praesignificavit his verbis: »ne »me deplorate, sed vos ipsas deplorate, vestrosque »natos; ecce enim, dies venient, quibus dicent: »*beatae steriles et uteri, qui non genuerunt, et ubera,* »*quae non lactaverunt!*" Haec una est prosopopoiia. Sequitur altera. »Tunc incipient dicere montibus: »*cadite super nos!* et collibus: *operite nos!*" Luc. XXIII. 28—30. — JACOBUS quoque graviter et eleganter inducit eos, qui in coetibus sacris ditiores praeferrent pauperioribus, sic: »si quis in coetum

»vestrum ingrediatur, aureum gestans annulum, »veste splendida; ingrediatur autem et pauper cum »veste sordida; vos vero, spectato illo, veste »splendida induto, dicatis, [nam αὐτῷ cum GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHEND. omittendum videtur. V.] »*tu sede hic honeste!* pauperi vero dicatis: *tu sta »illic!* aut: *sede hic subter scabellum meum!* nonne »discrimen fecistis, iudicesque agitis, perverse de»liberantes" (¹)? C. II. 3, 4. Similiter, ubi reprehendit fidem iactantes, factis non probatam, sic scribit: »quod si frater aut soror nudi fuerint, »victuque quotidiano egentes, dicat autem iis ali»quis vestrum: *abite feliciter! calescite et satura»mini!* non tamen dederitis eis, quae sunt apta »corpori" [τὰ ἐπιτήδεια τοῦ σώματος, ad tegendum alendumque corpus, (vid. praecedd.) necessaria. V.] »quaenam erit utilitas?" sectt. 15, 16. Adde [sect. 18. V.] C. IV: 13, 15. — Ita et JOHANNES 1 ep. C. IV: 20: »si quis," inquit: »dixerit: *di»ligo Deum,* et fratrem suum oderit, mendax est." —

(¹) Ita et in *Quaestt. de locis N. T. difficilioribus* cl. Scriptor: »Quae C. II: 4 habentur, apodosin faciunt eorum, quae sect. 2, »3 praemittuntur, et, ad modum interrogandi, qui hac in epistola »frequens est, ita sunt accipienda, ut haec prodeat sententia: »*nonne igitur* (καὶ) *discrimen fecistis* (διεκρίθητε· conf. ἀδιάκριτος »C. III: 17) *inter vos*, qui in religionis negotio aequales estis »habendi, *iudicesque egistis perverse ratiocinantes*, in eo, quod »divites praetulistis pauperibus?" Simplicior autem mihi videtur WINERI ratio, qui Gr. § 30, p. 172, Genit. qualitatis hic obtinere monens, interpretatur: *Richter von schlechter Denkungsart.* Cf. tamen et BRETSCH. in Lex. ad v. διαλογισμός. V.

Paullus quoque, cum Rom. XI: 19, 20 in eo est, ut reprehendat fastum alienigenarum, de loco sibi in regno divino destinato gloriantium, et Judaeos loco pristino deiectos despicientium, adhibitâ allegoriâ, qua rami oleastri oleae insiti proponantur gloriantes contra ramos oleae naturales, ita illos loquentes inducit: »dices igitur: *defracti sunt rami, »ego ut insererer ;*" mox vero graviter respondet: *recte! per infidelitatem defracti sunt, tu vero per fidem stas:* [τῇ ἀπιστίᾳ et τῇ πίστει sunt *Dativi causae.* Vid. WINER. Gr. § 31, p. 193 et FRITZSCH. ad l. V.] *Ne effertor animo; sed time!* Et, ubi 1 Cor. XII: 21 docet, arcto necessitudinis vinculo iunctos esse societatis Christ. cives, allegoriâ a membris corporis humani sumtâ, dicit: »non po- »test oculus manui dicere: *mihi non opus est te;* »aut rursum caput pedibus: *mihi non opus est te.* »Et paulo ante, sectt. 15, 16: »si dicat pes: *quia »non sum manus, non sum ex corpore;* num ob »id non est ex corpore? Et si dixerit auris: *quia »non sum oculus, non sum ex corpore;* num prop- »terea non est de corpore?"

Interrogatio, ἐρώτησις, quam multiplicem habeat usum ad conciliandam orationi gravitatem ex multis, quae aliud agens adduxi exemplis, audivistis, et sensu quisque vestro facile intelligitis. Nam qui interrogat, non discendi cupiditate, sed ipse docens, suadens, hortans, increpans, eo gravius testatur, quam firma sit persuasio, quam certa res, quam vana dubitatio, quam nullus contradicendi

locus. Unde etiam oratoribus popularibus frequens esse solet interrogationum usus: de quo tamen dignus est qui audiatur ERN. *init. Rhet.* § 357 ([1]). [Cf. et GLASS. l. l. p. 1362—1369. V.] Nos varias quasdam orationis formas ex hoc genere in medium proferamus! Saepe interrogando per *quis?* gravius dicitur *nemo;* ut, quando CHRISTUS: [*an* μή. Vid. FRITZSCH. ad l. V.] *quis vestrum*, inquit, *filio suo, panem petenti, lapidem dabit?* Matth. VII: 9, 10, et: *quis vestrum curis anxiis cubitum ad vitam suam potest adiungere?* C. VI: 27; (non enim de corporis staturâ, sed de vitae termino haec mihi dicta videntur: [quod fieri posse quis cum PALMIO ad l. neget. Vid. Hebr. XI: 11. Contrarium tamen probare conatur FRITZSCH. ad l. sed vid. WETT. pro nostra interpretatione pugnantem. V.]) Rom. VIII: 31: *si Deus pro nobis, quis contra nos?* et sect. 33: *quis intentabit crimina adversus Dei electos?* — Interrogando per *quid?* gravius dicitur *nihil.* Sic CHRISTUS Matth. V: 13: *si sal infatuatus fuerit, quo salietur?* Joh. XXI: 22: *si velim eum manere. donec veniam, quid ad te? tu me sequere!* C. II. 4: τί ἐμοὶ καὶ σοί, γύναι; scil. κοινόν; *quid mihi tecum, mulier? quid te meis im-*

([1]) Significavit Scriptor sine dubio praeclara haec ERNESTII verba: »Etsi autem nulla figura aeque frequenter uti licet, tamen cavendum est, ne immodice utamur, cum universe, tum, cum docemus, praesertim res tenues. In quo peccant novitii oratores vernaculi, qui ita complent orationes interrogationibus, ut obtundant enecentque auditores, non excitent, frigidamque reddant orationem, non vividam et incitatam." V.

misces curis? [Ita et LÜCK. quem conf.; BORGER. vero *Comm. de Euang. Joa.* caett. laudd. p. 74, hunc formulae esse sensum putat: *non necesse est, ut una tecum abeam. Tibi discedere licet, si ita placeat; ego nondum discedam.* V.] — Interrogando per *an*, *num?* fortius dicitur *non*, *minime!* Matth. VII: 16: *Num colligunt ex spinis uvam? aut ex tribulis ficum?* 1 Cor. IX: 24: *An ignoratis, eos, qui in stadio currunt, omnes quidem currere, sed unum accipere praemium?* — Interrogando per *nonne?* efficacius dicitur *omnino:* Joh. VI: 70, *Nonne ego vos duodecim elegi? et unus e vobis est diabolus.* 1 Cor. IX: 4, 5: *Nonne habemus potestatem vescendi ac bibendi?* (vestris sumtibus). *Nonne habemus potestatem sororem uxorem circumducendi, ut et reliqui Apostoli?* [quam interpretationem RÜCK. satis probavit. V.] — Interrogando *cur?* gravius dicitur *nulla est causa:* Joh. XVIII: 21, CHRISTUS ANNAE, vel, ut aliis videtur, CAIAPHAE, multa quaerenti de ipsius doctrina et discipulis, respondet: *cur me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid sim ipsis locutus!* Et mox ministro, ei alapam infligenti: *si male*, inquit, *locutus sum*, *admone me de eo; sin bene, cur me caedis?* sect. 23, [de quo l. vid. BORGER. *Comm.* laudd. p. 83 sq. n. *m.*, qui verbum λαλεῖν referendum esse putat non ad JESU responsum Pontifici datum, sed ad *universam* eius *doctrinam*, vertitque: *si male docui*, *demonstra*, caett. V.] Sic etiam capio vocem illam, qua CHRISTUS e cruce pendens exclamavit: *Deus mi! mi Deus! cur* [ἵνα

τι. vid. WINER. *Gr.* § 25, p. 158. V.] *me dereliquisti?* Matth. XXVII: 46. [Cf. tamen RIEHM et V. D. WILLIGEN disputt. in Opp. Soc. Hag. a. 1831, illius p. 92 sqq. huius p. 34 sqq. V.] Item PAULLUS 1 Cor. XV: 29: *si mortui*, inquit, *non excitantur*, *cur baptizantur pro mortuis?* [de quo vid. praeter interpretes WINER. *Gr.* § 27, p. 163 et § 51, p. 365, n. ** V.] *et cur nos periclitamur singulis horis?* — Si interrogatur per πῶς, *quomodo?* fortius dicitur *nullo modo*, *prorsus non*, Marc. IV: 13: *Nescitis parabolam hanc?* [quod signum interrogationis minime reiiciendum est cum FRITZSCH. V.] *quomodo igitur* [καὶ πῶς. Vid. de vi coni. καὶ vocibus interrogativis praepositae FRITZSCH. ad l. V.] *omnes intelligetis parabolas?* 1 Cor. XIV: 16: ἐὰν εὐλογήσῃς τῷ πνεύματι (h. e. vi Spiritus mirifica, sermone peregrino [quam interpretationem satis probavit RÜCK. ad s. 15. V.], *quomodo idiota* [ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου WETT. quoque ad l. et BRETSCHN. in Lex. ad v. τόπος simpliciter dictum putant pro: *qui idiota est.* Alii vero aliter. Vid. in pr. RÜCK. et PALM. ad l. V.] *dicturus est amen!* ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ; (e quo loco, [uti et sect. 17. V.] patet εὐλογεῖν et εὐχαριστεῖν idem esse.) Hebr. II: 3: *Quomodo nos effugiemus* (scil. *iustas poenas*, quarum mentio facta erat sect. 2) *si tantam neglexerimus salutem?*

In *dialogismo* hae sunt figurae gravitati servientes: *dubitatio*, *communicatio*, *occupatio*, *permissio*, *concessio*. Vid. GLASS. l. l. p. 1369 sq.

Dubitatio, ἀπορία, vel διαπόρησις locum habet, cum ipsi videmur nescire, quid dicendum sit aut faciendum, quid primum, quid maxime, quid porro dicendum aut faciendum, atque adeo quaerendo quasi consilium cum auditore vel legente inimus. [Vid. ERN. l. l. § 356.] Nonnulla, eaque egregia huius figurae insunt exempla in CHRISTI parabolis, velut ubi dubitat dives stultus, ubinam coacturus esset fructus suos, Luc. XII: 16—19, et dispensator iniustus, quid faciendum sibi sit a dispensatione remoto, Luc. XVI. 3, 4. Alia insunt PAULLI epistolis, e. c. 1 Cor. XI: 22: *quid vobis dicam? laudabone vos? In eo non laudo*. Hebr. XI: 32: *quid praeterea dicam?* [Ita enim vertendum est λέγω, praes. Indicat. Vid. WINER. *Gr.* § 42. 3. p. 260. V.] *Deficiet enim me tempus*, [ἐπιλείψει-με-ὁ χρόνος, de qua dicendi formula vid. BLEEK. ad l. V.] *commemorantem de* GIDEONE, BARACO caett.

Communicatio, ἀνακοίνωσις, locum habet, cum auditores, vel legentes, [adversarios etiam, V.] appellamus quasi iudices vel testes in re, de quâ agitur: [»quod prodest," monente ERN. l. l. § 356, »in priori genere ad conciliandos oratori auditores, »in utroque ad aequitatem caussae intelligendam »et fiduciam in caussae bonitate." V.] Aliquando eâ usus fuit CHRISTUS, nempe [Matth. XII: 27. V.] Luc. XI: 19: *quodsi ego per Beëlsebulem eiicio daemonia, filii vestri per quem eiiciunt?* [et Matth. XXII: 45: *si ergo* DAVIDES *vocat eum* (τὸν Χριστὸν) *Dominum, quomodo filius eius est?* V.] — PETRUS

et JOHANNES Act. IV: 19: ipsi *iudicate*, inquiunt, *an apud Deum iustum sit, vobis potius auscultare, quam Deo? Non enim possumus, quae vidimus et audivimus, non loqui.* — PAULLUS 1 Cor. X: 15, 16: *Ut peritis*, inquit, *loquor. Judicate vos quod dico. Poculum gratiis agendis destinatum* [*s. a gratiarum actione dictum*, quomodo cl. Scriptor interpretatur in *Quaestt. de ll. N. T. difficil.* V.] (τῆς εὐλογίας,) *quod Deo gratiis actis consecramus, (ὃ εὐλογοῦμεν,) nonne est communionis nostrae cum* CHRISTI *sanguine signum? (κοινωνία).* [Cf. tamen RÜCK. ad l. V.] *Panis, quem frangimus, nonne est signum communionis nostrae cum* CHRISTI *corpore?* C. XI: 13: *apud vos ipsos iudicate! Num decorum est, mulierem non velatam Deum orare?* Gal. III: 2: *hoc solum cupio discere e vobis: ex* [de vi praepos. ἐκ vid. WINER. *Gr.* § 51, p. 348. V.] *operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditâ fide?* [in quibus νόμος et πίστις, ἔργα et ἀκοή egregie sibi invicem opponuntur: unde miror, potuisse BORGERUM, KOPPIUM secutum, ad l. suspicari, v. ἀκοῆς hîc prorsus redundare. V.] C. IV: 21: *dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non auditis?*

Occupatio, πρόληψις, προκατάληψις, dicitur, cum id, quod contra nos dici potest, proponimus ac diluimus. Prius (propositionem) ὑποφορὰν dicunt, posterius (dilutionem) ἀνθυποφοράν. [Vid. ERN. § 356, coll. 224. V.] JOHANNES *B.* eâ graviter usus est contra *Pharisaeos* et *Sadducaeos* Matth. III: 9: *ne animum inducite*, [μὴ δόξητε. Vid. FRITZSCH. ad

l. V.] *apud vos dicere*: patrem habemus ABRAHAMUM. *Dico enim vobis, Deum posse*, [vobis sublatis, quod cogitatione addendum esse praeclare monet FRITZSCH. ad l. V.] *etiam e lapidibus istis excitare liberos* ABRAHAMO. CHRISTUS Matth. VI: 31, 32: *ne estote*, inquit, *soliciti, dicendo: quid edemus? aut quid bibemus? aut quo amiciemur? Nam omnia ista profani quaerunt. Novit enim Pater vester coelestis, vos his indigere omnibus.* PAULLO nihil est frequentius: et saepius quidem tacite fit oppositio, ut Rom. III: 1: *quae est igitur praestantia*, [vel potius *praerogativa*. Vid. *Ann.* p. 262. V.] *Judaei? aut quae circumsectionis utilitas? Multa per omnem modum.* Sic per totum Caput III et IV, uti et alibi, quoties quaerit per τί οὖν ἐροῦμεν; vel simpliciter per τί οὖν; saepius vero etiam aperte, ut C. XI: 19: *dices igitur: defracti sunt rami, ego ut insererer. Recte! per ἀπιστίαν defracti sunt, tu vero per fidem stas. Ne effertor animo, sed time!* quo in exemplo antea προσωποποιΐαν notavimus. 1 Cor. XV: 35, 36: *at dicet aliquis: quomodo suscitantur* [ἐγείρονται, de quo praes. temp. vid. WINER. *Gr.* § 41. 2. p. 243. V.] *mortui? — Demens, quod tu seminas non vivescit, nisi mortuum fuerit.*

Permissio, ἐπιτροπή, obtinet, cum alicuius laus celebratur, in quibus sibi placet, suamque causam defendere se posse, at frustra, putat. [Cf. GLASS. l. l. p. 1370. V.] Sic PAULLUS, ubi in eo est, ut Rom. IX. Judaeis eximat vanam divini favoris et approbationis laudem, s. 4, 5 permittit eos lau-

dare praerogativas, quibus Israëlitarum gens gavisa fuerat. *Sunt*, inquit, *Israëlitae, quorum est adoptio et gloria et foedera et legis datio et cultus et promissiones: quorum sunt patres, et e quibus est* CHRISTUS, *quod ad humanam attinet naturam, qui est Deus super omnes aeternum laudandus.* Ubi simul id, quod, impii Judaei in religionis Christianae vituperium adhibebant, ita convertit, ut faciat ad summam CHRISTI laudem. [Nam argumenta, quae FRITZSCH. in primis attulit ad refellendam hanc interpretationem, haudquaquam sunt eiusmodi, ut illam deserendam esse putemus. V.] Similiter, ubi *Galatas* reprehendit propter levitatem, in admittenda doctrina aliena, C. IV: 13-15 in memoriam iis revocat documenta amoris, quem antea ipsi demonstraverant. *Scitis, quanta cum carnis infirmitate* [δι' ἀσθένειαν *propter infirmitatem.* Vid. WINER. *Gr.* § 51, p. 379. V.] *vos antea* [τὸ πρότερον. Cf. Joh. VI: 62. IX: 8, ut adeo magis argute, quam vere de vi art. τὸ ad h. l. disputet RÜCK. V.] *instituerim; et* tamen *mei tentationem, quam in carne pertuli, tantum abfuit ut repudiaretis aut respueretis, ut me ceu Dei angelum, ceu ipsum* CHRISTUM JESUM *acceperitis. — Testor enim vos, si fieri potuisset, vestros oculos effossuros et mihi daturos fuisse.*

Affinis huic est *concessio*, συγχώρησις, quando aliquid alteri concedimus, quod falsum est et iniquum, certe nihil valiturum ad adversarii causam tuendam, quod tamen largimur, ut manifesta fiat fiducia, quam habemus in iis, quae sumus dicturi.

[Vid. ERN. l. l. § 356 et GLASS. l. l. p. 1370 sq. V.] Sic JACOBUS Ep. II: 19: *tu credis*, inquit, *Deum esse unum. Recte facis. Et daemones credunt et exhorrescunt*, (scil. cogitatione Dei, quem non amant, sed timent.) Addit mox sect. 20, hanc vanam esse et mortuam fidem, quam iactabant sine bene factis. — PAULLUM dixerant adversarii in ecclesia *Corinthiaca* vanum stultumque iactatorem. Itaque 2 ep. XI: 1, 2: *Utinam ferretis*, [est enim legendum ἀνείχεσθε. Vid. inpr. RÜCK. ad l. V.] *me*, inquit, *paululum in mea stultitia!* [RÜCK. praefert lect. τι ἀφροσύνης· sed vid. quae WETT. contra eam monet. V.] Mox vero addit: *immo vero ferte* [ἀνέχεσθε, quod potius vertendum: *fertis*. Vid. RÜCK. et WETT. V.] *me!* Quibus prioribus cum largiri videatur, stultam esse gloriationem, posterioribus vero corrigit se ipse, et id quod largitus fuerat retractat. Ita enim ut posterius accipiam, suadet mihi sect. 16: *rursum dico, ne quis me putet insipientem esse!* quae nescio quo respiciant, nisi ad locum in huius capitis initio.

Suavitas secunda est virtus orationis s. in N. T. ex eo genere, quod ab *animo* dicentium et scribentium proficiscitur. Est autem *suavitas* orationis affectio, quae prodit animum amantem, lenem, mansuetum, condolentem, misericordem, et apta est movendis eiusmodi sensibus in animo audientis ac legentis. Illi enim sensus suaviter animos afficiunt, quemadmodum in quibusdam cibi potusque

generibus sapor dulcis linguam palatumque suavi sensu permulcet. Quae igitur eiusmodi sensus movet, suavis oratio dicitur et dulcis; nam, ut cum Gnomographis et Poëtis loquar, *favus mellis est amoena oratio et animo dulcis* (Prov. XVI: 24, [ad quem l. cf. PALM. *Salomo*, Vol. IV, p. 314 sq. 325–328, ed. 3ae. V.] Ps. XIX: 11. CXIX: 103.) Haec igitur orationis suavitas eximia est in CHRISTI et Apostolorum orationibus, horumque etiam epistolis. Quod ut intelligatur, documenta eius proferamus e variis orationis generibus, quibus haec dos maxime conveniat: cuiusmodi sunt *appellandi*, *amorem favoremque testandi*, *bene precandi*, *laudandi*, *petendi*, *suadendi*, *consolandi*, quin et *increpandi*. De singulis nonnulla.

In *appellationibus* mira est suavitas cum in CHRISTI, tum in Apostolorum dictis.

Conservator noster ubi miseros, enixe opem eius implorantes, alloquitur, aliquando eos appellat tanquam *natos suos*. Sic paralytico, ipsi ad sanandum oblato, Matth. IX: 2: *bono sis animo*, inquit, *fili! remissa sunt tibi peccata tua*. Similiter mulieri, sanguinis profluvio laboranti, ib. s. 22: *bono sis animo, filia! fides tua te servavit*. Discipulos vero suos, nominatim Apostolos, solebat *amicorum* nomine salutare: id quod ne JUDAE quidem proditori negavit, eum sic interrogans: *amice!* [ἑταῖρε, quod tamen minus significat, quam φίλε. V.] *quorsum tu hic ades?* Matth. XXVI: 50. Ita

autem solitum fuisse JESUM, ipse monet suavissimis verbis, Joh. XV. 15; [*vos autem dixi amicos*, φίλους. V.] Sed et *fratrum* nomen adhibuisse CHRISTUM ex iis constat, quae ipso reditus sui in vitam die dixit mulieribus, quibus sese conspiciendum dedit. Nam MARIAE *Magdalenae*, Joh. XX: 17: *Proficiscere*, inquit, *ad fratres meos*, *et nuncia iis* meo nomine: *abeo ad Patrem meum et ad Patrem vestrum*, *et ad Deum meum ac Deum vestrum!* Caeterisque mulieribus, referente MATTHAEO, C. XXVIII: 10, dixit: *abite*, *annunciate fratribus meis*, *ut abeant in Galilaeam*: [*discipulos* enim fratrum nomine hìc significari patet e sect. 16. V.] Denique et in appellandis Apostolis suis *filiorum* nomen adhibuit, ut constat e Marc. X: 24, [τέκνα. V.] Joh. XIII: 33, [τεκνία. V.] et XXI: 5, [παιδία. V.]

Ita quoque Apostoli summa humanitate comitateque erga omnes, ne hostibus quidem exceptis, versati sunt, maiori etiam suavitate erga amicos, germanos CHRISTI cultores et discipulos suos.

Audire licet summam humanitatem ac comitatem in PETRI oratione, qua in Pentecostes festo Judaeos appellat: *Viri Judaei*, *vosque omnes Hierosolymae degentes*, *hoc vobis notum esto*, *et auribus percipite verba mea!* Act. II: 14; mox sect. 22: *Viri Israëtitae! audite hos sermones!* porro sect. 29: *Viri fratres! licet* mihi *libere dicere apud vos*. Huic exemplo par est, quin et maius aliud, quod praebet PAULLI oratio ad Judaeos furentes, ipsumque

trucidare volentes Act. XXII: 1: *Viri fratres et patres! audite meam, qua nunc apud vos utor, defensionem!*

Ubi vero alloquuntur germanos Christianos, sive sermone, sive epistolis, prorsus imitantur CHRISTI in dicendo suavitatem. JOHANNIS in hoc genere suavitatem iam laudavit STRONCK. *Spec.* acad. laud. p. 228 sq. In *prima* epistola frequenter Christianos, ad quos ea data est, appellat mox ἀγαπητοὺς [C. II: 7, pro vulg. lect. ἀδελφοί. III: 2, 21. IV: 1, 7, 11. V.], mox παιδία, [C. II: 18. V.] mox τεκνία, [C. II: 1, 28. III: 7, 18. IV: 4. V: 2; semel denique ἀδελφοὺς C. III: 13. V.] Ita etiam accipio, [quomodo et LÜCK. interpretatur. V.] τεκνία et παιδία C. II: 12, 13, ubi alii de *pueris aetate* verba adhibita putant. In *tertia* CAIUM saepius ἀγαπητὸν dicit, [s. 1, 2, 5, 11, et Christianos τὰ ἐμὰ τέκνα vocat. V.]; in *secunda* pias sorores ἐκλεκτάς, [s. 1, 13. Doct. quidem RAMBONNET in *Spec. acad. de secunda ep. Joh.* Tr. ad Rh. 1818, p. 79 coniicit, ἐκλεκτὴν fuisse foeminae praenomen. Sed vid. de v. ἐκλεκτὴ LÜCK. *Einl. in den zweiten Br. Joh.* C. II: p. 347 sqq. et WETT. *Einl.* 2. p. 267. — PETRUS in epp. saepius ἀγαπητοὺς vocat Christianos, ad quos scribit, [1 Ep. II: 11. IV: 12. 2 Ep. III: 1, 8, 14, 17. V.]; semel 2 Ep. I: 10, ἀδελφούς. [MARCUM *filium* suum appellat 1 Ep. V: 13. V.] — JACOBUS identidem ἀδελφοί, inquit, [C. IV, 11. V: 7, 9, 19. V.] et ἀδελφοί μοῦ, [C. I: 2. II: 1, 14. III: 1, 10, 12. V: 10, 12. V.] et ἀδελφοί μου

ἀγαπητοὶ, [C. I: 16, 19. II: 5. V.] Quarum [igitur V.] appellationum quindecim sunt exempla in brevi epistola. — JUDAS in epistolio ter utitur illo ἀγαπητοὶ, [nempe s. 3, 17, 20. V.] — PAULLUS quoque mox ἀδελφοὶ, inquit, [Rom. I: 13: VII: 1. VIII: 12. X: 1. XI: 25. XII: 1. XV: 15, 30. XVI: 17, al. V.] mox ἀδελφοί μου, [Rom. VII: 4. XV: 14. 1 Cor. I: 11. XI: 33. Eph. VI: 10. Philipp. III: 1. V.] mox ἀδελφοί μου ἀγαπητοὶ, [1 Cor. XI: 58. V.] mox ἀγαπητοὶ [2 Cor. VII: 1. XII: 19. Philem. s. 1. V.] et ἀγαπητοί μου. [1 Cor. X: 14. Philipp. II: 12. V.] Aliquando copiosior est in appellandis iis, quos impensius amabat, ut *Philippenses*: ἀδελφοί μου ἀγαπητοὶ καὶ ἐπιπόθητοι, χαρὰ καὶ στέφανός μου, Ep. C. IV: 1. Praecipue familiare est PAULLO, quos ipse erudiverat, *filios* appellare, ut TIMOTHEUM [1 Cor. IV: 17. Philipp. II: 22. 1 Tim. I: 2, 18. 2 Tim. I: 2. II: 1. V.] TITUM [Ep. I: 3, ONESIMUM, Philem. s. 10. V.] nonnumquam etiam universos coetus sodales, ut [1 Cor. IV: 14, 15: οὐκ ἐντρέπων ὑμᾶς γράφω ταῦτα, ἀλλ' ὡς τέκνα μου ἀγαπητὰ νουθετῶ. Ἐὰν γὰρ μυρίους παιδαγωγοὺς ἔχητε ἐν Χριστῷ, ἀλλ' οὐ πολλοὺς πατέρας· ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἐγὼ ὑμᾶς ἐγέννησα et 2 Cor. VI: 13: ὡς τέκνοις λέγω. Cf. et C. XII: 14. 1 Thess. II: 7, 11 et V.] Gal. IV: 19: τεκνία, [ita enim legendum est, non τέκνα, quod LACHM. recepit. V.] μου, οὓς πάλιν ὠδίνω, h. e. ut recte KOPPIUS παραφράζει· *o filioli mei! in quibus denuo efformandis laboro, curâ*

et solicitudine matris, filium utero gestantis. [Cf. WETT. ad l. V.] Quo quid suavius dici possit equidem nescio.

Suavitatem prodit CHRISTI et Apostolorum oratio, quando *animi sui affectionem* erga eos *enarrant*, quibuscum amoris vinculo sunt iuncti. E CHRISTI collocutionibus cum amicis suis exemplo esse possunt haec loca: Joh. XIV: 2, 3. [*In domo Patris mei habitationes multae sunt: quod nisi ita esset, dixissem vobis: proficiscor paraturus locum vobis. Et quum profectus fuero et paravero vobis locum, rursum venio, et assumam vos ad me ipsum, ut, ubi ego sum, et vos sitis.* V.] Sectt. 12—14: [*Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, imo maiora iis faciet: nam ego ad Patrem meum proficiscor. Et quidquid petieritis in nomine meo, illud faciam, ut honoretur Pater in filio. Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam.* V.] Sectt. 16—18: [*Et ego rogabo Patrem, et alium adiutorem dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum: Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec novit eum: vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manet, et in vobis erit. Non relinquam vos orbos; venio ad vos.* V.] C. XV: 9—11: [*Sicut dilexit me Pater, et ego vos dilexi; manete in meo amore. Si mandata mea servaveritis, manebitis in meo amore; sicut ego mandata Patris mei servavi, et maneo in eius amore. Haec locutus sum vobis,*

ut gaudium meum in vobis maneat, et gaudium vestrum impleatur. V.] — E PETRI epistolis locus est suavitatis plenus, 2 ep. I: 12—15: [*Iccirco non negligam vos semper* (GRIESB. et SCHOLZ. ediderunt ἀεὶ ὑμᾶς.) *de illis commonefacere, etsi scitis* (ea), *et confirmati estis in praesenti veritate. Justum vero arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, excitare vos per commonefactionem, quum sciam, brevi futurum ut deponam hoc tabernaculum meum, sicut et Dominus noster* JESUS CHRISTUS *mihi significavit. Dabo autem operam assidue, ut vos post exitum meum possitis horum mentionem facere.* V.] — E PAULLI oratione ad Ecclesiae *Ephesinae* antistites luculentus est locus Act. XX: 18—20, 31: [*vos scitis a primo inde die, quo ingressus sum Asiam, quomodo vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni modestia, et lacrimis*, (nam πολλῶν cum GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHEND. reiiciendum videtur.) *ac periculis, quae mihi evenerunt per Judaeorum insidias: ut nihil subterfugerim eorum, quae* vobis *conducerent, quominus* ea *vobis annunciarem, et docerem vos publice, et per singulas domos. — Iccirco vigilate, memores, me per triennium nocte et die non cessasse cum lacrimis monere unumquemque.* V.], uti et e sermone ad AGRIPPAM C. XXVI: 29: [*Optarim a Deo*, [Vid. de coni. ἂν cum Opt. WINER. Gr. § 43. 1. p. 279. V.] *ut καὶ ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν πολλῷ* (h. e. ex BEZAE aliorumque interpretatione: *et propemodum et admodum;* sec. WETT. ad l.: *es sei über kurz oder über lang*), *non*

tu modo, sed et omnes, qui me audiunt hodie, fierent tales, qualis ego sum, exceptis hisce vinculis. Ex epistolis autem *Paullinis* difficilis est optio, propter copiam et varietatem locorum ex hoc genere illustrium. Prae caeteris conferri merentur haec loca: 1 Thess. II: 10, 17. III: 8—11. Philipp. I: 3—8, 23—26. 2 Cor. I: 23. II: 4. VII: 8, 9, 13—16. XII: 14, 15. XIII: 7—9. [Rom. I: 11—13. V.] Col. I; 24, (ubi *αἱ θλίψεις τοῦ Χριστοῦ* non sunt *aerumnae similes* CHRISTI, aut CHRISTI *causa* perferendae, sed *quas patitur* vel *passus est* CHRISTUS, qui, quamvis ipse malis non afficiatur, dicitur tamen id pati, quod ipsius causa patiuntur, qui ipsi adhaerent. Cf. Act. IX: 5.) [Vid. de h. l. WINER. *Gr.* § 30, p. 174, n. et quos laudat. V.]

In *bene precando* suavitas quoque cernitur.

In CHRISTI orationibus, quas notarunt Euangelistae, non invenio bene precandi formulas proliziores. Solebat ille paucis uti verbis, in quibus suavitas precantis fuit coniuncta cum gravitate promittentis, quin et cum auctoritate iubentis. In ipsa illa solenni formula: *pax sit vobis*, qua CHRISTUM non semel usum fuisse legimus Joh. XX: 19, 26, non nudam salutationem, [quod LÜCK. contendit ad sect. 21. V.] sed promissionem pacis, h. e. ex Hebr. dicendi consuetudine *omnis salutis* esse conspicuam, intelligitur ex eius repetitione sect. 21

e mandato CHRISTI, quo eandem salutandi formulam septuaginta discipulis praescripsit, asseverans fore ut salute fruantur, qui eâ digni sint, Luc. X: 5, 6, maxime ex eo, quod Apostolis suis dixit Joh. XIV: 27, [ubi *pacem*, inquit, *relinquo vobis, pacem meam do vobis: non prout mundus dat, ego do vobis:* ad quem l. cf. ipse LÜCK. et WETT. V.] Quam suavi voce usus fuit in promissionibus salutis, quam precabatur simul et concedebat pro auctoritate sua! Audite eum mulieri sanguinis profluvio laboranti, timenti ac trementi eo, quod tangendo eum, nec petendo aut precando, sanitatem sibi quaesivisset, sic dicentem: *Bono sis animo, filia! tua te fiducia servavit; abi salva* [πορεύου εἰς εἰρήνην, de qua dicendi formula vid. FRITZSCH. ad Marc. l. l. V.], *et esto a tuo morbo sana!* Marc. V: 34. Luc. VIII: 48. Similiter peccatrici lacrimanti et pedes eius unguenti: *tua te fides servavit, abi salva*, Luc. VII: 50. Quid? quod increpationibus eius intermixta audias vota pro salute delinquentium. Quando querebatur de contumacia *Hierosolymitanorum*, addebat: *o utinam et vos nossetis, hoc etiam die vestro, quid vobis saluti foret!* Luc. XIX: 42. Et cum in epistola, Apoc. III: 15, *Laodicensium* obiurgat negligentiam et stuporem, quo fiebat, ut nec frigidi essent, nec calidi, interponit hoc votum: *o utinam aut frigidus esses aut fervidus!*

In Apostolorum scriptis saepenumero occurrunt bene precandi formulae, suavitatis plenae. Exem-

plorum copiam dabunt pleraeque epistolae in initio et fine. Interspersae quoque sunt eiusmodi formulae admonitionibus, e. c. Rom. XV: 5, 6, cum in eo est, ut peritiores hortetur ad indulgendum imperitioribus, hoc PAULLUS interponit votum: *faxit Deus, patientiae et consolationis auctor*, [s. *largitor*: ita enim Gen. τῆς ὑπομονῆς καὶ τῆς παρακλήσεως vertendi sunt. Vid. FRITZSCH. ad l. V.] *ut idem inter vos sentiatis*, κατὰ Χριστὸν Ἰησοῦν, *convenienter menti* JESU CHRISTI, (non, ut CASTELL. vertit: *sicuti* CHRISTO JESU *dignum est*, [neque *ad* CHRISTI JESU *exemplum*, quod RÜCK. aliisque placuit, V.] *ut uno animo unoque ore*, [vel potius: *ut in animorum consensione uno ore;* nam, quod recte observat FRITZSCH. ad l., καὶ non legitur, V.] *concelebretis Deum et Patrem Domini nostri* JESU CHRISTI. Alia sunt exempla 2 Tim. I: 16—18. II: 7. Nonnumquam PAULLUS in epistolis suis refert, quid precetur, vel precari soleat pro iis, ad quos datae sunt literae. Exempla sunt multum suavitatis habentia Eph. III: 14—19. Phil. I: 8—11. Col. I: 9—11. 1 Thess. III: 9—13. 2 Thess. I: 11, 12.

In *laudando* quoque suavitas cernitur cum CHRISTI ipsius dicentis, tum Apostolorum.

Quanta suavitas est in eo, quod CHRISTUS colloquens cum *Samaritide*, assentiat dicto mulieris negantis, sibi esse maritum, Joh. IV: 17, 18. Ille dixerat s. 16: *vade, voca maritum tuum et veni huc!*

Responderat illa: *non habeo maritum.* Tum igitur CHRISTUS: *bene dixisti, non habere te maritum: quinque enim habuisti maritos, et quem nunc habes, non est maritus tuus; hoc vere dixisti.* Huic tamen suavitati subesse [non *ironiam*, quod LÜCK. putat, sed, V.] aculeum, quis non sentit? In sermonibus cum discipulis suis plura sunt huius suavitatis documenta, e. c. Joh. XIII: 10: *Qui lotus est, huic non opus est, nisi ut pedes lavet, sed totus est purus: atque vos puri estis.* Et paulo post: *vos*, inquit, *me magistrum et dominum appellatis; et recte dicitis; sum enim*, sect. 13. Imo audientibus Apostolis, preces pro illis fudit ad Deum Patrem, suavissimis eos verbis propter fidem ipsi habitam laudans et commendans: [Joh. XVII: 6, 7, 8, 14, 16, 18. V.] Nihil autem suavitate comparari posse mihi quidem videtur cum eo, quod dicturum sese spondet, quo tempore iudex humani generis germanis sectatoribus amoris virtutisque praemia honorifice sit distributurus: *adeste*, inquit, *beati Patris mei! possidete regnum vobis inde ab orbe condito paratum! Esurivi enim et dedistis mihi quo vescerer; sitivi, et dedistis mihi potum; hospes eram et accepistis me;* [FRITZSCH.: *me peregrinantem simul convivio adhibuistis* (συνηγάγετέ με); sed vid. WETT. ad l. V.] *nudus eram et vestivistis me; aegrotabam et me invisistis; in carcere eram et ad me venistis.* Quod cum nesciant, quomodo dici possit, addit: *certo scitote, quatenus vel minimo horum fratrum meorum fecistis, mihi vos fecisse,* Matth. XXV: 34-40.

In laudando quoque admirabilis est Apostolorum, maxime JOHANNIS et PAULLI suavitas. Exempla JOHANNIS sint 1 ep. II: 20, 21, 26, 27: [*vos unctionem consecuti estis a Sancto illo, et nostis omnia. Scripsi vobis non quia ignoratis veritatem, sed quia nostis illam, et quia nullum mendacium e veritate existit. — Haec scripsi vobis de iis, qui vos seducunt. Sed unctio, quam vos accepistis ab eo, in vobis manet, neque opus est vobis, ut quisquam vos doceat; verum, sicut eadem unctio omnia vos docet, ita verax est, neque est mendacium: et sicut docuit vos, manebitis in eo.* V.] Vid. et ep. 2 sectt. 1, 2, 4, et 3 ep. sectt. 3—6. PAULLI exempla exstant in epistolis ad *Thessalonicenses* 1 ep. C. II: 13, 19, 20. IV: 9: [*Propterea et nos gratias agimus Deo indesinenter, quod acceptum de Deo sermonem, quem audistis ex nobis, exceperitis non* ut *sermonem hominum, sed, sicut vere est*, ut *Dei sermonem, qui etiam agit in vobis, qui creditis. — Quae est nostra spes, aut laetitia, aut corona, de qua glorier? Nonne et vos coram Domino nostro* JESU CHRISTO, *in eius adventu? Etenim vos estis gloria nostra et laetitia. — De fraterno autem amore non opus est vobis, ut vobis scribam; nam vos ipsi a Deo edocti estis, ut alii alios diligatis.* V.] Vid. et ad *Galatas* C. IV: 14—16. V: 7; ad *Corinthios*, 2 ep. VII: 9—11. VIII: 7; ad *Philippenses* C. IV: 10—16. [Imo vero a laudatione PAULLUS fere semper in suis epistolis initium facit. Vid. Rom. I: 8—12. 1 Cor. I: 4—9. 2 Cor. I: 6, 7. Eph. I:

15, 16. Philipp. I: 3—9. Coloss. I: 3—9. 1 Thess. I: 2—10. 2 Thess. I: 3, 4. 2 Tim. I: 3—5. Philem. s. 4—7. V.]

Suavitatis in *petendo* occurrunt nobis luculenta indicia in epistolis PAULLI, PHILEMONEM precantis, ut ONESIMUM benigne recipiat eique condonet commissum crimen, et *Corinthiis* commendantis pauperes Christianos *Palaestinenses*. E priori epistola legantur sectt. 8—10, 20—22; e posteriori ad Cor. C. IX: 1, 2, ne dicam totum Cap. VIII et IX. Addi et possunt commendatio PHOEBES, diaconissae *Cenchreënsis*, Romanis factae, Rom. XVI: 1, 2, et Apostoli petitiones, ut pro ipso precentur Christiani, velut [Rom. XV: 30—32. V.] Eph. VI: 19, 20. Col. IV: 2—4, [1 Thess. V: 25. 2 Thess. III: 1, 2. V.]

In *suadendo admonendoque* mira est et CHRISTI et Apostolorum suavitas,

Audiamus Conservatorem Judaeos ad suam disciplinam sic invitantem, Matth. XI: 28—30: *Venite ad me* [vel *huc ad me*. Vid. de v. δεῦτε FRITZSCH. ad l. V.] *omnes, qui fatigati estis et onusti; et ego faciam, ut requiescatis. Subite iugum meum et a me discite, quandoquidem*, [ita enim vertendum ὅτι »quo et gravior et sensui convenientior sensus red»ditur;" quod recte monet FRITZSCH. ad l. V.] *mitis sum et animo summissus: et invenietis animis vestris requiem. Jugum enim meum facile est, meum-*

que onus est leve! Audiamus eum Apostolos ad fidei, virtutis, amorisque constantiam his verbis hortantem, Joh. XV: 3, 4, 7—11: [*Jam vos puri estis propter sermonem, quem* (vel doctrinam, quam, vid. LÜCK. ad l.) *locutus sum vobis. Manete in me et ego in vobis: sicut palmes non potest fructum ferre a semet ipso, nisi manserit in vite, ita nec vos, nisi in me manseritis. — Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis petetis, et fiet vobis. In hoc* (ἐν τούτῳ. Vid. de hac dicendi form. ap. JOH. LÜCK. ad l.) *honoratus est Pater meus, ut fructum multum feratis, et eritis mei discipuli. Prout dilexit me Pater, ita et ego vos dilexi: manete in meo amore. Si mandata mea servaveritis, manebitis in meo amore; sicut ego mandata Patris mei servavi, et maneo in eius amore. Haec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis maneat, et gaudium vestrum impleatur.* V.], eundemque *Laodicensibus* suadentem, Apoc. III: 18—21: *Consulo tibi, ut a me emas aurum igne exploratum, ut dives fias, et vestimenta alba, ut induaris, nec appareat dedecus tuae nuditatis, et collyrio inungas tuos oculos, ut videas. Ego quoscunque amo arguo et castigo; aemulare igitur et resipisce! Ecce! sto ad ostium et pulso: si quis audierit vocem meam et aperuerit ostium, ingrediar ad eum et coenabo cum eo, et ille mecum.*

Apostoli hanc quoque in admonendo suavitatem secuti sunt: imprimis quoties hortantur ad mutuum

amorem, indulgentiam, lenitatem. In hoc genere excellit JOHANNES. Vid. 1 ep. III: 13—19. IV: 7—11. Proximus ei est PAULLUS. Cf. Eph. IV: 25 — V: 2. Rom. XII. XV. caett. — Suavitati huic valde prodest figura *communicationis*, quâ solent Apostoli [nominatim JOHANNES et PAULLUS; nam in epp. JACOBI, PETRI et JUDAE haec communicatio non habetur, nisi aliquatenus Jac. III: 1, 2. V.] simul se ipsi accensere his, qui admoneantur: *Amemus alii alios!* 1 Joh. IV: 7. *Ne diligamus verbo aut lingua, sed re ac veritate,* C. III: 18. *Ne simus vanae gloriae cupidi, alii alios provocantes, alii aliis invidentes!* Gal. V: 26. *Ne benefaciendo segnescamus. Opportuno enim tempore metemus, si non elanguerimus. Itaque dum tempus habemus, simus benefici erga omnes!* C. VI: 9, 10. Maxime quoque in hac re valent admonitiones, quae fiunt *rogando* ac *precando*. Sic PAULLUS saepius: *Rogamus vos et precamur per Dominum nostrum* JESUM CHRISTUM, — *ut magis etiam virtute excellatis*, 1 Thess. IV: 1. *Precor igitur vos, ego captivus Domini causa, ut ambuletis prout dignum est vocatione, quâ estis vocati!* Eph. IV: 1. *Precor vos per clementiam et aequitatem Christi*, 2 Cor. X: 1. *Si qua igitur est consolatio in* CHRISTO, *si quod solatium amoris, si quae communio Spiritus, si quae viscera ac miserationes, explete meum gaudium, ut idem sentiatis, eundem habentes amorem, uno animo unâque mente,* Philipp. II: 1, 2.

In *consolando* locum quoque suavitas orationis habet, sive JESUM audias dicentem, sive Apostolorum legas epistolas.

JESU quidem consolatoria oratio, ipsâ nocte ante mortem habitâ, huius rei plura exhibet documenta, Joh. XIV: 1: [*Ne turbetur cor vestrum: credite Deo, et mihi credite:* (utrumque enim πιστεύετε imperative sumendum est. Vid. LÜCK. ad. l.) V.] s. 16—19, 23, 27 et passim. Alia insunt epistolis *Apocalypticis*, [ut Apoc. II: 10: *Nil metue eorum, quae passurus es: ecce! futurum est, ut mittat diabolus aliquos e vobis in carcerem, ut exploremini, et habebitis afflictionem decem dierum: esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae.* Sect. 24: *non imponam vobis aliud onus.* C. III: 9, 10: *faciam, ut veniant et adorent ante pedes tuos, et scient, me dilexisse te: quoniam servasti sermonem tolerantiae meae,* (s. *praeceptum de constantia fidei in me*, quomodo BRETSCHN. vertit in *Lex.* ad v. ὑπομονή,) *ego quoque te servabo ex tempore explorationis, quod venturum est in orbem universum ad explorandos terrae incolas* V.]

PAULLI quoque epistolae ab eadem virtute sunt commendabiles, nonnullis in locis. Vid. 1 Thess. IV: 13—18: [*Nolo autem* s. *nolumus autem*, θέλομεν, quod GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHEND. receperunt,) *vos ignorare, fratres! de iis, qui obdormierunt*, (i. e. de mortuis, »per euphemismum satis »cognitum, huic potissimum loco, ubi de homini-

»bus *resuscitandis* sermo est, egregie accommoda-»tum," quod recte monet SCHOTT. ad l. Adde et valuisse illum ad consolandos Christianos afflictos,) *ut ne doleatis, sicut et caeteri, qui spem non habent. — Itaque consolemini alii alios his sermonibus* V.] 2 Thess. II: 16, 17: [*Ipse Dominus noster* JESUS CHRISTUS, *et Deus ac Pater noster, qui dilexit nos et dedit consolationem* (ita enim vertendam esse v. παράκλησιν probavit SCHOTT. ad l.) *aeternam et spem bonam per gratiam, consoletur vestra corda, et stabiliat vos in omni sermone et bono opere.* V.] Item JACOBI C. V: 7, 8: [*Patientes igitur estote, fratres! usque ad Domini adventum. Ecce, agricola exspectat pretiosum fructum terrae, patienter eum exspectans, dum accipiat pluviam matutinam et serotinam. Patientes et vos estote, stabilite corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquat.* V.] s. 10, 11: [*Sumite pro exemplo afflictionis, fratres mei! et patientiae, Prophetas, qui locuti sunt nomine Domini*, h. e. »discite exemplis Prophetarum aerum-»nas pati, s. labores perferre" caett., quomodo interpretatur BRETSCHN. in Lex. v. κακοπάθεια.) *Ecce! beatos pronunciamus eos, qui afflictionem sustinent: tolerantiam* JOBI *audivistis, et finem Domini* (quem Dominus curat. Vid. WINER *Gr*. § 37, p. 226,) *vidistis, valde misericordem esse Dominum et commiserantem.* V.] et PETRI 1 ep. I: 3—9: [*Benedictus Deus et Pater Domini nostri* JESU CHRISTI, *qui ex multa sua misericordia regenuit nos in spem vivam per resurrectionem* JESU CHRISTI *e mortuis* caett. V.] C. III:

12—18. [*Oculi Domini* sunt intenti *in iustos, et aures eius in deprecationem eorum: vultus vero Domini adversum eos, qui faciunt mala. Et quis est, qui affligat vos, si bonitatis aemulatores fueritis? Sed et si quid perpetiamini propter iustitiam, beati* tamen estis. *Timorem autem eorum ne timete, neque turbemini* caett. V.]

In *increpando* denique severitas obiurgantis mirâ suavitate non raro mitigatur.

CHRISTUS PHILIPPI stuporem reprehendit his verbis: *tamdiu vobiscum sum, nec cognovisti me*, PHILIPPE! Joh. XIV: 9. Discipulos in villa *Gethsemanitica* dormitantes sic alloquitur: *itane potuistis ne vel unam mecum horam vigilare? Vigilate et orate, ne inducamini ad peccandum! Animus quidem promtus, sed corpus imbecille est*, Matth. XXVI: 40, 41, [de quo l. vid. HENGEL. *Verklaring van Matth.* XXVI: 41ª in WILLES. *Bijdragen tot bevordering van Bijb. Uitlegk.* I: 1, pag. 140—151, ubi vertendum esse probat: *blijft wakker en bidt, dat gij niet in verzoeking komt.* V.] Et THOMAM, difficulter credentem, sic compellat: *Infer digitum tuum huc et vide manus meas, et profer manum tuam, et immitte lateri meo: et ne isto diffidens, sed fidens!* Joh. XX: 27.

Similis Apostolorum orationibus et scriptis inest suavitas, quando officii ratio iubebat increpare

peccantes. Quanta inest moderatio dicto PETRI, Act. II: 15: *hi non sunt ebrii, ut vos suspicamini; cum hora sit tertia diei!* Item C. III: 17: *scio, fratres! vos per ignorantiam fecisse, quemadmodum et vestri proceres.* Similis in eo est PAULLUS, plebem alloquens furiosam et malignos magistratus: *Viri fratres ac patres! audite meam,* qua *nunc ad vos* utor, *defensionem! — Ego quidem sum Judaeus, natus Tarsi,* urbe *Ciliciae, nutritus in hac ipsa urbe, ad pedes Gamaliëlis, institutus ad exquisitam formam patriae legis, eodem Dei vindicandi ardore accensus, quo vos omnes hodie estis,* Act. XXII: 1, 3. *Corinthios* reprehendit, faciles aures praebentes impostoribus, quae res ipsi germano Apostolo iniuriam faciebat; sed nihil in iis vituperat, nisi quod se ipsi non satis amarent, 2 Cor. VI: 11—13. Contumacibus minatur poenas ab illis sumendas; sed hoc ita proponit, ut sibi ipsi id maxime sit extimescendum, acsi ipsi ex ea re maximum detrimentum sit oriturum, C. XII: 20, 21. *Galatas* increpat tam cito ab Euangelio deflectentes; sed laudem intermiscet vituperationi: *currebatis pulcre,* inquit, *quis vos interpellavit, ut non obsequeremini veritati?* C. V: 7; et paulo ante: *me,* inquit, *ut Dei angelum, ut* CHRISTUM JESUM *accepistis. Quae igitur vestra erat beatitudo? Nam testor vos, si fieri potuisset, vestros oculos effossuros fuisse mihique daturos. Ergone vester inimicus factus sum, vera vobis dicendo?* [C. IV: 14—16; nec non C. III: 3, 4: *Adeo amentes estis? Quum spiritu inceperitis,*

nunc carne perficimini? Tam multa passi estis frustra? si modo etiam frustra. V.]

Concitatio tertia est virtus orationis s. in N. T. obviae, ex eo genere, quod ab animo dicentium et scribentium proficiscitur. Est autem orationis affectio, quae proficiscitur ex animo dicentis scribentisve valde subitove commoto, et ad festinandum incitato, sive rei magnae et gravis cogitatione et admiratione, sive affectu vehementiori laetitiae, tristitiae, desiderii, metus, amoris, irae, vel similium, a persona viri boni ac prudentis non alienorum: quae quidem affectio dicentis scribentisve verbis expressa apta est pari affectui excitando in animis audientium legentiumve. — Verum concitatae orationis indicia in loquentibus et scribentibus nonnihil differre possunt, et saepe differunt. Qui enim loquitur, coram habet ad quos orationem dirigit, quorum adspectu et auditu facilius et alacrius movetur, veluti lacrimis ad misericordiam, dicteriis ad iram, beneficiis ad amorem: et qui loquitur, subito affectu excitatus, celerius quod intus est voce effert, quam fit a scribente; certe qui scribit, quod vehementius et concitatius a se scriptum relegit, id sedato animo rem reputans mitigare potest, quod secus est in dicentibus. — In ipsis porro affectionibus discrimen cernitur. Aliae enim subito moventur et minus sunt diuturnae. Aliae minus celeres sunt, aut vehementes, at diuturniores. Utraeque se produnt manifestis

indiciis, in oratione concitata, iisque *partim* sibi invicem similibus, *partim* pro utroque affectionum genere diversis.

Itaque *primum* dicam de signis concitatae orationis, quae utrique illi affectuum generi sunt communia.

Qui cum aliquo affectu pathetico dicunt ac scribunt, hi in media etiam oratione appellant eos, ad quos dirigitur oratio. Appellant autem sive proprio nomine, sive descriptâ indole in bonam malamve partem, sive utroque.

Christus sic in mediis precibus appellat Deum identidem: πάτερ, inquit, et πάτερ ἅγιε, et πάτερ δίκαιε, Joh. XVII: 5, 11, 21, 24, 25. Magis etiam ea concitatio animi cernitur in repetitione, ut ἀββᾶ ὁ πατὴρ, Marc. XIV: 26, et ἠλὶ, ἠλὶ, quod est, interprete Euangelista, Θεέ μου, Θεέ μου, Matth. XXVII: 46. — Ita quoque in media oratione discipulos aliosve, affectu suo incitatus, appellat. Sic: *tamdiu*, inquit, *vobiscum sum, nec cognovisti me*, PHILIPPE? *qui me vidit, vidit Patrem*, Joh. XIV: 9. *Quia vidisti me*, THOMA! *credidisti: beati, qui non videntes etiam credant*, C. XX: 29: [nisi malis cum GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHEND. v. Θωμᾶ reiicere, quod et in plurimis Codd. mss. ac verss. desideratur, et a PP. multis omittitur. V.] SIMON, JONAE *fili! mene diligis?* C. XXI: 15—17, quod ter repetiit JESUS. *Quid timidi estis, o exiguâ fide praediti!* Matth. VIII: 26. *Quid disceptatis in-*

ter vos, o exiguâ praediti fide. C. XVI: 8. *Quid adspicis festucam in fratris tui oculo, nec trabem in tuo animadvertis? — Hypocrita! eiice primum* caett. C. VII: 3–5. [*Ne time, parve grex!* Luc. XII: 32. *Dico tibi*, PETRE! Luc. XXII: 34. V.] Et repetite: SIMON! SIMON! *ecce satanas appetiit vos, quos ventilaret, sicut triticum*, Luc. XXII: 31. MARTHA! MARTHA! *solicita es et turbata de multis. Uno opus est*, Luc. X: 41, 42.

Similem animi concitationem audimus in oratione Apostolorum. PAULLUS in media narratione vitae suae, quam AGRIPPAE regi et FESTO procuratori Romano exponeret, postquam coeleste visum admonentis JESU narrasset, sic pergit: *quapropter, rex* AGRIPPA! *non fui rebellis coelesti visioni*, Act. XXVI: 19. Et quum eum interpellaret FESTUS, eique insaniam obiiceret: *non insanio*, inquit, *praestantissime* FESTE! sect. 25. Et mox: *credisne, rex* AGRIPPA! *Prophetis? Scio te credere*, sect. 27. In contrariam partem ANANIAE Pontifici, qui eum percuti iuberet: *Deus te percutiet*, inquit, *paries dealbate!* C. XXIII: 3. Similiter in epistolis, ubi continuatur oratio, saepius lectores appellat, e. c.: *ô* TIMOTHEE! *depositum serva!* 1 Ep. VI: 20. *Hoc mandatum tibi commendo, fili* TIMOTHEE! C. I: 18. *Os nostrum apertum est erga vos, Corinthii!* 2 Ep. VI: 11. *O amentes Galatae! quis vos fascinavit*, Gal. III: 1. Multa quoque exempla, quibus suavitatem inesse diximus, huius quoque concitationis praebent documenta.

Qui cum affectu aliquo dicunt vel scribunt de re magnâ et admiratione dignâ, adhibent exclamandi particulas interiectas. Sic CHRISTUS [discipulis: *o amentes et tardi corde ad credendum omnibus, quae Prophetae locuti sunt,* Luc. XXIV : 25. V.] *Cananitidi: o mulier!* inquit, *magna est tua fides!* Matth. XV: 28, [et populo: *o natio incredula et perversa, quousque tandem vobiscum ero?* Matth. XVII: 17, Marc. IX: 19. Luc. IX: 41. V.] PAULLUS Rom. XI: 33: *ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας, καὶ γνώσεως Θεοῦ.*

Quo vehementius afficimur rebus, de quibus dicimus ac scribimus, eo etiam significantius ad attendendum hortamur audientes et legentes. Atque hinc illud *ἰδού*, *ἴδετε*, quod alias fere redundat, suam saepenumero vim habet in JESU orationibus, [c. c. Matth. VII: 4. X: 16. XXIII: 38. Luc. XIII: 16. Joh. XVI: 32. XIX: 26, 27. Vid. autem de v. *ἰδού* FRITZSCH. ad Matth. I: 20. V.]

Quo magis nobis persuademus de rei, quam dicimus, veritate et magnitudine, eo etiam fortius affirmamus, ad persuadendum dubitantibus ac negligentibus. Hinc in JESU orationibus illud *ἀμήν*, *ἀμὴν λέγω σοι*, vel *ὑμῖν*, [a JOHANNE notatum. V.] Item *ναὶ λέγω ὑμῖν* Matth. XI: 9 et alibi. Uti et Rom. III: 29: *Num Deus Judaeorum tantum est Deus? neque etiam est alienigenarum? Ναὶ καὶ ἐθνῶν· profecto et horum est Deus.* Saepe PAULLUS iureiurando affirmat id, quod dicit, ut: Rom. IX: 1: *Verum dico ἐν Χριστῷ, per* CHRISTUM, [cf. Matth. V: 34–36. XXIII: 16, 18, 20–22, ubi tamen *ἐν*

iungitur cum ὀμνύειν. Alii, ut FRITZSCH. et WETT.: *verum dico, ut vir cum Christo copulatus*, V.] *non mentior, testimonium mihi praebente conscientia mea per Spiritum s.*, [vel *non mentior* — ἐν πνεύματι ἁγίῳ scil. ὤν, quomodo FRITZSCH. interpretatur, V.] ut persuadeat, sibi molestum esse id, quod durius et tristius contra voluntatem popularium suorum esset scribendum. 1 Cor. XV: 31: *In dies morior*, νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν· *quam vere de vestra felicitate gaudeo, glorior.* Similia sunt Rom. I: 9. 2 Cor. I: 23. XI: 10, 11, 31. Gal. I: 20. Phil. I: 8. 1 Tim. II: 7.

Quando indignantur CHRISTUS et Apostoli, visâ malitiâ et simulatione pessimorum hominum, magnâ aliquando animi concitatione iis minantur. Sic Matth. XI: 21: *Vae tibi Chorazin! vae tibi Bethsaïda!* C. XVIII: 7: *Vae mundo ab offendiculis! Necesse est enim, ut eveniant offendicula. Verumtamen vae homini illi, per quem offendiculum evenit!* C. XXIII: 13—16, 23—29, identidem repetitur illud: *vae vobis legis interpretibus et Pharizaeis!* [C. XXVI: 24: *Vae homini illi, per quem filius hominis proditur.* V.] Sic et JUDAS s. 11, *vae* dicit Euangelio adversantibus, feroque impetu quod ignorant calumniantibus.

Id ipsum vero οὐαὶ saepe quoque iunctum est cum affectu vehementiori dolentis, lugentis et commiserantis, ut [Matth. XXIV: 19. V.] Marc. XIII: 17: *Vae gravidis et lactantibus!* Ita et in Apoc. C. XVIII: 10, reges occurrunt, qui, viso *Babylonis*

incendio, lugent: *vae, vae, magna illa urbs Babylon, urbs illa praepotens.* [Huc pertinet quoque 1 Cor. IX: 16, ubi P.: *οὐαὶ γάρ μοι ἐστὶν, ἐὰν μὴ εὐαγγελίζωμαι.* V.]

Denique in imprecatione animi concitatio est conspicua. Cuius haec sunt exempla in PAULLI epistolis Gal. I: 8, 9: [*etiamsi nos, aut Angelus e coelo Evangelium vobis annunciet praeter id, quod annunciavimus, anathema esto. Ut ante diximus, etiam nunc iterum dico: si quis vobis Evangelium annunciet praeter id quod accepistis, anathema esto.* V.] C. V: 12: *Utinam et abscindantur, qui vos turbant!* 1 Cor. XVI: 22: [*Si quis non amat Dominum* JESUM CHRISTUM, *sit anathema.* V.]

Sed habet etiam utrumque illud affectuum genus, quod diximus, singularem suum habitum et colorem, in quo orationis concitatio sit conspicua.

Affectiones animi vehementiores ac subito ortae efficere solent orationem celeriter abruptam, hiantem et aliorsum inflexam, atque adeo duriorem aliquando et difficiliorem.

Sic celeriter ad *Hierosolymam* se convertit CHRISTI oratio, Matth. XXIII: 37 sq., et ad audientes revertitur sect. 39. Similis est *ἀποστροφή* ad hanc urbem Luc. XIX: 42--44. In PAULLI epistolis egregia sunt exempla Rom. XI: 33—36. VII: 24, 25. 1 Cor. XV: 55—58.

Ex eadem causa oritur hiatus quidam orationis, quam *ἀποσιώπησιν*, vel *reticentiam* dicunt Rhetores.

[Vid. ERN. *Init. Rhet.* § 360 et inpr. GLASS. l. l. p. 1352–1354. V.] Et haec inest JESU precibus, Joh. XII: 27, 28[a]: [quem tamen l. alii aliter interpretantur. V.] Hiatus quoque ex eadem causa profectus videtur esse 1 Cor. IX: 16–18. [Cf. RÜCK. ad l. V.]

Huc referri quoque potest *asyndeton*, quod antea notavimus, quae figura festinando omittit particulas, uno veluti ictu rem animo infigens, ut unum super aliud cumulatum sistat rem magnam, et multa complexam, ut dicit BAUER. *Rhet. Paul.* P. II: p. 591.

Orationis intercisae et abruptae, ex animi concitatione profectae, exempla e scriptis *Johanneis* in medium quoque protulit DONKER. CURT. *Spec.* l. p. 154 sq., [ubi laudat 1 Ep. I: 1, 2. Apoc. I, 4–7. coll. XII: 9. XVI: 15. XVII: 14. IX: 20, 21. XX: 4. XI: 8. XIX: 20. V.]

Nihil vero ex hoc genere potest esse concitatius et vehementius, quam quod ex indignatione et ira proficiscitur: iram autem cum dico, iustam intelligo, et viro bono ac prudenti dignam. Talis ira erat CHRISTI in PETRUM, qui manu prehendebat Magistrum et vehementius eum increpare ausus fuit, inquiens: ἵλεώς σοι, Κύριε, h. e. sive *propitius tibi sis!* vel *propitius tibi sit Deus!* Deus hoc avertat! *Nequaquam id tibi accidet.* Tum vero JESUS, Matth. XVI: 23: *abi pone me, Satana!* h. e. adversarie! *impedimento mihi es, quippe qui non divina sapias, sed humana.* (Illud *humana* ostendit,

CHRISTUM non *diaboli* nomen usurpasse eo sensu, quo nostri interdum homines eo utuntur: tum enim dicturus fuisset: *sapis diabolica.* [Cf. tamen FRITZSCH. ad Marc. VIII: 33. p. 339. V.]) Iram autem CHRISTI non iusto vehementiorem fuisse *et* res ipsa docet, *et* sanctus eius animus, *et* MARCI quoque locus parallelus C. VIII: 33: *ipse vero conversus et intuitus discipulos suos obiurgavit* PETRUM; e quo intelligitur CHRISTUS prudenter et considerate locutus fuisse; adhibet quoque MARCUS idem *obiurgandi* verbum (ἐπιτιμάω), quo dixerat, *obiurgatum* fuisse CHRISTUM a PETRO. — Ita et sancta fuit STEPHANI ira, cum, visis Judaeorum minis auditoque strepitu, orationem abrumpit, et pervicaciam iis exprobrat, in hanc erumpens vocem: *duri cervice! et neque animo, neque auribus circumsecti! Vos Spiritui s. semper resistitis, sicut patres vestri, ita et vos* caett. Act. VII: 51 cf. s. 60. Item PETRI in SIMONEM *Magum*, C. VIII: 20, et PAULLI in ELYMAM, C. XIII: 10, 11; [uti et in ANANIAM, Pontificem m. C. XXIII: 3, V.]

Affectiones animi minus quidem celeres et vehementes, at magis perpetuae concitatam quoque orationem faciunt, nec tamen abruptam, hiantem, duriorem, sed cum perpetuo quodam impetu fluentem. Unde nascuntur *polysyntheta*, repetitiones, membra crebra, et universe *pleonasticum* dicendi genus: cum contra subito ortae et vehementiores affectiones ellipticam orationis formam adiuvent. [Cf. ERN. l. l. § 346, et GLASS. l. l. p. 512, 1332. V.]

Huius concitationis exempla multa insunt CHRISTI orationi, cuiusmodi per totam fere orationem montanam animadvertere licet, et in sermonibus cum Apostolis habitis, Joh. XIV—XVI. Ex illâ notetur C. V: 28—30, 33—37, 43—48. [Ex his legantur C. XIV: 9—11, 27—31. XV: 5—8, 15, 16. XVI: 7—11, 20—22, 32, 33. V.]

Ex JOHANNIS epistolis et *Apoc.* notavit DONK. CURT. *Spec.* I. p. 155 sq. [ex epp. quidem 1 Joh. II: 15—17. III: 8—12. IV: 9, 10. II: 12—14, recte haec addens: »Immo vero haec animi agitatio per uni»versam hanc Epistolam se prodit, ita ut difficulter »impetrare a me possim, ut plura excitem loca, »quare potius suadeam, ut tota legatur Epistola. Ex Apoc. vero libro, postquam vere monuit: »Eius»modi animi commoti indicia inveniri in hoc libro, »qui per argumentum sublime, scribentis magis »adhuc afficere debebat animum, vel a priori, ut »dici solet, effici poterit ex una indolis Johanneae »consideratione," laudat C. IX: 2—11, 13—21. XI: 3—6, 9—12, 17, 18. XII: 10—12. XIII: 4—8. XIV: 1—5, 6—11. XVI: 17—21. XVII: 4—6. XVIII: 2—8, 11—20, 22—24. XXI: 3. sq. V.] Ex JACOBI epistola vid. C. IV. C. V: 1—6. E PAULLI epistolis: 1 Cor. XIII: 4—8. Phil. IV: 6—9. E PETRI oratione Act. IV: 8—12, [uti et ex 1 eius ep. C. I: 3—9. II: 9, 10, 21—25. V: 2—4; e 2 ep. C. I: 5—11. V.]

Quarta denique virtus orationis in N. T. obviae,

quae ab animo dicentium ac scribentium proficiscitur est *sublimitas*, qua voce Latina utitur ERN. *Inst. int. N. T.* P. I. S. I. C. II. § 19, et *Init. Rhet.* § 388, Graecis ὕψος, *altitudo*. Est autem ea orationis dos, quae simplici, propriâ ac familiari dicendi ratione, rerum magnarum, sanctarum divinarumque sensum prodit, atque animis audientium ac legentium ingerit. Itaque *sublimis* dicenda est oratio, quae, cum audiatur legaturve, animum ad magnitudinem componit, ei plus quam dicitur contemplandum relinquit, in admirationem rapit et delectat, non artificioso ornatu et elucubrata compositione, sed nativa rerum vi, simpliciter proposita.

Hanc *sublimitatem*, s. *altitudinem* dictionis s. Novi Test. singulari oratione laudavit JO. DAN. LENNEPIUS, Groningae [habita, quum magistratu annuo abiret, V.] repet. et add. VALCKENAERII et LENNEPII libellis de *Anal. l. Gr.*, iterum edd. Trai. ad Rh. 1805, et *exegit ad excelsam* LONGINI *disciplinam*, qui omnium optime περὶ τοῦ ὕψους scripsit e veteribus, Philosophus eclecticus, [*Platonicum* eum dicit RUHNKENIUS, in *diss.* mox laud. § VI, VII. p. LXXVIII. sqq. V.] et Rhetor saec. III. [qui obierit a. 273. Vid. *Diss. Philol. de vita et scriptis* LONGINI, *auctore* P. JO. SCHARDAM, (vel potius DAV. RUHNKENIO, a quo conscriptam illam esse constat), praem. ed. LONGINI *Weiskianae*, Lips. 1809. p. LXXI. § III. Sed cf. WEISKII *diss. crit.*, quam praemisit suae LONGINI ed. p. CVIII. et not. 213. sqq. qui, HIER. AMATIUM

secutus, librum incerti auctoris esse contendit. V.] Ille igitur LENNEPIUS, idoneus harum rerum arbiter, hanc de sublimitate orationis in N. T. obviae sententiam pronunciat [p. 564. V.]: »Quodsi eas, »quae libris sacris comprehenduntur, sive de Deo, »eius natura, virtutibus, operibus, consiliis, aliisve »rebus grandibus, sententias, sive motus praeclaros, a pietatis in Deum atque virtutis amore profectos, et idoneis expressos verbis, intueamur, in »universa antiquitate nihil inveniri patebit, quod »ad horum excellentiam librorum accedat, nihil, »quod in permovendis animis sit efficacius et po»tentius, denique etiam perennius." Haec in ingressu argumenti dicit. In peroratione vero sic desinit [p. 597 sq. V.]: »Equidem, quamquam »vehementer amo Platonem, eiusque divinum in»genium, rerumque humanarum, et vero etiam »divinarum scientiam, summamque civilium pru»dentiam admiror; quamquam eius inveniendi so»lertiam, aptam partium compositionem, suavita»tem, maiestatem, vim dicendi summam, copiam »uberrimam, sententias, supra quam dici potest, »altas et sublimes, tam soleo probare, quam qui »maxime; quamquam in Platone sunt admirabilia »multa, quae, re minus diligenter explorata, non»nullis fortasse desiderari in Literis divinis, aut »non satis artis praeceptis convenienter scripta, cen»seri posse videantur: tantum tamen abest, ut mei »me iudicii poeniteat, ut in ipsa, ut ita dicam, »scriptorum divinorum negligentia, maiorem digni-

»tatem, quam Platonis peritiam, in artificio soler»ter dissimulato, admirer; in rebus autem divinis, »religionibus, omnique officii genere explicandis »tanto maiorem sententiarum vim in libris sacris, »quam in iis Platonis inesse putem, quanto divina »humanis antecellant; altitudinem denique tantam, »quantam non Longinus cogitavit summam, sed »ipse, divino spiritu plenus Paulus, in agendi ra»tionibus Dei cum animo contemplatur, nec verbis »assequi potest, quasi quodam aestu subito a terra »in coelum abreptus, exclamat: *o altitudinem im»mensam sapientiae et cognitionis Dei! quam penitus »recondita eius iudicia; quam sunt abstrusa eius »instituta! Quis enim Domini mentem novit? aut »quis ei fuit a consilio? aut quis ei dedit ut remu»neretur! Nam ab eo, per eum et propter eum sunt »omnia. Ei gloria in sempiternum!* Amen." Haec LENNEPIUS.

Cum vero vir cl. altitudinem dictionis s. in N. T. ad LONGINI disciplinam exegerit, hactenus quoque eius rationem secutus est, ut quinque partes enumeret, quarum ex aliquâ oriatur id, quod elatum est. Docet enim [p. 565. V.] id *aut* in felici sententiarum altitudine versari, *aut* in animi, tanquam divino afflatu concitati, commotione, *aut* in figurarum concinnitate, *aut* in praeclara quadam elocutione, *aut* in aliquâ compositionis praestantia, quod et factum est tum ab ERN. *Init. Rhet.* C. VI. §§ 388—396, tum a BAUERO *Rhet. Paul.* I: 771—793. Verumtamen bene rem reputantes videmus, tres

postremas partes ad *ornatum* orationis esse referendas, ad *sublimitatem* eius referri non posse. Id quod viderunt RIEDEL et VAN ALPHEN in libro, qui inscribitur: *Theorie der schoone Kunsten en Wetenschappen*, Tr. ad Rh. 1778, in quo legi meretur C. 3: *over het grootsche en verhevene*, Vol. I: p. 78 sqq., et BLAIR, *Lessen over de Redekunst en fraaije Letteren*, Vol. I. p. 77. sqq., [ed., quam procuravit B. H. LULOFS, p. 71 sqq. Vid. et huius ann. p. 20 sqq. V.] in quibus ad hoc argumentum pertinent lectio IV *over het verhevene in de voorwerpen*, et V *over het verhevene in de werken van Redenaars en Dichters*. [Cf. et WEISKII *Diss. critica de libro περὶ ὕψους*, praem. ed. LONG. inpr. p. CXXIV sqq. et J. F. L. SCHRÖDER, *Redev. over het gevoel van het verhevene*, in *Vaderl. Letteroeff.* 1810. p. II. p. 129—147. V.]

Itaque et ego contentus ero, praebendo vobis exempla orationis sublimis, profectae *partim* ex *sententiis*, quae magnae alicuius rei cogitationem afferunt verbis simplicibus; *partim* ex *affectibus generosioribus*, qui enunciantur paucis verbis, iisque simplicibus.

Primum igitur videamus, quae sublimitas insit *sententiis* in N. T. libris, et quam simplicibus eae enuntientur verbis.

Videte JOHANNEM *Bapt.* vili indutum vestimento, cibo exquisitiori, quin et mediocri abstinentem, urbes vicosque evitantem, nullâ eruditionis famâ

illustrem, nullius hominis auctoritate munitum, nemine adiutore utentem! Videte hunc virum nihilominus opus aggredientem difficillimum et gravissimum denunciandi popularibus suis necessitatem repurgandorum morum, eximendi iis vanam pietatis suae opinionem, impellendi omnes sine discrimine, Sacerdotes etiam, viros doctos, legis interpretes, doctores clarissimos ad animi vitaeque emendationem, minandi interitum eorum, qui obtemperare nolint, negandi quidpiam sperandum esse *Abrahamidis* a Dei indulgentiâ, nisi resipiscant, promittendi poenarum remissionem poenitentibus, instantem rerum conversionem regnante Messia praesignificandi, et hunc ipsum populi sui Conservatorem denotandi! Quam grande opus! Quam sublime est, quod cogitat JOHANNES! Sed audite, quam paucis et simplicibus verbis id enunciet! *Μετανοεῖτε· ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν* Matth. III: 2. — Et cum discipulis suis est indicaturus desideratissimum illum Messiam, qui, quamvis natu minor JOHANNE, ante huius natales exstiterit, quamvis serius muneri legati divini admotus, tamen eo esset illustrior et potentior, cuius soleas ut gestaret, semet indignum praedicaverat, qui non aquâ, sed spiritu esset expurgaturus hominum non corpora, sed animos, cum igitur hunc tandem digito est monstraturus, quid dicit? quantis eum encomiis laudat? quos honorum titulos cumulat? *Ἴδε*, inquit, *ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου* Joh. I: 29. In his regnat sublimitas!

In JESU orationibus quam plurima invenias huius documenta sublimitatis. LENNEPIUS [Orat. laud. p. 567. V.] illud merito adhibuit, quod narrat Matth. Eu. C. IV: 19. CHRISTUS enim ad lacum *Galilaeae* obambulans, SIMONEM et ANDREAM cum videt piscatores: *sequimini me*, inquit, *et faciam vos piscatores hominum*. [Minus recte idem p. 570 laudavit Matth. XXIV: 26—31, si nempe *simplicia* quoque verba desiderantur. V.] Nonnulla adiungam alia. Sic ait CHRISTUS Matth. V: 14: *vos estis lux mundi*, [s. 48: *estote vos perfecti, ut Pater vester, qui in coelis est, perfectus est;* C. VI: 4, 6, 18: *Pater tuus, qui videt in occulto, tibi palam reddet;* C. X: 28: *ne timete* quicquam *ab iis, qui corpus interficiunt, animam vero interficere nequeunt. Sed timete potius eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehenna*. V.] Quando ei quis dicit: »*sequar te, quocunque abeas*," CHRISTUS respondet: *vulpes lustra habent et volucres nidos. Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet*, C. VIII: 20. Quando alius ei dicit: »Domine! permitte mihi primum »abire et sepelire patrem meum," ille reponit: *sequere me; et sine ut mortui suos sepeliant mortuos!* s. 22. [Cum omnes adhortari vellet, ut ad ipsum venirent: *omnia*, inquit, *mihi tradita sunt a Patre meo, neque quisquam Filium cognoscit, nisi Pater; neque Patrem quisquam cognoscit, nisi Filius, et cui voluerit Filius patefacere*, C. XI: 27. V.] Cum aliquando dixisset: »non quod in os ingredi»tur, polluit hominem, sed quod egreditur ex ore,"

eiusque discipuli eum monerent, hoc dicto offensos fuisse Pharisaeos, respondet: *omnis planta, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur. Sinite eos! Duces sunt caeci caecorum: si vero caecus caeco praeeat, ambo in foveam cadent*, C. XV: 13, 14. Plurima addi possent, si vellem colligere voces illas, quibus aegrotos sanavit, os Satanae oppressit, mari ac ventis imperavit, mortuos in vitam revocavit, [atque auctoritatem suam vindicavit, e. c. Joh. VIII: 58: *πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι*. V.] Sed malo plura vestro ingenio seligenda et iudicanda relinquere.

In Euangelistarum narrationibus multa quoque de rebus a CHRISTO et Apostolis gestis relata videas ratione vere sublimi. In MATTHAEO notari potest narratio [de coelis apertis, de descendente Spiritu et audita voce coelesti, postquam JESUS s. lavatione tinctus esset et aquis egressus, C. III: 16, 17: quod exemplum adhibuit quoque LENNEP. l. l. p. 573 sq., de JESU transformatione in monte, C. XVII: 1—8. V.], de Angelo ad JESU sepulcrum accedente, de nuncio ad JESU amicas delato, earumque festinatione in deferendo eo ipso nuncio ad discipulos eius C. XXVII: 2—8. In JOHANNE [sublime Ev. initium, C. I: 1—18; cuius lectio quantam in FRANCISCO JUNIO vim habuerit atque efficacitatem notum est. Vid. opp. eius Lat. praef. p. 10, 11. V.]; narratio de caeco sanato C. IX: 6, 7, ubi nota illud *ἦλθε βλέπων*· item [de LAZARO, in vitam revocato, C. XI, ubi animadverte illud *καὶ ἐξῆλθεν ὁ τεθνη-*

κῶς s. 44. V.], de instituta a CHRISTO pedum lavatione, C. XIII: 1—5. In LUCA narratio [de Angelis, JESU natales pastoribus denunciantibus, Deique laudes celebrantibus Ev. C. II: 9—14. V.]; de CHRISTI morte et signis indignationis divinae mirificis, C. XXIII: 44—46. Item Act. V: 40, 41: Judaei, audito GAMALIËLIS consilio, *accersitos Apostolos verberarunt, eisque, ne* JESU *nomine loquerentur, interdixerunt, atque ita eos dimiserunt: illi vero ex concilio laeti discesserunt, quod digni habiti essent, qui propter eius nomen afficerentur ignominia*, (interprete CASTELL.)

In PETRI et PAULLI oratione eximia quoque sunt sublimis orationis documenta. PETRUS claudo, quem mox erat sanaturus: *argentum*, inquit, *et aurum non habeo; sed quod habeo, id tibi do:* JESU CHRISTI *Naz. nomine surge et ambula!* Act. III: 6. CHRISTI exemplum ad imitandum proponit [his verbis: *qui peccatum nullum commisit, nec inventus est dolus in eius ore; qui conviciis affectus non vicissim conviciabatur; qui iniuria affectus, non minabatur, sed committebat* (rem) *ei, qui iuste iudicat; qui peccata nostra ipse sustulit in corpore suo in cruce.* V.] 1 ep. C. II: 22—24. — PAULLUS describit Dei unius efficacitatem, in condendo gubernandoque mundo, oratione, quam in *Areopago Atheniensi* habuit Act. XVII: 24—28ᵃ. Et in 1 ep. ad Cor. C. XV: 51, 52, pingit ultimam humano generi destinatam immutationem, ad vitam aeternam emendatis corporibus consequendam; quo exemplo etiam usus est LENNE-

PIUS, l. l. p. 576. [Usus est autem in exponendo eo genere, »quod, secundo loco a Longino de-»scriptum, ab acri animi commotione proficiscatur." Adhibuit vero idem, et recte quidem, me iudice, Coloss. I:, 14—18. V.]

Denique in JOHANNIS *Apoc.* multa sunt sublimis orationis documenta. Jam statim in libri initio C. I: 7 occurrit locus ex hoc genere illustris: [*Ecce venit cum nubibus, cumque cernet omnis oculus, etiam qui eum compunxerunt, deque eo plangent omnes terrarum nationes: ναὶ, ἀμήν.* V.] Huic iungatur descriptio visi a se JESU et effectus, quem in eo habuerit hic adspectus: *Quum autem vidissem eum, cecidi ad pedes eius, veluti mortuus. Tum mihi dextram suam imposuit, et: »ne metuas,"* inquit, »*ego sum primus et ultimus* [vel *ego sum, primus et »ultimus, (ik ben het, de eerste en de laatste)*, V.]; »*et vivens, et mortuus fui, et ecce! vivo in omnem »aeternitatem, et claves teneo mortis et inferni*," [τοῦ θανάτου καὶ τοῦ ᾅδου e lect., quam GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHEND. receperunt. V.], s. 17, 18.

Sed videamus quoque, quae sublimitas insit *affectibus generosioribus*, qui paucis iisque simplicibus enuncientur verbis.

Denuo JOHANNEM *Bapt.* audiamus! Adeunt eum, quacunque de causa, certe non sancto vitae emendandae consilio, *Pharisaei* et *Sadducaei*, a quibus misere corruptus erat Dei cultus, perdita Ecclesia, et eversa tota religio; qui doctrina, auctoritate, mo-

30*

rum exemplo totum fere populum infecerant; qui denique vanâ, sive de virtute, sive de potestate suâ opinione occaecati, et vitae improbae assuefacti, sibi placebant, et vulgi fruebantur honore. Hos igitur quomodo excipit JOHANNES? Non leni alloquio; non reverenter; non blanditie verborum; non praemissâ benevolentiae captatione; sed ut Dei legatum oportet, durâ obiurgatione et acribus verborum stimulis, quibus quod reponant nihil habent, praeterquam altum silentium: remedium adhibet, his aegrotantibus aptum, et ad arcendum hunc inficientem morbum a probis hominibus idoneum. Matth. III: 7, 8: *Viperarum progenies*, inquit, *quis vos submonuit futuram fugere iram!* (Hoc a vestra indole alienum tantopere est, ut qui neminem velitis monitorem, sed omnes doceatis et obiurgetis, qui nihil vobis a Deo timendum, omnia speranda putetis, quamvis omnium sitis pessimi! Si tamen vos tetigit quidam metus et peccatorum conscientia, unica est via, quam vobis monstrem.) *Ferte igitur fructus, resipiscentiae congruos!* [vel *fructum resipiscentiae congruum*, *καρπὸν ἄξιον*, e lect., quam GRIESB., SCHOLZ., LACHM. et TISCHEND. receperunt. V.] Generosus est animus, neminis iram aut odium reformidans, nullius quaerens favorem, sed unice veri profitendi, honoris divini vindicandi, hominumque saluti consulendi studio incensus. [Idem coram suis discipulis, querentibus, quod omnes ad JESUM confluerent, non modo praeclarum iterum de illo testimonium exhibet, sed et egregium illud addit dictum,

generosos animi affectus testificans: *ἐκεῖνον δεῖ αὐξάνειν, ἐμὲ δὲ ἐλαττοῦσθαι*, Joh. III: 30. V.]

Audiamus JESUM CHRISTUM, leproso respondentem: *volo, purgator!* [Matth. VIII: 3. Marc. I: 41. V.] Luc. V: 12, 13; [Centurioni: *ἐγὼ ἐλθὼν θεραπεύσω αὐτόν*, Matth. VIII: 7, et: *ὕπαγε, καὶ ὡς ἐπίστευσας γενηθήτω σοι* s. 13; Judaeis: *Qui me misit, mecum est. Non deseruit me solum Pater, quandoquidem ego semper, quae ei accepta sint, facio*, Joh. VIII: 29. Item sect. 46: *Quis vestrum peccati me arguit? Si veritatem dico, cur vos non creditis mihi?* V.] Apostolis suis: *ecce! veniet* [*ἔρχεται* V.] *tempus et iam adest, quo dispergemini quisque seorsim ad suos, meque solum relinquetis; sed non sum solus, nam Pater mecum est*, Joh. XVI: 32. Item sect. 33: *In mundo cruciatu afficiemini. Sed bono sitis animo! ego vici mundum;* ut et ad Patrem has preces fundentem: *Pater mi! si fieri possit, abeat a me hoc poculum! Verumtamen non ut ego volo; sed ut tu*, ita fiat! Matth. XXVI: 39.

Audiamus PETRUM, suo et JOHANNIS Apostoli nomine respondentem Pontifici maximo caeterisque Senatoribus, eos vetantibus docere JESU nomine, Act. IV: 19: *Utrum apud Deum iustum sit, vobis potius, quam Deo obtemperare, diiudicate.* Generosa est animi affectio, singularis fortitudo et constantia, quae negat posse se et velle obtemperare mandato iniquo, quamvis profecto ab iis, qui viderentur supplicio posse punire negantes, quos CHRISTUS ipse ante duo menses expertus fuerat saevos ac sangui-

nolentos auctoritatis suae vindices. Quanta vero est orationis simplicitas! Nihil ornatur, augetur nihil. Nulla auditur querela, nulla incusatio, nulla exprobratio, nullae minae. Non iactat suam constantiam, fortitudinem, patientiam, fiduciam in Deo CHRISTOque repositam. Potuerat tamen id omne iuste fieri. Sed id omne latet in eo, quod iam attuli, additoque hoc uno: *non enim possumus, quae vidimus et audivimus, non loqui.* — Aliud est, quod ab eodem PETRO profectum nobis occurrit Act. VIII: 20. Scilicet cum SIMON quidam impostor, magicas exercens artes, ei offerret pecuniam, quâ sibi facultatem mirificam compararet, indignatus Apostolus: *argentum tuum*, inquit, *tecum pereat, qui Dei donum pecuniâ acquiri putas!* [Vid. et Act. II: 23. III: 13—15. 1 Petr. I: 15, 16. III: 13, 14. IV: 12—14. V: 6. al. V.]

Audiamus PAULLUM, quomodo respondeat amicis suis *Caesareensibus* et itineris comitibus, ipsum precantibus, ne contra monitum, ut iis videbatur, divinum, *Hierosolymam* proficisceretur, seseque urgenti vitae periculo exponeret. Ille igitur: *quid facitis*, inquit, *flentes, meumque animum angentes? Ego enim non solum vinciri, sed et mori paratus sum Hierosolymae, pro nomine Domini* JESU, Act. XXI: 13. Aliud est, quod in vehementi tempestate iactatus in mari mediterraneo, in praesentissimo naufragii et interitus periculo, dixit navis gubernatori, nautis, militibus caeterisque iter cum ipso facientibus, referente LUCA, C. XXVII: 33—35: [*Dies hic est*

quartus decimus, ex quo exspectantes ieiuni permanetis, nihil cibi sumentes: iccirco vos hortor, ut cibum sumatis: hoc enim ad salutem vestram spectat: nullius enim vestrum capillus ex capite cadet. Quibus dictis, sumtoque pane, gratias Deo egit coram omnibus, et fracto pane *coepit edere.* Cf. LENNEP. l. l. p. 578—580. V.] Quo autem effectu illa dixerit narrat LUCAS sectt. 36, 37. Huius generis documenta ex epistolis attulit LENNEPIUS, et locum quidem Rom. VIII: 35—39, p. 581 sq., locum autem 1 Cor. XIII: 1—3, p. 572. — Addamus nonnulla alia! Rom. IX: 20 Judaeorum criminationes retorquens: *tu, quis es, homo*, inquit, *qui expostules cum Deo?* [*Dicetne figmentum fictori: cur me sic fecisti?* C. XI: 15: *Si eorum reiectio mundi* est *reconciliatio, quid erit cooptatio, nisi vita e mortuis!* s. 32—36: *Conclusit Deus omnes in contumaciam, ut omnium misereatur. O altam sapientiae cognitionisque Dei opulentiam! quam penitus recondita eius iudicia! quam abstrusae sunt rationes! Quis enim Domini mentem novit? aut quis ei fuit a consilio? aut quis illi ante contulit, ut ei gratia referatur? Nam ab eo, et per eum, et propter eum omnia: ei gloria in sempiternum. Etiam.* (e vers. CASTELL.) C. XIV: 8: *Sive vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive igitur vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Vid. et 1 Cor. I: 20, 21, 25, 27—31. II: 16. III: 7, 22. VI: 19, 20. XIII: 12, 13. 2 Cor. II: 14—16. III: 17, 18. IV: 6, 7. V: 8, 9. XI: 2, 7. XII: 2—4. XIII:

8. Gal. I: 8, 9. II: 19, 20. III: 28. IV: 19. V: 24. VI: 14. Sed haec sufficiant; nam omnia commemorare longum est. — Universe de *Rhetorica Novi Test.* conf. CHR. GOTTL. WILKE, *Die neutestamentliche Rhetorik, ein seitenstück zur Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms.* Dresd. et Lips. 1843. V.]

INDICES.

I. Index locorum Veteris et Novi Test. aut plus minusve explanatorum (¹), aut rerum illustrandarum tantummodo causa allatorum.

A. *Veteris Test.*

B. *Novi Test.*

(¹) Loca, in *Conspectu* libri iam significata, hic non indicata sunt.

II. Index vocum plus minusve explanatarum.

A. *Graecarum.*

B. *Hebraicarum et Chaldaicarum.*

III. Index rerum [1].

---

[1] Res, in *Conspectu* libri iam significatae, hic non indicantur.

ADDENDA ET EMENDANDA.

P. 10 lin. 13 post *ad l.* add. et *Exc.* II ad *Comm. in Ev. Marci*, p. 773 sqq.

P. 14 lin. 1 ῆ leg. ῇ.
» 41 » 18 pertinent leg. pertinet.
» 61 » ult. comtempla leg. contempla.
» 70 » 10 *factae* leg. *factas.*
» 70 » 25 dissolui onis leg. dissolutionis.
» 75 » 2, 3 diss eruerunt leg. disseruerunt.
» 78 » 22 *recto* leg. *recte.*
» 94 » 18 tenat » tenet.
» 95 » 21 sana » sane.
» 117 » 20 qnin » quin.
» 126 » 24 [neque » neque.
» 140 » 9 αὐτούς leg. αὐτούς.
» 196 » 27 controversiae] leg. controversiae.
» 197 » 13 eonvenire leg. convenire.
» 248 » 24 רָמח leg. רָחַם.
» 278 » 21 linquâ leg. linguâ.
» 324 » 2 accedisse leg. accidisse.
» 326 » 17 argnmentum leg. argumentum.
» 333 » 21 utrorum leg. utrorumque.
» 385 » 4 τῳ leg. τῷ.
» 434 » 23 post p. 267 add. V.]